This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 2044 097 721 500

HARVARD LAW SCHOOL
LIBRARY

F F ALY

PRAELECTIONES

IN TEXTUM IURIS CANONICI

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

IN SCHOLIS PONT. SEM. ROM. HABITAE

A

MICHAELE LEGA SAC.

SS. D. N. LEONIS PP. XIII CUBICULARIO AD HONOREM
IN CURIA ROMANA ADVOCATO
ET D. SECRETARII S. CONG. CONCILII AUDITORE

DE IUDICIIS CRIMINALIBUS IN GENERE ET IN SPECIE DE DELICTIS ET POENIS PRAEMISSO TRACTATU

Lib. II. - Vol. IV.

ROMAE
TYPIS VATICANIS

1901

Auctor sibi vindicat iura proprietatis iuxta vigentes leges

LIBRI II.

PARS I.

De delictis et poenis.

TITULUS XI.

DE CRIMINIBUS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM VEL IN USU ALIARUM RERUM SACRARUM ADMISSIS.

Summarium. — 1. In hoc titulo comprehenduntur crimina quae directius offendunt ius Ecclesiae *privatum*. — 2. In primis coercentur poenis abusus in administratione sacramentorum. — 3. Statutis poenis cavetur, ne simonia aut ipsa simoniae labes inficiat sive beneficiorum collationem, sive usum aliarum rerum sacrarum, veluti Indulgentiarum et SS. Reliquiarum. — 4. Quoad loca sacra, constitutae sunt poenae in violantes *ius asyli* competens Ecclesiis, nec non in transgredientes *clausuram* monialium.

1. Materia tractationis facili sermone explicatur. Etenim in superiore titulo de criminibus egimus quae, suapte natura, impetunt *ius Ecclesiae publicum*, illud videlicet genus iurium quae competunt Ecclesiae, quatenus est *societas perfecta;* et vidimus haec iura defendi tum in se ipsis, tum in eorum subiectis. Siquidem poenas consideravimus in eos constitutas qui, vel immediate huiusmodi iura laedunt, vel ipsas personas ecclesiasticas, quae hisce iuribus congrue exercendis pro suo munere incumbunt.

Ecclesia autem, qua *externa societas*, instructa est mediis suo fini consentaneis et accommodatis, et haec media per leges disciplinares ita ordinat et componit, quo melius respondeant fini: istae leges constituunt *ius ecclesiae privatum*. Porro

maxime interest reipublicae christianae, hoc ius religiose custodiri et observari; proinde poenis severe arcendae erant a societate christiana perversiones eiusmodi legum.

2. Iamvero inter media quae praesto sunt Ecclesiae in finem consequendum, recensentur, cum primis, sacramenta. Quamobrem antea perpendimus crimina et poenas quae profluunt ex abusu, vel ex usu sacramentorum praepostero.

3. Praeterea inter haec media seu res ordinatas in Ecclesia ad sanctificationem fidelium, excellunt SS. Indulgentiae et Reliquiae Sanctorum; ast, pro ratione mediorum, sane potiorem obtinent locum beneficia, utpote quae adnexum habent officium sacrum, unaque prospiciunt congruae sustentationi Ministrorum rerum sacrarum. - Verum ob ipsum temporale bonum quod pariunt istae res inter homines, Ecclesiae historia docet, facile eiusmodi res fieri venales, nempe in earum administratione turpis lucri studium excitari, adeo ut ab ipsis Ecclesiae incunabulis tam grave facinus suum nomen nactum sit in Simone Mago, omnium primo, inter christianos, huius teterrimi commercii auctore. - Huc spectant poenae comparatae in simoniacos.

4. Denique specialem reverentiam merentur loca sacra, quae sunt veluti domicilia sanctitatis, nimirum Ecclesiae et ipsa monasteria, ubi degunt viri vel foeminae regulares.

Ecclesias quod attinet, quia a cultu divino, qui fovetur in Ecclesiis, magnopere sunt alienae turbae, tumultus armorum et sanguinis effusiones, inde constitutum est *ius asyli.*

Monasteria vero intra quorum septa se recipiunt viri aut foeminae, mundanum aufugientes strepitum, ut Deo penitus se devoveant, fruuntur lege *clausurae;* quamobrem monasteria virorum regularium ingredi non licet foeminis vel sanctimonialibus. - Monasteria autem monialium arctius muniuntur lege *clausurae*, quae statuit, *ingredi* septa monasterii nemini licere cuiusque sexus et conditionis; eisdemque monialibus *egredi* non licere. Haec iussa legitimis poenis roborata sunt.

CAPUT I.

DE CRIMINIBUS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ADMISSIS.

Summarium. — 5. De sacramentali absolutione complicis. — 6. De non exquirendo in confessione nomine complicis. — 7. De denunciatione confessarii sollicitantis. — 8. Religiosis non fas est ministrare Extremam Unctionem et Viaticum absque parochi licentia. — 9. Sacerdotes matrimonia celebrare praesumentes absque parochi licentia. — 10. Coercetur mercimonium quoad eleemosynas Missarum. — 11. Explicantur suspensiones l. s. reservatae Rom. Pontifici decretae *in male ordinantes* et in male *ordinatos*. - Regulae generales. — 12. Suspensio l. s. *in ordinantes absque titulo; in ordinantes subditum* ALIENUM *absque dimissorialibus litteris;* vel PROPRIUM *absque testimonialibus,* quum semel hae expostulantur. — 13. Percelluntur *suspensione* l. s. reservata R. P. *ordinati ab alieno episcopo, ei non oblatis litteris testimonialibus;* vel *ab Episcopo excomm. suspenso, interdicto nominatim denunciato.* — 14. Ex singulari iure dioecesis romanae, eiusdem speciei suspensio indicta est *in male ordinantes et in male ordinatos.*

5. Const. Ap. Sed. confirmans prudentissimas dispositiones Bened. XIV, respicientes sacramentum Poenitentiae sub n. X, inter *excom. sp. m. P. reservatas*, censurat: « *Absolventes complicem* (1) *in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine aliqua gravi excoriturâ infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem* ». Conf. Constitutiones Bened. XIV: - *Sacramentum Poenit.* - et « *Apostolici muneris* » et « *Inter praeteritas* ». Rem nostram quod spectat innuere sufficiat:

(1) *Complices* hic intelligimus omnes qui concurrunt ad crimen patrandum, prouti explicavimus, Vol. III, n. 39 seq.

1) hic agi de complice peccati inhonesti *contra sextum* Decalogi praeceptum. Cuiusnam sexus fuerit complex non interest; at illi censentur *complices* huic legi obnoxii, qui ex *deliberato animo* patrant grave peccatum, et hoc patrant ob opus *externum* exprimens utrimque gravitatem peccati. Agitur enim de poena incurrenda in *foro externo*, et in ratione *complicitatis*. (Cf. Vol. III, 15 seq.; D'Annibale, *Comm.* n. 84).

2) Sacerdos vero, sive ad confessiones approbatus sit, sive minus, dummodo absolvere praesumat aut *fingat* (ex decr. S. Off. 5 Dec. 1883) eum, cum quo taliter peccavit, tametsi ante ordines sacros susceptos peccaverit, tenetur hac censura. - Quando autem confessarius absolvendo complicem graviter peccat, a censura eum non excusat ignorantia si fuerit *crassa* et *supina;* S. U. I. *13 Ian. 1892* ad 3um.

3) Neque admittitur absolutio *indirecta*, quia Canon absolute prohibet *confessionem excipere complicis, excepto*, quoad articulum mortis, *casu gravis exoriturae infamiae aut scandali*, quae subsequantur, si alius advocatur sacerdos vel non approbatus (1). Quare sacerdos non habet auctoritatem ad complicem absolvendum; quousque hic, rite confessus peccatum turpe, absolutionem a non complice obtinuit. Semel vero absoluto hoc peccato, postea cessat prohibitio; ex responsione S. Off. diei *29 Maii 1876* (2).

(1) Sed in articulo mortis *quia omnis cessat reservatio*, ex Conc. Trid. cap. VII, De poenit. si absolvat complex sacerdos, non adhibito vel exquisito alio sacerdote, *illicite* sed *valide* absolvit et incurrit censuram. Imo D'Annibale l. c. opinatur, *valide* a complice absolvi complicem, si adsit urgentissima causa, praeter articulum mortis, scilicet *ne complex pereat*, vel *periculi gravissimi se exponat casui;* sane Eccl. leges non obligant cum eiusmodi incommodo.

(2) Summus Pontifex per decretum S. U. Inq. *die 19 Iulii 1866* edixit: « *In facultatibus quibus Episcopi, aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Ap. Sedi*

6. Dein inter excomm. *simpliciter* R. P. reservatas sub n. 1 Const. *Ap. Sed.* censura plectit: « .... *item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Bened. XIV, in Const.* " *Suprema* " *9 Iulii 1745,* " *Ubi Primum* " *2 Iulii 1746,* " *Ad eradicandum* " *28 Sept. 1746* ».

Re quidem vera Sum. Pont. Ben. XIV postquam in Const. « *Suprema* » ad Lusitanos data, improbaverit et prohibuerit praxim exquirendi a poenitente nomen complicis, nempe illius qui fuerit socius criminis, in alia Const. « *Ubi primum* » condemnat, sub excom. P. reservata, docentes, hanc praxim nec damnatam nec reprobandam esse; tandem in Const. « *Ad eradicandum* » Pontifex, contra censentes hanc praxim tantummodo pro Lusitanis reprobatam fuisse, decernit, eamdem praxim in seipsa et ubique locorum, et reprobatam et damnatam fuisse. Animadvertatur:

1) Quod in hoc articulo agitur de complici in quocumque crimine, in superiori articulo vero de complici in peccato turpi.

2) Bened. XIV damnavit docentes licitum esse exquirere nomen complicis, atque non denuncianti absolutionem denegare: utrumque requiritur ad poenam subeundam.

3) Quare hodie tantum hac censura damnantur qui hoc *docent;* non incurrunt autem censuram, quamvis graviter peccent, qui hanc praxim sequuntur. Inquam - *hodie* -; nam antea ex Const. cit. « *Ubi primum* » incurrebant excomm., in primis,

reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV: Sacramentum Poenitentiae ». Hi casus duo sunt: 1) casus sacerdotis *attentantis absolutionem* complicis; 2) casus personae cuiusque sexus *falso denunciantis* sacerdotem aliquem *de sollicitatione.* - Hic secundus casus est reservatus absque censura. Idem edixit Sup. U. I. *die 4 Apr. 1871.*

hanc praxim sequentes. Hi tamen ex Const. « *Ubi primum* » S. Officio denunciandi sunt. Cf. D'Annibale, *Comm. n. 106* (1).

7. Demum inter excomm. nemini reservatas eadem Const. *Ap. Sed.* sub n. IV censuratos declarat: « *Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios, sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Praed. Nostris Greg. XV Const.* " *Universi* " *20 Augusti 1622, et Benedicto XIV Const.* " *Sacramentum Poenitentiae* " *1 Iunii 1741* » (2).

Mensis, de quo hic decernitur, est tempus utile, quod proinde non decurrit ignoranti hanc obligationem, vel legitime impedito. Quo modo non decurrat *ignoranti* ita explicat D'Annibale, *Comm.* n. 182: « Verum quia tempus non currit ignoranti, mensis computandus est ex quo scivit, et 1° obligationem denunciandi, et 2° excommunicationem adnexam huic obligationi, et 3° tempus obligationis adimplendae. Quandiu igitur primum ignorat, *culpa*, quamdiu alterum, *contumacia* cessat. Quid si tertium tantum? Et siquidem falso existimavit denunciationem protinus faciendam esse, excommunicatio eum non tenet quoad mensis decurrerit, sin quandocumque ipsi libuerit, eam nec post mensem incurrit, quamdiu bona fide existimat adhuc posse differri ».

In hoc propositum attendenda est *Instructio* data *die 26 Feb. 1867*, ad omnes locorum Ordinarios a S. U. I. in qua postquam admoniti fuerint confessarii ad instruendos poenitentes circa hanc obligationem, cui si parere nolint absolvendi non essent, sub n. 6, haec habet: « *Denunciationes anonymae*

(1) Nihilominus aliquando ipse poenitens tenetur complicem revelare; et tunc confessarius poenitentem inabsolutum dimittit, nisi revelet, quia non est dispositus. S. Alphons. VI, 491; Bucceroni, *Comm. n. 38.* Hoc innuit Pontifex dum excepit casus, quibus, iuxta *sanas* et *veras doctrinas*, complicis nomen exquirere licet.

(2) Ad rem modo iuvat revocare sollicitationis iuridicam notionem, quae est: *facta a sacerdote*, TAMQUAM CONFESSARIO, nimirum vel OCCA-

contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent, denunciationes enim FIERI DEBENT IN IUDICIO, *nempe coram Episcopo eiusve delegato, cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel litteras sine nomine et cognomine auctoris. Ceterum prohibetur ne in recipiendis denunciationibus, praeter iudicem et notarium virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne a denunciantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis* »; et sub n. 7, postquam edixerit: « *Denunciationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum* » idque peragendum esse, si quis non possit personaliter, per litteras aut per personam benevisam, adeundo Ordinarium, vel Sanctam Sedem per S. Poenitentiariam, aut per S. U. Inquisitionem, concludit: « *Ast si nullo impedimento detento, denunciationem omnino renuat* (pars sollicitata, sive mas sive foemina.....), *laudandus est confessarius qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel*

SIONE, vel SIMULATIONE, vel PRAETEXTU *confessionis, ad turpia provocatio.* Conditiones huius criminis Bened. XIV in Const. *Sacramentum poenitentiae* ita determinat, iubens denunciari « omnes et singulos sacerdotes..... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona ille sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione vel praetextu, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare pro seipso vel pro alia persona, vel provocare sive verbis sive signis, sive nutibus sive tactu sive per scripturam, aut tunc aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus habuerint ».

S. Sedem, pro opportunis providentiis consulueril, suppresso tamen poenitentis nomine ». Haec innuisse sufficiat, quia de procedendi ratione ad crimen evincendum sollicitationis, suo loco, redibit sermo.

Eadem Const. *Sacramentum Poenit.* edicit, esse peccatum Rom. Pont. reservatum illud, quod patrant calumniosi denunciatores.

8. Quoad Sacramenti Extremae Unctionis et Eucharistiae administrationem, Const. *Ap. Sed.* sub n. XIV, inter excom. simp. R. P. reservatas, censura plectit: « *Religiosos praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare, absque Parochi licentia* ». Iampridem hoc constitutum fuerat in Clem. *I De Priv.* in Conc. Viennensi; at ipse Clemens V, nonnulla adiecit exceptiones quoad familiares et domesticos domuum religiosarum, quas exceptiones ita ratas habuit Conc. Trid. *Sess. 24, cap. 11, De ref. mat.* his verbis: « *exceptis tamen iis qui praedictis locis* (a iurisdictione episcopali exemptis) *aut militiis actu inserviunt, et intra eorum septa ac domus resident, subque eorum obedientia vivunt* ». Sed Const. *Apost. Sedis* correxit Clementinam, quae compescebat hunc abusum etiam in administratione sacramenti *Eucharistiae in paschate* et *matrimonii.* Verum quoad matrimonii administrationem, aliquid constituit Conc. Trid. *Sess. 24, cap. 1, De ref. mat.,* unde iampridem correcta fuisse videtur Clementina, prouti *n. subseq.* dicemus.

Advertatur eiusmodi censuram latam fuisse ne regulares viri, postquam admissi sunt ad agendam animarum curam pastoralem, iura invaderent parochorum. Ex textu autem excomm. modo relato, sequitur:

1) hanc censuram non incurrere regularem virum administrantem haec sacramenta regularibus, etiam alterius Ordinis, (quamvis approbati cum votis simplicibus), novitiis, famulis, aliis-

que personis cum claustralibus habitantibus, utpote *unam familiam* constituentibus, veluti Tertiariis.

Quaeritur an hoc censu comprehendantur etiam alumni, qui studiorum causa in monasteriis commorantur, quippe collegii aut Seminarii moderatores et institutores sunt Religiosi; et res non caret controversia: cf. *Acta Sanctae Sedis, Vol. III, pag. 47:* D'Annibale *(l. c. n. 146)* opinatur, huiusmodi alumnos non sortiri Religiosorum immunitatem, quia dici non possunt coalescere in unam familiam cum Religiosis: consentit Pennacchi, *I, pag. 1025* (1).

2) Inter - *religiosos ministrare praesumentes* - patet non censeri regulares professos cum votis simplicibus, quum *in odiosis* (seu cum agitur de cohibenda libertate) huiusmodi instituta nec religiosa nec regularia dicantur. An incurrant Religiosi qui in religione approbata cum votis solemnibus, ex hodierna disciplina, vota tantum simplicia nuncuparunt, resolvere noluit S. Congr. EE. et RR. *die 15 Iunii 1856.* Quare versamur in dubio iuris.

3) Quia fertur censura in *Religiosos*, ministrare PRAESUMENTES *extra casum necessitatis,* hinc excusat ignorantia *crassa* et *supina*, non *affectata* (cf. Vol. III, n. 32), nec poena

(1) Ratio dubitandi eruitur ex cit. decret. Conc. Trid. unde associantur Religiosis etiam ii, qui - *intra eorum septa ac domus resident, subque eorum obedientia vivunt.* - Nihilominus plura habentur rescripta S. C. C., in primis alterum editum *die 17 Sept. 1722*, et alterum *die 17 Nov. 1717* (vide in *Thesauro Resolutionum Tom. I et III)* quae videntur aperte vindicare iura parochorum in iis personis, quae non efformant *familiam religiosam,* quamvis ei adhaereant, veluti sunt qui secedunt in monasteria devotionis causa, ibi permansuri usque ad finem vitae, uti cavet decretum diei 17 Nov. 1717. Quare probabilior est opinio quae tenet, alumnos Seminarii non esse immunes a iurisdictione parochi, quamvis sint commissi institutioni Religiosorum, et cum his videantur unam familiam constituere. Cf. Causam - *Seminarii* - *Acta S. Sedis*, Vol. III, pag. 47..

incurritur, si licentia parochi vel eius vicarii (1) fuerit *tacita* vel rationabiliter *praesumpta*, vel periculum visum sit grave, quod reapse tale non fuerit; vel grave administranti non apparuerit, at tale revera extiterit; nam *nostra existimatio rei veritatem non mutat*. Si quis vero agat cum conscientia *erronea*, ratus nimirum non adesse *casum necessitatis*, qui *obiective* extat, committit peccatum, sed non crimen, unde non incurret censuram.

9. Clementina *cit.*, uti notavimus, percellebat etiam Religiosos *matrimonia solemnizare praesumentes* absque parochi licentia, quos praeteriit in *art. cit.* Const. *Ap. Sed.*; sed tamen eosdem tenet censura ita lata a Trid. Concil. *Sess. 24, cap. 1, De ref. mat.* « *Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur* ». In quem textum interpretandum, duae incidunt quaestiones; et *primo* quaeritur, an per hanc posteriorem censuram, quamvis mitiorem, intelligenda sit abrogata censura lata in *Clem. cit.* - Et iuxta principia evoluta Vol. III, n. 76 seq. respondemus: abrogatam fuisse antiquam poenam per recentiorem; prouti

(1) Agimus de parocho *proprio* vel eius vicario, videlicet quoad subditum ratione domicilii aut quasi domicilii. Quare si aegrotus sit *vagus* quaeritur an regularis ei administrans ista sacramenta incurrat excommunicationem? D' Annibale, *Comm. 145, not. 3*, opinatur, quia - *peregrinorum parochus in eo loco nemo est* -, censuram non incurri. Sed dubito an sit verum, quippe vagus cum indiget munere pastorali, quemdam sortitur pastorem seu parochum loci in quo actu commorantur, aut parochum Ecclesiae Cath. aut matricis, prouti alicubi cautum est. (Cf. Folium S. C. C. in Novarien. *Funerum* 22 Iun. 1895 - per summ. precum). Utcumque censura dubia est *de iure*.

docet etiam *Thesaurus, P. II. v. matrimonia, cap. I.* - *Secundo* quaeritur, an *suspensio* absolute lata, intelligenda sit tum ab *officio*, tum a *beneficio*. Et item, iuxta tradita Vol. III, n. 157, reponimus, suspensionem ita latam, *ab utroque* interdicere; probat etiam *Thesaurus loc. cit.* - Verum Suarez, *De cens. 31, 3, 18,* contra opinatur; quia in genere, suspensio fertur indiscriminatim sive in parochos, sive in sacerdotes, et hinc intelligenda est *de officio sacerdotali*, quod utrisque commune est. Sane, non est spernenda ratio: in praxi Episcopus dabit sententiam *declaratoriam,* edicendo quid afficiat eiusmodi suspensio.

10. Prospicit decori Sacrificii Missae articulus XII eiusd. Const., declarans censuratos excom. simp. P. reservata: « *Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent* ». Articulus excerptus est ex Const. Bened. XIV - *Quanta cura* - et patet hic agi de missis proprie *manualibus* ex vocabulo, *colligentes*, (1) notant Gury-Ballerini *II, 975*, sed alii contra putant (cf. Pennacchi, *Tom. I, pag. 958*) intelligi de *manualibus - late -* dictis, quales sunt missae fundatae, quae tamen possunt celebrari extra locum fundationis, et a quolibet. Nam in casu prohibetur missarum collectio; sane non potuit legislator percellere hac prohibitione

(1) Agitur enim de missis quae non habent certum sacerdotem qui eas, ex fundatione, celebrare debeat, sed eas celebrabit sacerdos ad cuius *manus* perveniunt. Verum dici solet *manualis* missa quae a fideli affertur certi sacerdoti; at hoc est, quasi per *accidens*, quippe missa *fundata* natura sua, est *manualis* si non est adnexa certo beneficio. Quare plane assentimur cl. Pennacchi *l. c.*, qui eas accenset manualibus missis quas, utputa, testator relinquit certo numero a *quolibet* celebrandas quotannis et non determinato loco. - In summa, hic agitur de missis quae vel natura sua, vel ex dispensatione, non habentes neque locum certum neque personam destinatam pro celebratione, obnoxiae sunt condemnatae collectioni et nefando quaestui. (Cfr. apposita responsa *S. C. Concil.* apud *Acta S. Sedis, IV, p. 39; VIII, p. 84*).

illas missas quae colligi nequeunt; quippe beneficio adnexae. Sed nulla probabilis ratio subest excludendi missas *late manuales*, quando de facto sint collectae et ob quaestum faciendum. - Ceterum in iure ullibi definitur, quaenam missae sint *manuales:* quorsum ergo tot restrictiones? Quare non placet sententia D'Annibale *(l. c. n. 139 nota 3)*. - Bened. XIV ad fraudes cavendas in cit. Const. decernit: « non posse alteri sacerdoti missam huiusmodi celebraturo, stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari etsi eidem sacerdoti missam celebranti et consentienti, se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset ». At notat Div. Alphonsus, *VI, 321, Excep. 2*, non incurri poenam, si celebrans *sponte*, atque ideo nullimode *rogatus*, excessum remiserit. Sed res est periculo plena. Item ex verbis textus, nempe " *colligentes... facientes eas celebrari in locis ubi missarum stipendia* " patet, hic non agi de uno paucisque numero stipendiis, sed de copiosa collectione, usu mercaturae, facta, cui aliquis se dedat quasi in suum munus, ad percipiendum verum lucrum. Quare ad incurrendam excommunicationem tria requiruntur:

1) *collectionem facere* copiosam,

2) et cum lucro non *mediocri*. Nam parvitas materiae excusaret. - Locutio autem - *et ex iis lucrum capientes* - inferre sinit, non incurrere censuram, qui lucrum vel nullum, vel fere nullum percipiunt, quamvis *furtum*, (uti cavet Const. *Quanta cura*) ob retentionem rei alienae seu *partis stipendii* sit grave. - Ad haec, lucrum intelligitur quod provenit missas *colligenti* ex eorum *mercimonio;* quare cessat censura si lucrum cedat alii, veluti Ecclesiae aut pauperibus.

3) Non interest vero an Missae committantur celebrandae in *aliis locis*, aut in *ipso loco* collectionis, uti decrevit S. U. I. *die 13 Ian. 1892* « Ad quartum »; dummodo tamen eae celebrari fiant, ubi missarum stipendia *minoris pretii esse solent*, nempe, vel ex *lege*, vel ex *receptis moribus*.

Iam inter Doctores quaerebatur, an censuram incurrerent,

cumulantes ingentem vim Missarum manualium easque vel ipsi, pro quantitate stipendii, commutarent cum mercibus a sacerdote coemptis, vel transmitterent ad negotiatores, qui iisdem uterentur, vendendo merces presbyteris suscipientibus obligationem celebrandi totidem missas, quarum stipendia corresponderent mercis pretio. Inhaerendo textui, haec agendi ratio improbata adhuc et proscripta non videbatur: unde S. C. C. ad tollendos innumeros abusus ex missarum collectione fluentes, earumque mercatura, sub anno 1874, hanc praxim omnino reprobavit (1).

(1) Dubia resoluta haec sunt: « I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis etiam eccles., si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis, eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo, missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt; II. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot missae a memoratis collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis missarum respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur; III. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum, et bonorum operum usum vel incrementum impenditur; IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii qui, acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus aliisque earum collectoribus, sive recipiant sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine; V. An turpi mercimonio concurrant ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve merces, horum pretio sive imminuto sive integro; VI. An liceat Episcopis, sine speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant ». Responsum prodiit: « Ad I. *Affirmative;* ad II. *Negative;* ad III. IV. et V. *Affirmative;* ad VI. *Negative, nisi de consensu oblatorum* ».

Verum ad bonos libros et diaria religiosa evulganda, a S. Poenit. et a S. C. C. nonnulla concessa fuere privilegia et indulta sub certis cautionibus. Processu temporis, salutares dispositiones sive ob nimiam indultorum numerum, sive ignorantia aut malitia penitus neglectas fuisse, patuit; quamobrem *S. C. C. 25 Maii, anno 1893,* Decreto: *Vigilanti studio,* approbato a P. Leone XIII, non solum in plenum vigorem revocavit iam antea statuta anno 1874, sed opportuna insuper sanctione munivit, decernens: « *Praesenti itaque decreto statuunt* (EE. Patres) *ut in posterum, si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae, et ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus, eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat; et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae, Episcopis reservata, obstringantur* ». Advertatur - *clericum sacerdotio nondum initiatum* - praeter *suspensionem,* incurrere *inhabilitatem* ad superiores ordines; quare per absolutionem a *suspensione* non aufertur *inhabilitas.* Inquam - *inhabilitas* - quia ibi non agitur de *irregularitate,* quae, vi sua, teneret etiam sacerdotem.

Deinde inhaerens dispositionibus a RR. PP. Urbano VIII et Innocentio XIII in Const. - *Cum saepe contingat* - alias datis, quibus compescitur negligentia et culpa in curanda celebratione missarum, statuit S. C. C., ut omnes beneficiati et quicumque administratores causarum piarum, in fine cuiuslibet anni, missarum onera quae nondum adimpleta supersint, tradant in manus Ordinariorum, quorum erit per sacerdotes sibi subiectos, aut per alios probe sibi cognitos, curare earumdem missarum celebrationem. Denique ipsum decretum revocavit: *quaecumque indulta et privilegia usque nunc concessa.* - Evulgatum decretum non pauci aegre tulerunt, quorum alii dubia moverunt, an eodem fuissent abrogata omnia privilegia et indulta antea concessa, alii

ad dispensationem impetrandam contra latae legis dispositiones recursum habuerunt. Haec omnia S. C. C. in examen revocavit in plenario conventu *sub die 24 Februarii 1894*, et reposuit *indulta omnia et privilegia revocata fuisse; singulis vero gratiam postulantibus, provisum iri in singulis casibus, iuxta mentem S. C. C.* (Conf. *Acta S. Sedis vol. 26, pag. 56 et 533*). Quod decretum, rogante S. C. de Prop. Fide Praefecto, extensum fuit ad Ecclesiam Orientalem (1).

11. Sedulo Const. *Ap. Sed.* tuetur Ordinis Sacri rectam administrationem; unde in male ordinantes et ordinatos infligit *l. s.* suspensiones Rom. Pont. reservatas. - Sane, inter suspensiones *l. s. R. P. reservatas*, hanc decernit sub n. II, nempe: « *Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrunt, aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta* ». In genere advertatur:

1) Iure hodierno *titulum* requiri in suscipiendis *sacris* ordinibus tantum; quum antiquitus seu iure vetere, requirebatur titulus etiam pro ordinibus *minoribus*, quod probat Gasparri, *De sacr. ord.* (I, 594 seq.).

2) Quando vero in eiusmodi decretis sermo habetur de ordinibus certo modo conferendis, comprehenduntur ordines etiam minores, sed excluditur tonsura, quae non est ordo.

3) Tamen si Episcopus sit suspensus *a pontificalibus*, prohibetur etiam *tonsuram* conferre; quia hoc pertinet ad *ordinem pontificalem*. Cf. D'Annibale *Comment.* § *191, not. 1.*

(1) Consuli debent celebria decreta, ex consulto S. Cong. Concilii edita per bullam ab Urbano VIII *die 21 Iun. 1625* quibus, sub censuris ipso iure incurrendis, sed hodie antiquatis, saeculares Ecclesiarum Rectores iubentur plura cavere pro exacta onerum Missarum executione, idemque praecipitur Rectoribus Regularibus, comminatis poenis privationis vocis activae, officiorum, beneficiorum; nec non inhabilitatis ad eadem. Haec decreta confirmavit et ampliavit Inn. XII Const. *Nuper, 23 Decemb. 1697.*

4) Denique quae fertur in male ordinantem *suspensio a collatione ordinum*, prohibet ab *omnium ordinum* collatione; dum in male ordinatum lata suspensio *ab exercitio* ordinum, prohibet tantum a *male suscepto* ordine exercendo. Cf. D'Annibale, *l. cit.* .

12. In cap. 45 *De sim. X*, (V, 3) Greg. IX suspensionem inflixerat etiam in ordinatum absque titulo, qui promiserat se non expostulaturum alimenta; at haec suspensio, quia Const. *Ap. Sed.* eam praeterit, cessavit. Verum Episcopus, pacto non obstante, arg. *c. c. 4 et 16 De praeb. X*, (III, 6) tenetur clerico subministrare congruam sustentationem, quoadusque hic non consequatur beneficium sufficiens, vel officium obtineat ab Ecclesia, vel bona ipse habeat ex suo patrimonio familiari, unde vivere possit honeste, arg. *cap. 4, De praeb.* Haec obligatio Episcopo imposita in bonum ordinis clericalis, ne scilicet clerici cogantur mendicare, est obligatio quae afficit mensam quoque episcopalem, sed *subsidiarie* quoad obligationem Ordinantis principalem; et haec sane perdurat etiam demortuo Episcopo male ordinante. Quare si Episcopus male ordinans renunciet Episcopatui, etiam post dimissam sedem, ipse tenetur alere clericum male ordinatum, prouti Fagnanus probat in *cap. 16, De praeb.;* vel si demoriens, haeredibus bona relinquat, uti probat Fagnanus, *l. c. n. 40*, est in optione clerici alimenta expetere vel ab haeredibus, vel a mensa Episcopali; quae proinde suppetias ferre debet huic clerico, aliis deficientibus; siquidem qui Ecclesiae *seu altari inservit, ex altari vivere debet.* In hypothesi vero qua nullum intercesserit pactum, Episcopus ordinans absque titulo beneficii aut patrimonii, suspensionem non incurrit, at obligationem contrahit alendi clericum.

Nihilominus si clericus titulum beneficii aut patrimonii falso confixerit, adeo ut Episcopum ordinantem fefellerit, hic, quum vacet culpa, non tenetur nec suspensione, nec clerico alimenta praebere: quia « *rem quae culpa vacat, in damnum vocari*

non convenit » *ex cap. 2, De Const.* X (I, 2); sed clericum suspendere potest ab ordinis exercitio, quousque congrue provideatur. Verum si alius est in culpa, vel patronus qui praesentavit, vel Episcopus Coadiutor, Auxiliaris, qui ordinavit, isti tenentur alimenta praebere. Quod si tum Episcopus ordinans, tum patronus praesentator fuerint in culpa, praesentator, in primis, hoc onus habet, quia ipse praesentans censetur spondere pro praesentato; sed Episcopus huic oneri subrogatur, cum praesentator clericum alere nequit.

Praeterea ea articuli verba - *absque titulo* - efficiunt, ut ordinans effugiat *poenam*, si ordinaverit *cum titulo* quamvis non undequaque sufficienti; iuxta regulam iuris (1); siquidem in poenalibus quod minimum est, sequimur. At superest obligatio supplendi reditus deficientes.

Hoc de *clericis laicis;* de *religiosis* ordinatis absque legitimo titulo, decernit sub n. IV, Const. *Ap. Sed.:* « *Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo* ». Proinde Episcopus, si clericus religiosam vitam derelinquat, ceteris paribus, teneri potest ad congruam huius clerici sustentationem. Cf. Decretum S. C. EE. et RR. *4 Nov. 1892;* et Instructionem Cong. de Prop. Fide, *De titulo s. ordinationis,* editam *die 17 Apr. 1871.*

13. Quia Episcopus graviter delinquit, ordinans alienum subditum absque litteris dimissorialibus, Const. *Ap. Sed.* confir-

(1) Quia in Gallia in sacris conferendis ordinibus, mos invaluit non exquirendi *titulum*, quaerunt DD. an haec consuetudo legitima dici valeat; et affirmat Bouix *De Episcopo*, p. V, cap. 15, § 8; negat Gasparri, *De sacr. ord.* I, n. 614. - Verum sacerdotibus indigentibus prospicitur *par les caisses de retraite, les caisses diocésaines,* et Episcopi a S. C. C. obtinere solent indultum ordinandi absque titulo.

mans poenam iam antea latam in Decretalibus, et a Trid. *Sess. 23, c. 8, De ref.* sub n. III, decernit: « *Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrant, ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus.....* ». Ad intelligentiam *art.* haec teneantur. Iuxta SS. Canones quis fit subditus, ad effectum ordinationis, aut ratione *originis*, aut ratione *domicilii*, aut ratione *familiaritatis*, aut ratione *beneficii*. Quia isti duo postremi tituli pendent a voluntate Episcopi, ius cavet ne exinde fraus suboriatur; quamobrem heic prohibet ne quis fiat subditus ratione *beneficii* non *sufficientis*, ad congruam nempe sustentationem; et Innocentius XII in const. *Speculatores*, decrevit in propositum: « *Sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii, cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in ea, vel quavis alia dioecesi obtineret* ».

Const. *Ap. Sed.* praeterea statuit sanctionem suspensionis etiam adversus ordinantes proprios subditos absque testimonialibus litteris Ordinarii loci, in quo tanto tempore isti commorati sunt, ut contrahere potuerint impedimentum, decernens in *part. secunda cit. art....* « *vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus* ». Quare haec Const. limitavit ad *unum*, quamvis genericum casum, censuram suspensionis quae in Const. *Speculatores* respiciebat plures et determinatos casus, scilicet commorationis habitae vel in loco originis, vel domicilii, aut in loco *accidentalis* nativitatis; quam normam si transgrederetur ordinans, *ipso facto* suspensus erat per annum a *collatione* ordinum; ordinatus vero ab exercitio ordinum male susceptorum tamdiu, quamdiu *proprio* Ordinario videbatur expedire. At hodie ordinatus nullimode censura tenetur, ordinans in casu tantum a

Const. *Ap. Sed.* expresso (1); quocirca iste ad effugendam censuram ita se gerere debet.

In primis, litteras testimoniales ordinans exquirere debet ab ipso Ordinario loci in quo commoratus est promovendus, nec sufficiunt litterae testimoniales Moderatorum Collegii, aliorumque, apud quos idem promovendus moratus sit; uti pluries decidit S. C. C. et confirmavit in Parentina S. C. C. *die 14 Iulii 1894;* edicens testimoniales petendas esse ab Ordinario loci, in cuius seminario ordinandus commoratus sit per id tempus.

Ad dimetiendum quodnam sit tempus commorationis adeo productae, ut exquirantur litterae testimoniales, haec regula indiscriminatim traditur a Doctoribus, uti videre est apud Santi, *Tit. De temp. ord. in Appendice:* nimirum tempus considerari commorationis saltem *sex mensium;* uti in matrimoniis fieri publicationes debent in loco ubi nupturientes ultra semestre commorati sunt, nempe *pro statu libero comprobando.* Et haec est sententia tutior et verior, uti censet D'Annibale, *Comm. n. 201,* quia in *re iuridica* res pensari debet *morali modo,* et ex ordinarie contingentibus. - Sed pro casu speciali, etiam quatuor menses constituere possunt tempus notabile, quod in aliquo casu expresse a iure edicitur, uti considerat Avanzini, de commoratione clericorum exterorum in Urbe: *Comm. n. 55.* Item ob mutatas temporum conditiones, quibus facilius est hinc inde mutare commorationis sedem; et hoc maxime fieri contingit a iuvenibus militaria stipendia merentibus; iam S. C. super Discip. Reg. *die 27 Novembris 1892,* constituerat, requiri litteras testimoniales ab Ordinariis, in quorum dioecesibus promovendi *per tres menses* commorati essent; et hoc ad clericos laicos extendit S. C. C.

(1) Nam ante Const. *Ap. Sed.,* ex praescriptionibus Const. *Speculatores,* non erat satis certum, an, praeter casus taxative expressos in hac Const. requirerentur, in genere, litterae testimoniales Ordinarii loci, ubi ordinandus per notabile tempus, quacumque ex causa, commoratus fuerat. Item iurisprudentia S. Con. C. non semper constans fuerat.

die 9 Sept. 1893 in Firmana; iterumque confirmavit in Urgellen. *die 26 Ianuarii 1895;* (1) statuens, supplendum esse *per iuramentum suppletorium*, non secus ac fit ad probandam status libertatem pro matrimonio ineundo, quando testimoniales repeti non valeant. Quae decisio est sane magni ponderis, at non secus ac antea, a S. Officio expostulanda est pro singula dioecesi facultas deferendi iuramentum *suppletorium*. Sed haec statuta sunt, in primis, pro eis qui militari servitio addicti fuerint. - Consideratur vero commoratio, quam quis habuit *post septennium*, etiam *ante pubertatem*. Equidem, *ordinario*, tantum *puberes*, censuras aut irregularitates contrahere valent; attamen etiam impuberes ex suis moribus ostendunt suum ingenium, ido-

(1) In cit. Urgellen. haec proposita sunt dubia: « I. *Utrum in omnibus prorsus casibus ad ordinandum subditum proprium necessariae sint litterae testimoniales* OMNIUM EPISCOPORUM *locorum, in quibus moratus fuerit, vel relinqui possit prudenti arbitrio Episcopi proprii, attentis circumstantiis subditi ordinandi.* II. *Utrum Episcopus ordinans subditum proprium absque hisce litteris testimonialibus alieni Episcopi, in omnibus prorsus casibus incurrat ipso iure suspensionem per annum ab ordinum administratione.* III. *Utrum sufficientes censendae sint litterae testimoniales alieni Episcopi, quando testatur nihil constare de ordinando, eo quia nemo sit qui de ordinando testimonium ferre possit, cum sit, ut iudicatur, omnibus ignotus.* IV. *Utrum in casu sufficiat apponere ad valvas palatii Episcopalis litteras Episcopi dioecesani, praecipientis omnibus et singulis eas inspecturis, ut ostendant, utrum ipsis constet de aliquo canonico impedimento ordinandi* ». Et responsum prodiit: « *Pro clericis ordinandis iam militiae addictis, sub poena a Const.* Apost. Sedis *comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii, in cuius dioecesi per trimestre commorati fuerint; et quatenus Ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede, provideat per* IURAMENTUM SUPPLETORIUM ». Haec facultas, uti patet ex tenore petitionis et responsionis, implorare expedit etiam pro clericis militiae non addictis, tamen quoad commorationem saltem *semestralem*. - *Ordinarii* nomine intelliguntur, in genere, Praelati, iuxta rescriptum S. Officii *20 februarii 1888*. - Testimoniales autem requiruntur etiam pro conferenda *prima tonsura:* S. Cong. Concil. *11 iun. 1881.*

neum aut non idoneum sacris ordinibus. Ita intelligendus *Honorante, cap. IX, not. 10.*

Verum advertatur, inter impedimenta ad sacram ordinationem, alia sunt quae contrahuntur in loco originis, vel domicilii; alia quae contrahi possunt in quovis commorationis loco, ut patet ex horum elencho apud Monacelli, *Formularium legale practicum. - De Coll. Ord. form. 1.*

Ad haec, ex Concil. Trid. *sess. 6, cap. 5 De ref.:*

a) qui ordinat sive suum subditum sive alienum in dioecesi alterius, sine eius Ordinarii expressa licentia, suspenditur ab exercitio Pontificalium;

b) ex *sess. 14, cap. 2, De ref.* Episcopi titulares si quem ad ordines, vel primam tonsuram promoverint, suspenduntur *per annum* ab exercitio Pontificalium;

c) ex *sess. 23, cap. 10, De ref.* Vicarii Capitulares qui dimissorias ad ordines, infra annum a suscepto Vicariatu, concesserint *non arctatis ad ordines,* incurrunt suspensionem *ab officio et beneficio per annum.* Cf. in Vol. III, Allegatum V, p. 588. - Ordinantes vero qui delinquant conferendo ordines non servatis interstitiis, vel non habenti legitimam aetatem pro ordinibus maioribus, hodie non contrahunt aliquam *l. s.* poenam.

14. Hactenus de ordinantibus; quoad vero male ordinatos:

1) ex Trid. Conc. *s. 23, c. 8, De ref.* incurrunt susp. *ad beneplacitum* sui Ordinarii, clerici qui ab *alieno* Episcopo ordinantur absque litteris dimissoriis et testimonialibus; et ex *s. 23, c. 10,* clerici *non arctati,* ordinati *in maioribus* cum dimissoriis Vic. Cap. - Item clerici ordinati *per saltum; s. 23, c. 14.* - Ordinati a *suo* Episcopo in *aliena* dioecesi, absque debita licentia, suspensionem incurrunt R. P. reserv., ex *s. 6, c. 5.*

2) Ex Const. *Ap. Sedis* art. VI: « *Incurrunt suspensionem S. P. reservatam, praesumentes ordinari ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuncialis aut ab haeretico, vel schismatico notorio; eum vero qui bona*

fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus ». Veteris iuris regula fuit, ordines susceptos ab eo qui ordines exercere non valebat, esse valide collatos, sed ab ipso ordinato exerceri non posse, ne ordinans videatur in alium plus iuris transferre quam ipse haberet. Sed *hodie* haec regula applicatur tantum in casu relati *art.* - *Praesumere* autem ille dicitur qui *mala* fide ordines suscepit; et tunc suspensio incurritur sua natura perpetua, seu nisi dispenset S. Pont. - Ex adverso, qui *bona fide* ordines ita suscipit, non habet *ordinis suscepti exercitium* (1), *donec dispensetur*, nempe *ab Episcopo suo*, secus nullum sensum haberet haec addictio; et expresse hoc edicunt c. c. 1, 2 *De ordinat. ab Episcop. qui renun. X* (I, 13) ad quae capita videtur se referre articuli dictio. - Item *ex cit. cap. 2*, addiscimus in casu bonam fidem censeri, etsi aliquod subsit dubium, dummodo non *crassa et supina fuerit ignorantia* (2).

15. Demum ordinantes et ordinatos tenet censura in Const. sub n. VII seq. ita comminata: « *Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio, quam ab ipso suo Ordinario, absque licentia Card. Urbis Vic. vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario, postquam in praevio examine reiecti fuerint: nec non clerici pertinentes ad aliquem ex sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis, ante ordinem*

(1) Quare data *bona fide*, quis non fit *proprie suspensus*, neque est *irregularis*, si ministret, sed violat simplicem prohibitionem. Thesaurus II, *v. Ordo, cap. 24.*

(2) Praeterea ex Const. *Ap. Sed.* sub n. V, *inter susp.* decernitur: « *Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes* » et hanc suspensionem explicavimus agentes *de apost. a Religione*, Vol. III, n. 326.

sacrum suscipiendum, exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum e Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes, ab usu Pontificalium per annum ». Dispositiones huius articuli sunt desumptae ex edicto Card. Vicarii, edito iussu Clementis VIII, *24 Nov. 1603*, declarato ab Alexandro VII, *15 Maii 1664* et in usum restituto, addita nova poena interdicti, a Bened. XIV, *an. 1743*. Hoc ius dici potest potius singulare dioecesis romanae; quamobrem clerici *exteri* qui Romae commorati sunt saltem per quatuor menses, atque ibi adhuc commorari velint, obtentis dimissoriis a *proprio* Episcopo, nequeunt extra Urbem ordines suscipere absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto; imo neque a *proprio* Episcopo, si in eo examine reiecti fuerint. Sensus vero huius praecepti est, Episcopum intelligi *proprium* per aliquem ex quatuor titulis, unde quis sortitur Episcopum *proprium;* et examen faciendum esse coram Card. Vicario, quotiescumque clericus ordinari debeat ab Episcopo non *proprio;* a quo proinde ordines conferri non valent, nisi accedat licentia Card. Vicarii et examen praecesserit: haec *duo* nempe *cumulative* expostulantur, non *disiunctive*, prouti insinuare videtur particula *vel*. At Episcopus *proprius*, dummodo non agatur de iam reiecto a Card. Vicario, ipse ordinandi excipiet examen. - Cf. Pennacchi *h. l.* II, p. 417 seq. - Equidem haec non pertinent ad Regulares, nec ad eos qui a *proprio* Episcopo ne tonsuram quidem receperunt, ut opinatur D'Annibale *loc. cit.* Quamobrem haec teneantur:

1) Nomine exterorum clericorum veniunt illi, qui non pertinent ad romanam dioecesim, neque ad sex dioeceses suburbicarias.

2) Cadunt sub hac dispositione *commorantes ultra quatuor menses in Urbe*, tamen commoratione perdurante; nam si quis, postquam commoratus fuerit per quatuor menses Romae, inde discedat non amplius reversurus, valet ab alio Episcopo

ordinari, vi litterarum dimissorialium; quamvis in examine coram Vic. Cardinali reiectus fuerit; quod solide probat Pennacchi *h. l.* II, p. 424: aliis tamen servatis praescriptionibus tantummodo iuris communis. Caetera nulla indigent explanatione.

3) Altera articuli pars spectat *exclusive* ad *clericos suburbicarios;* qui si ordines suscipiant extra suam dioecesim, ordinari non possunt nisi a Card. Urbis Vicario, et nisi praemissis spirit. exercitiis, ante *ordines sacros* suscipiendos; ita cavet textus ad excludendos minores. - Quia vero res est de clericis ordines suscipientibus *extra suam dioecesim*, ergo *in sua dioecesi* istos suscipere valent vel a proprio Ordinario, vel a Suffraganeo Episcopo, vel ab alio Episcopo, cui facta sit licentia ab Ordinario, ad normam iuris communis. - In Urbe autem Episcopus suburbicarius non peccat in hanc legem, si in privato Sacello tonsuram conferat, quia non est ordo; et quia in textu agitur de *clericis*, seu de iam tonsuratis: cf. Pennacchi l. c. p. 421.

4) Suspensionem *ab usu Pontificalium* per annum incurrunt Ordinarii, qui *clericos suburbicarios* aut *exteros* Romae commorantes ordinant contra praescriptum huius articuli (1).

Ad ultimum, suspensiones *l. s.* in Const. *Ap. Sed.* inflictae omnes sunt reservatae Rom. Pontif.

(1) Suspensio vero *ab usu Pontificalium* aperte significat suspensionem *ab insignibus Pontificalibus* (cf. vol. III, n. 160); et hinc probabilior est opinio quae tenet, hanc suspensionem non incurrere Episcopum qui primam tonsuram confert absque insignibus pontificalibus, uti docet Giraldi, II, *Sect. 21, not. 2.* - D'Annibale *h. l. n. 209* ait: « *Pontificalia accipere debemus quae consistunt ex potestate* ORDINIS *episcopalis; atque ideo violat suspensionem, qui confert* TONSURAM, *etsi privatim eam conferat* ». Sed textus expresse loquitur *de usu pontificalium*, non *de ordine pontificali;* et D'Annibale non sibi consentit cum his quae tradit *Summ. I, n. 381;* quare eius sententiam non sequimur. - Item quaestionis est, an haec suspensio *ad annum* sit censura, et tunc fiat *irregularis* qui illam violat. Iuxta tradita Vol. III, n. 225, nos censemus irregularitati locum esse: at negat D'Annibale *Comm. l. cit.;* utcumque versamur *in dubio iuris.*

Caput II.

DE SIMONIA A COLLATIONE ET USU RERUM SACRARUM ARCENDA.

Summarium. — 16. De poenis latis in simoniacos. — 17. Conceptus simoniae, cuius definitio explicatur per partes. — 18. Potissimum explicatur obiectum simoniae. — 19. Simonia alia *iuris divini*, alia *iuris ecclesiastici*. — 20. Quaenam sint res spirituales a quibus arcenda est simonia. — 21. Simonia, sive divini sive humani iuris, est aut *mentalis*, aut *conventionalis*, aut *realis*, aut *mixta*. - *Conventionalis* simoniae species est *confidentialis*. Quomodo haec consistat in pactis *reservationis*. — 22. Quid speciale habeat quoad poenas incurrendas. — 23. Utrum redimere vexam prohibitum sit et quando *iure divino*. — 24. De *mercede* praestita pro *labore* ministerii sacri, aut pro *ope* ab amicis interposita qua utimur ad res sacras consequendas. — 25. In permutandis rebus spiritualibus inter se non admittitur simonia; at simonia *iur. eccles.* committitur aliquando in permutandis rebus temporalibus spiritualibus adnexis. — 26. Quando bonum spirituale et temporale uni eidemque accedit, simonia non committitur. — 27. Ex *propositionibus* 45-46 ab Inn. XI damnatis sequitur, committi simoniam quum temporale datur tamquam *motivum*, aut tamquam *gratuita compensatio*, aut temporale est *finis* ipsius rei spiritualis. — 28. Explicantur principia quae moderantur simoniam *iuris eccles.*; et haec est vetita *quia prohibita*, et hinc in casibus tantum expressis. — 29. An adhuc et quomodo vetitum sit aliquid excipere ab ingressuris statum religiosum. — 30. Ad sim. *iur. eccles.* pertinet titulus: *De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi*, et alius titulus subsequens. — 31. De poenis in simoniacos in genere. — 32. In specie, de poenis in reos simoniae *realis in beneficiis*. — 33. De poenis in reos simoniae *confidentialis*. — 34. De poenis in reos simoniae *ob ingressum in Religionem*. — 35. Rei simoniae quando sint infames infamia iuris. — 36. De restitutione vel abdicatione pretii simoniaci.

16. Quia res sacras sacrilege offendunt simoniaci, exinde ipsa Const. *Ap. Sed.* confirmavit excomm. *l. s.* simp. Papae reservatam, sub n. VIII latam in « *Reos simoniae realis in bene-*

ficiis quibuscumque, eorumque complices »; sub n. IX in « *Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis* »; sub n. X in « *Reos Simoniae realis ob ingressum in Religionem* ». Praeterea sunt aliae plures poenae quas suo loco explicabimus (1).

17. At, in primis, criminis simoniae praemittenda est notio. Simonia definitur: « *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali adnexum* ». Dicitur: « *studiosa voluntas emendi vel vendendi* », siquidem simonia, qua est crimen, consistit in permutatione rei spiritualis cum temporali; proinde emptio et venditio in definitione assumitur uti genus, ad significandas omnes species contractus onerosi; propositum autem delinquendi appellatur *studiosa voluntas* quia simonia, uti vitium, residet in *voluntate* (2), et haec definitur *studiosa* seu *deliberata* ad crimen patrandum; quippe, uti explicabimus, sunt tituli *iusti* ob quos licet dare temporale propter spirituale, seu *occasione* rei spiritualis, sed non in permutationem unius cum altero. Etenim, suapte vi, haec conventio est simoniaca, quando perficitur a voluntate, quae *studet* comparare temporale quasi pretium cum spirituali quasi merce. « *Pretio temporali* » quod pretium triplex distinguitur iure canonico, iuxta sententiam *can. 114, caus. 1, q. 1*, Gregorii M. aientis: « *Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio inde-*

(1) Etiam in vetere testamento reprobantur huius criminis rei, veluti *Num. 22*, ubi Balaam ad munus prophetandi vendendum sollicitatur; *3 Reg.* ubi Ieroboam misit uxorem ad Abiam prophetam cum muneribus, ut indicaret sibi quid futurum esset de infirmo filio; et *4 Reg.* 5, ubi Giezi famulus Elisei Naam Syro sanitatem divinitus datam vendidit. Inde nonnulli DD. ab hisce nomen derivarunt reorum huius criminis, veluti dicti sunt Giezitae; sed a Simone Mago potissimum tantum facinus nuncupandum erat.

(2) Hoc exprimi debebat, ne simonia, quod nonnulli volunt, haberetur uti species haeresis; haeresis autem est error in intellectu.

bite impensa. Munus a manu pecunia est. Munus a lingua est favor ». Nam tum obsequium, tum favor, sunt res pretio aestimabiles. Nihilominus non refert quod temporale quasi pretium rei spiritualis, sit res pecuniâ aestimabilis, an minus; dummodo reapse sit *aliquod temporale bonum*. - « *Aliquid spirituale vel* (temporale) *spirituali adnexum* ». Quae verba sunt sedulo attendenda et intelligenda, cum contineant distinctionem in hac materia principalem, quae determinat obiectum simoniae.

18. Etenim, ob conditiones rerum in hoc mundo, bona etiam spiritualia quae, naturâ suâ, constant tantummodo re spirituali, veluti gratia sacramentalis, absolutio a peccatis, iurisdictio ecclesiastica, tamen ista dum homini ministrantur, eique participantur, non sunt omnino disiuncta a rebus temporalibus, prouti in homine anima vires non exerit suas absque corpore. Iamvero res temporales sunt pretio aestimabiles, et per se sunt in commercio, a quo fiunt alienae, si ita absorbeantur in natura rerum spiritualium, ut fiant quasi *accessorium*, non consistens absque *principali*. - Verum haec unio inter res spirituales et temporales diversimode fit: quare res temporales dicuntur adnexae spiritualibus, vel *concomitanter* vel *consequenter*, vel *antecedenter*. - Equidem temporalia sunt adnexa *concomitanter* spiritualibus, quatenus haec exerceri non possunt ab homine, quin aliquis labor sustineatur, vel tempus absumatur, et alia id genus impendantur ab homine in sacris ministrandis. Quare ulterius distincta sunt adnexa *concomitanter intrinsecus*, quae nempe intrinseca necessitate coniuncta sunt spiritualibus, sine quibus haec fieri nequeunt; sunt vero adnexa *concomitanter* EXTRINSECUS quae per accidens, non per se, adnexa sunt rei spirituali, uti cantus in solemniori Missa, longius iter assumendum ut adeatur locus celebrationis.

Consequenter temporalia dicuntur adnexa, quae spiritualem rem tamquam causam et formam supponunt, veluti ius perci-

piendi decimas, ius percipiendi fructus beneficiales, ius sepulturae ecclesiasticae.

Antecedenter res temporalis spirituali adnexa est, quae praeexistit, et habetur tamquam fundamentum sustentans rem spiritualem, veluti templum, calix, vestis, et quaecumque res sacra addicta cultui divino, at praecedens, in sua materia, benedictionem, consecrationem aut destinationem ad cultum divinum.

19. Obiecto simoniae ita explicato, facile intelligitur, quomodo haec sit alia *iuris divini*, alia *iuris humani*. seu *ecclesiastici*. Nam quotiescumque inest voluntas comparandi pretio temporali aliquam rem spiritualem, sive haec rei temporali adnectatur, sive per se consistat, veluti ipsa potestas iurisdictionis *ordinariae* aut *delegatae*, tunc habetur simonia *iuris divini;* quippe haec est intrinsece mala, seu *vetita quia mala*. Ex adverso, si fiant permutationes rerum spiritualium temporalibus adnexarum, vel si pacta adnectantur in suscipiendis aut renunciandis, aut conferendis rebus spiritualibus rei temporali adnexis; haec pluribus in casibus et nonnullis sub conditionibus fieri prohibentur per *ius ecclesiasticum*, quippe praeseferunt suspicionem, vel labem simoniae. Porro, circa res temporales spiritualibus adnexas, nemo non videt, posse fieri permutationem animo deliberato non emendi vel vendendi pretio temporali quod est spirituale, sed quod temporale est. Verum quisque sanus percipit, perquam periculosum esse inire contractus de hisce rebus, cum vix labes simoniaca effugi possit in huiusmodi peragendo commercio. Quamobrem Ecclesia, ad profligandam in Ecclesia etiam simoniae suspicionem et labem, vetuit pluribus in casibus, sub prohibitione simoniae *iuris ecclesiastici*, permutare inter se res temporales spiritualibus adnexas, vel pacta adiicere in eisdem dandis aut accipiendis. Haec est ratio distinctionis simoniae iuris *humani* et *divini*, ita ut semper adsit simonia iuris divini, quotiescumque temporale pro spirituali permutetur; at simonia obstat iuris ecclesiastici, seu in foro Ecclesiae, si permutentur pretio temporali res

temporales, spiritualibus adnexae, in casibus a iure prohibitis. Et dixi *in foro Ecclesiae*, seu de *praesumptione iuris;* nam si quis in huiusmodi peragendis permutationibus, vere, intendat spirituale, pretio temporali emere, vendere, committit iuris divini simoniam. - Ceterum simoniae crimen versari potest circa omissionem. Veluti si quis renuat absolvere poenitentem rite dispositum, vel solvere a censuris, dispensare a votis; et haec omittat quia mercede accepta, ista non facere se obligavit, certe patrat simoniam. Nam hic actus omissionis secumfert decretum auctoritatis legitimae, qua alius persentit effectus iuridicos (1).

20. Sed videndum est quaenam dicantur, ex subiecta materia, res spirituales. Nam adsunt *in rerum natura* res spirituales, a Deo auctore naturae provenientes, et haec bona sunt intellectus et voluntatis naturalia, veluti, scientia, institutio, educatio, et has pretio sibi acquirere simoniacum non est. - Spirituales vero res *supernaturales*, ad sanctificationem nempe hominum a Christo Iesu vel ab Ecclesia comparatas, has emere, vendere pretio temporali, simonia est. Equidem sunt altioris ordinis, et comparari non possunt, quasi *merces*, cum rebus naturalibus, quasi *pretio*. Hae res sunt. ex. c. sacramenta, absolutio a censuris, voti relaxatio, legum ecclesiasticarum dispensationes, sacramentalia, ecclesiastica beneficia, officia, dignitates. Quorum omnium theologi solent triplex genus distinguere; ut aliqua sint *sancta formaliter*, quae suapte natura sancta sunt, ut gratiae gratis datae, Reliquiae SS.; *sancta causaliter*, quae sint ordinata

(1) Docet D'Annibale III n. 98, not. 19 esse simoniacum Seio pecuniam dare, ne concurrat ad beneficium; et dicit: « Quid si inter Seium et Titium convenerit, ne ille concurrat in praesenti electione cum isto, et iste non concurrat in futura cum illo? Etenim uterque videtur parare sibi viam ad beneficium obtinendum. Pasqualigus putat simoniacum non esse; *verum opinio singularis est, et contra communem*, ait Croix 142. Sed forte *heic* non est improbabilis; utrinque enim ius quasi spirituale, et propter spirituale renunciatur ».

ad sanctitatem pariendam, ut sacramenta et sacramentalia; *effective* vero *sancta* vocentur, quae sunt effectus et usus sacrae potestatis, scilicet actus ordinis seu iurisdictionis.

21. Simonia autem tum divini tum humani iuris, ex modo quo perficitur *externe*, subdividitur:

1) in *mentalem*, quae animo deliberatur, et externe significatur per simplicem dationem aut acceptionem rei spiritualis aut temporalis, cum occulta tamen intentione simoniaca, sed quae in pactum non traducitur (1);

2) *in conventionalem*, si pactum ultro citroque initum, executioni demandatum non fuerit;

3) *in realem*, si ex utraque parte pactum sit adimpletum, saltem per partialem rei conventae praestationem;

4) *in mixtam*, si una ex parte tantum pactum sit adimpletum, saltem partim.

5) Demum species *simoniae mixtae conventionalis*, est *simonia confidentialis*, quae versatur *exclusive* circa beneficia ecclesiastica; et committitur, quando beneficium ecclesiasticum alicui *canonice* procuratur, nempe vel praesentatione, vel institutione, vel electione, vel libera collatione, vel renunciatione, vel cessione; sub eo pacto *expresso* vel *tacito*, ut idem beneficium vel per renunciationem ipsius beneficiati, aut per canonicam institutionem, quum beneficium vacare contigerit, *idem*, inquam, beneficium ipsi paciscenti, vel alteri benevisae personae, obtinere contingat. Idem iuris est, si reservatur non ipsum beneficium, sed portio eius fructuum, seu pensio. Huiusmodi pacta specialiter proscripta fuerunt in Const. Pii IV *Romanorum Pontificum;* et Const. S. Pii V *Intolerabilis.*

(1) Simonia enim quae *mente* tantum retinetur, ne concipi quidem potest, quatenus est *crimen;* cum simonia consistat in rerum permutatione; proinde, saltem ex una parte, incoepta. Intentio autem seu *deliberatio* patrandi simoniam, potest esse pure *mentalis*, sed tunc est simplex *peccatum*, non *crimen.*

Ista pacta triplici vocabulo distingui solent. Fit pactio *accessus*, cum quis patronus aut elector, volens beneficium obvenire Titio, in praesentiarum inhabili, vel ob defectum aetatis, vel alia de causa, ad illud interea praesentat aut eligit Caium, aut huic conferri sinit vel studet, ea conditione, ut hic opportuno tempore beneficium resignet, et ita a determinata persona obtineatur ad beneficium *accessus*, seu praesentatio aut electio.

Pactum, seu reservatio *ingressus*, interponitur quando quis aut praesentatus aut nominatus ad beneficium, ius haberet ad *institutionem*, aut iam *institutus*, admitti deberet ad *possessionem* capiendam beneficii ei collati, cui interim renunciat, ut alii conferatur illud beneficium, quod opportuno tempore, cum vacaverit aut per mortem aut per renunciationem etc., sibi aut alteri conferendum sit. - *Ingreditur* sane quis beneficium, quum illud assequitur per collationem liberam, per institutionem post nominationem patroni, vel etiam per confirmationem electionis. *Ingressus* vero perficitur per captam *possessionem*. Unde reservatio *ingressus* fit etiam a collatore, qui cuidam confert beneficium eo pacto, ut iste renunciet et alius *ingrediatur*.

Demum ex pacto *regressus*, quis beneficio legitime assecuto et possesso renunciat, ut interim alii conferatur ea conditione, ut illud vacans aut per mortem aut per renunciationem, sibi aut alii iterum plene habendum et possidendum conferatur. Ita in beneficium habetur *regressus*. - Ita nos interpretati sumus has celebres species reservationis nempe *accessus, ingressus*. et *regressus;* sed DD. plurimum variant in assignandis terminis harum reservationum; sed differentia est *accidentalis;* quia substantia haec est; nempe Pium IV sua Const. § 3 prohibuisse eiusmodi pacta adiecta sive a patrono, sive ab electore, sive a collatore, sive a beneficiato, qui beneficium alteri procurare potest per renunciationem beneficii plene, aut non plene assecuti; et haec pacta prohibuisse quia afficiunt directe beneficii assecutionem, quae fit sub quadam reservatione iuris

in ipsum beneficium, sive favore ipsius paciscentis, vel alterius personae paciscenti benevisae.

Eadem ratione proscribuntur reservationes *pensionum* seu fructuum beneficii, qui ex pacto vel ipsi paciscenti, vel alii a beneficii possessore tribuendi sunt.

22. Patet quod etiam haec species simoniae conventionalis, potest esse *realis* aut *mixta;* sed singulare est, ut incurrantur certae poenae, cum pactum simoniacum executioni demandari coeperit, nimirum per beneficii collationem, quamvis pactum ex altera parte non sit impletum, veluti per pensionis solutionem; vel adimpleri adhuc non possit, nempe per renunciationem. E contra, in aliis speciebus ad incurrendas poenas, requiritur ut conventio utrinque acceptata saltem partim, utrinque, executioni iam demandata sit, seu sit *realis.*

23. Ex dictis infertur, simoniam *iuris divini* semper prohibitam esse, nec admittere materiae parvitatem; quia malitia non est *in pretio* permutationis, sed in ipsa *studiosa voluntate* permutandi. Simonia autem *iuris eccles.* admittit materiae parvitatem, et per contrariam consuetudinem lex prohibitionis auferri valet, nam *improprie* simonia est. Verum adsunt non paucae quaestiones quoad nonnullos casus, quum dubium sit an simoniam *iuris divini* contineant. In genere hoc teneatur principium: videlicet, ad hanc incurrendam simoniam, opus esse ut ex uno latere aliquid spirituale, ex altero temporale aliquid veniat in permutationem.

Quo principio dissolvitur, aliunde difficillima quaestio, an possit aliquo pretio redimi iniusta *vexatio* (1), seu utrum possint e medio tolli iniusta impedimenta opposita ab aliquo ad assecutionem, vel detentionem alicuius iuris spiritualis, eidem vexanti aliquod tribuendo pretium. - Revera cum primis adver-

(1) « *Vexare* (ait D'Annibile *l. c.* n. 100) *est alicui esse infensum, (sive faciendo sive omittendo) ne aliquid retinere vel obtinere possit, seu spirituale seu temporale; huic infenso aliquid dare, praestare, promittere ut infensus esse desinat, vexationem redimere est* ».

tatur, huiusmodi vexationem esse quid temporale, quod proinde cum temporali re permutari potest. Unde fas mihi est, Titio calumniatori pecuniam dare, ut a calumniando cesset, ne me impediat a beneficio assequendo. - Quamobrem videtur in vexatione redimenda, dummodo haec redimatur *pretio rei temporalis*, abesse simoniae periculum; nihilominus quaestio implexior evadit, quando ille qui vexat non potest a vexatione cessare, quin *prodesse* incipiat, seu quin se convertat in tui favorem, tibi concedens aliquid spirituale, quasi in mercem pretii oblati. Utputa elector ad beneficium, non potest cessare ab iniusta vexatione qua tibi per iniustitiam, veluti digniori et idoniori, denegat votum, quin tibi directe prosit per suum favorabile suffragium; siquidem, quantum in se est, tibi beneficium confert, dum desinit vexare propter pretium ei oblatum. Proinde tunc vexatio taliter redimi non potest, quia simul emitur quid spirituale, et in casu, electio ad beneficium. Quocirca si forte *ius* tu habeas iam acquisitum, et iudicialiter (1) non controversum, scilicet habeas ius plenum in beneficio, quippe qui iam es electus et confirmatus, sed tamen a beneficio possidendo impediaris per iniustam violentiam, tunc quia redimendo vexationem, non *ius* acquiris, sed *factum* obtines pacificae possessionis, nullam patras simoniam, sed licite te defendis. Cf. Schmalzg. *h. t. n. 134 seq.* et D'Annibale, *III, 100 seq.* - Imo, etsi impedimentum oppositum non sit *iniustum* (2), quia meum *ius* non laedit, neque *caritatem* laedat, utputa, si mihi

(1) Nam ius controversum non est *firmum*; quare ipsum, mediante pretio temporali, reddere *sibi firmum*, et *certum*, pene idem est ac obtinere. Quod vero ad *ius quaesitum*, species est ius quod omnes fideles habent ad recipiendum baptisma, vel aliud sacramentum; quare si alius iniuste prohibeat, quominus ego ista recipiam, ego dans pretium, ut alter desinat iniuste vexare, simoniam non patro, quam patrat minister horum sacramentorum: quare tunc quaestio est, an mihi liceat cooperari crimini alterius, seu est alia quaestio.

(2) Veluti est *iniusta* vexatio eius qui me detinet, ne ad parochiam concurram; vel curat *patronos* avertere, ne mihi, aliunde *digno*, suffragium

ad assequendum beneficium impedimento est favor impensus ab aliis aemulo meo, aeque digno, tunc vexatio eatenus redimi valet, quatenus ex hac redemptione directe mihi aliquid spirituale bonum non adveniat, seu non adveniat ipsa *rei spiritualis* assecutio quod fit, si ille qui *obesse* desinit, *prodesse* iam incipiat.

24. Ex eodem principio patet non adesse simoniam in mercede, quae rependitur ministris rerum sacrarum ob earumdem administrationem, quia in his muneribus perfungendis adest labor, seu incommodum, necessario inhaerens rei sacrae administrationi: quique labor, vel *intrinsecus*, est quid temporale, pretio aestimabile. Insuper, huic labori *intrinseco* saepius accedit labor *extrinsecus*, seu illud speciale incommodum susceptum a ministro, intuitu personae, postulantis ex gratia, aliquem peculiarem operis modum: qui proinde *extrinsecus* labor, non *necessario* inhaerens rei spiritualis administrationi, est aliqua mercede compensandus. Hoc de *iure naturali divino*. At de his magna lucta apud D. D. - S. Alph. *III, 55.*

De *iure positivo*, nec in veteri nec in nova Lege generatim inhibetur sacerdotibus sui ministerii recipere a fidelibus mercedem, in suam sustentationem; et in Evangelio legimus: *Dignus est operarius mercede sua* (Luc. 10, 7) et: *Quis militat suis stipendiis.* (S. Paul. *1 Cor.*, 9, 7). Usus vero antiquus

dent. Vexatio non est iniusta, sed laedit *caritatem*, quando consistit in favore impenso alteri, veluti aemulo meo, candidato ad paroeciam, sed minus digno. Si aeque sit dignus, *caritas* non laeditur; at non est simoniacum sibi conciliare per pecuniam hunc favorem; dummodo qui favet, directe *prodesse non incipiat.* Emere favorem hominis sibi inimici, ne patronos avertat, non est simoniacum; quid obtinere pecuniam, ne patronus compatronos reddat alienos? « *Sed hoc ultimum* (ait D'Annibale l. c. n. 102, not. 17), *opus est aleae plenum* ». Sane, *patronos non reddere alienos*, est quid temporale; sed periculum inest proximum simoniae, quia si ponamus alium non *iniuste*, sed *iuste* patronos velle mihi reddere alienos, sequitur me, empto favore huius patroni, directe viam sternere mihi ad beneficium, et hoc fieri mediante *pretio*, seu simoniace.

et hodiernus, necnon christianorum innatus pietatis sensus, ad mercedes quod attinet, sacerdotibus ea lege rependendas, huius doctrinae moderatur, et declarat legitimam applicationem. - Verumtamen ius positivum aliquando expresse vetat, ad omne repellendum simoniae periculum, vel intuitu *laboris extrinseci,* sacris ministris recipere mercedem, scilicet hoc vetat:

1) in sacra ordinatione Episcopis: Trid., *sess. 21, De ref. c. 1;*

2) in dispensationibus concedendis: Trid. 25, *De ref. c. 18;*

3) Examinatoribus non fas est in concursu ad parochias, occasione examinis, quidvis ipsis vel ultro oblatum recipere: Trid., *sess. 24, De ref. c. 18.*

Praeterea non tantum *laborem* operis considerare praestat, sed etiam *opem,* seu auxilium cuidam praestitum ad rem spiritualem consequendam, et *remote* opes praestari potest, vel *proxime. Proxime* praestatur opes directa, ad comparandam alteri rem spiritualem; veluti intercessio, commendatio apud beneficii collatorem; *remote,* quum ista alteri viam sternit ad rem sacram assequendam, utputa candidato ad beneficium iuris patronatus, occasionem praebere alloquendi ipsum patronum, vel collatori referre optima merita candidati, quin tamen ulla misceatur *intercessio.* Iamvero pro ope *remota* aliquid praebere, non est simoniacum; pro ope *proxima* seu immediata, res, quamvis non intrinsece mala, quia *opes* est quid temporale, tamen vix est a simonia immunis; quippe facile per mercedem *intercedenti, auxilianti* datam videtur emi res spiritualis. Monet *Extravagans 2. De Sim. inter comm.* simoniam committi, cum pecunia datur pro collatione ... *favore seu mediatione.* Et Divus Thomas 22, q. 100 ad 5, docet, in hoc haberi simoniam; siquidem *intercessio* est quid temporale, sed exinde per intercessionem pecunia emptam, directe *parari viam ad rem spiritualem obtinendam.* Cf. D'Annibale, *l. c. 104.*

25. Item ex allato principio sequitur, simoniam *iur. div.*

non committi, quoties inter se permutentur sola spiritualia; utputa si officia inter se permutentur, vel etiam beneficia; quia utrinque venit aliquid spirituale pro spirituali, et temporale pro temporali. Hoc de *iure divino;* de *iure* tamen *ecclesiastico positivo* sub poena simoniae iuris humani, vetantur permutationes beneficiorum, iniussu Episcopi: ex cap. 5, *De rer. permut. X*, (III, 19).

Hoc de rebus spiritualibus, aut temporalibus adnexis spiritualibus *consequenter* inter se permutandis; item vero dicatur de temporalibus *antecedenter* adnexis, quae in iure emi vel inter se permutari non prohibentur, nisi expresse hoc vetet ius positivum in singulo casu.

26. Aliud principium hac in materia sedulo considerandum est; scilicet, ex iure ipso naturali cessare simoniam, neque iure positivo induci, quoties spirituale et temporale non ex una et altera contrahentium parte inter se permutantur, sed uni tantum cedunt. Veluti si pecunia detur puero, ut inducatur ad s. communionem faciendam, vel ut devote Missae intersit; quocirca in cap. 2 *De condit. apposit. X*, (IV, 5) non condemnabatur qui servum manumitteret, ea conditione, ut monachus fieret.

27. Demum teneatur haec regula: simoniam incurri, si temporale detur pro spirituali, aut vice versa; ita ut alterum *pro altero* quasi pretium pro merce veniat. Quando vero alterum non PRO ALIO detur, sed PROPTER ALIUD, seu intuitu rei iam obtentae, ad grati animi significationem, absque intentione unum cum altero comparandi et compensandi absque *spe retributionis*, simonia cessat. Dixi *ad grati animi significationem*, et absque *spe retributionis*, nam si quis ob rem spiritualem obtentam rependeret quid temporale, quasi gratuitae *compensationis* causa, et fere ad *solvendum* debitum, aut cum spe *retributionis* (1), seu

(1) Inquam cum spe *retributionis;* nam simplex *spes* non obstat; quare alicui officia praestare, *spe* alicuius beneficii obtinendi a collatore, *solius grati animi causa,* non est simoniacum, quamvis, *sine ea spe* officia ille praestiturus non fuisset. Certa opinio est: S. Alphons. III, 51. Proinde licitum

nanciscendi alterum sibi obnoxium, quasi gratuitum *debitorem*, nimirum ob grati animi sensum, tunc adest simonia, iuxta Prop. 45 proscriptam ab Inn. XI, qua dicebatur: « *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam* MOTIVUM *conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, vel e contra* ». Nam in hisce casibus adest *intentio* et *affectus* solvendi *aliquod debitum*, seu peragendi *compensationem*, aut sibi comparandi gratiosum *debitorem*. Quocirca iure merito haec habet D'Annibale, in P. III, *De sim. n. 98:* « *Nec demum refert, utrum alterum pro altero detur ex pacto tacito vel inito cum alio prorsus extraneo; immo, etsi omne absit pactum, si detur (vel promittatur) sola intentione alterius cum altero permutandi, in foro conscientiae non deerit simonia. Et quando haec moraliter, et in primis e timoratorum hominum sensu et opinione aestimari debent, quoties spirituale datur pro re temporali, non excusatur quis quod per temporale huiusmodi, intendat ad aliud spirituale pervenire. Et cum datur aliquid temporale intercessori immediato, licet temporale pro temporali detur (quia intercessio est aliquid temporale), nihilominus simonia vix aberit, aut ne vix quidem,*

est ad grati animi significationem ei, ceterum digno, conferre beneficium eccles. qui officia praestitit. - Quocirca inservire Episcopo absque salario, vel cum modico salario *sub ea spe*, non sibi obligandi animum Episcopi, qui aliquando conferat beneficium, sed ostendendi Episcopo propriam voluntatem ad labores paratam, et hinc idoneam muneribus ecclesiasticis, sane non est simoniacum, sed res est quae neque a clericis praestari debet, neque ab Episcopis permitti, quippe redolet, vel facile fovet animum simoniacum. Inde S. Carolus Borromaeus in Concil. Mediol. II, in Const. 13 adversus simoniacos, monet, et obtestatur Episcopos, aliosque quibus est facultas beneficia conferendi, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi congruo stipendio destituti, inhient beneficiis, tamquam sui laboris et operis mercedi.

quia ope intercessionis huiusmodi ad spirituale directa via pervenitur ».

Clarior exinde est ratio damnationis editae ab Inn. XI in thesim 46, ita conceptam : « *Et id quoque locum habet, etsi temporale sit principale motivum dandi, imo etsi sit finis ipsius rei spiritualis, ita ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis* ». Quandoquidem nemo non videt, crimen constitui, in sua ratione formali, ex *studiosa voluntate*, seu ex *intentione* hominis. Veluti si canonicus intersit choro, dumtaxat ut lucretur distributiones, quas pluris facit, quam divinum officium, patrat simoniam *iuris divin.*, et planum est.

28. Quoad simoniam *iuris humani*, haec principia teneantur. Cum huius obiectum sint res temporales spiritualibus adnexae, huiusmodi res accensentur rebus aut spiritualibus aut temporalibus, proindeque habentur res vel extra commercium, vel accommodatae commercio hominum, pro qualitate quae in ipsis potior et principalior est, iuxta regulam iuris 42 *in 6* : « *Accessorium naturam sequi congruit principalis* ». Iamvero :

1) in adnexis *antecedenter*, principale est temporale ; utputa in sacris supellectilibus, in calice consecrato ; quare ista emi, vendi possunt, nisi lex expresse vetet. - Revera in *Can. 1, Dudum. caus. 1, q. 6*, prohibetur Episcopo vendere opobalsamum quo chrisma conficitur ; et ex cap. 13, *De sepult. X*, (III, 28) prohibetur emi, vendi *terra* in Ecclesia vel coemeterio, destinata mortuis sepeliendis. Tamen sepulcrum iam extructum pretio aestimabile est ; et pretio *locum* seu *terram* sibi comparare ad sepulcrum extruendum, permissum est. Quocirca emi, vendi non potest *terra* iam ab Ecclesia consecrata ad mortuos condendos ; quatenus coemeterium est locus *sacer* et *communis*, quique fit extra commercium, vi consecrationis aut benedictionis, unde destinatur in fidelium sacram sepulturam. Verum quidquid inservit sepulturae exhornandae, aut speciali cultui in sepulcrum *gentilitium aut familiare* tribuendo, haec pretio emuntur.

2) In adnexis vero *consequenter* principale est spirituale et accessorium est temporale; quare permutari beneficia non possunt sine simonia saltem *iuris humani*. Inquam - saltem *iuris humani* - quia si intentio subsit comparandi pretio temporali rem sacram, simonia est *iuris divini* et planum est (1). Imo quoad pensiones, beneficia et officia ecclesiastica, quae nempe *ab Episcopo clericis conferuntur* ut sunt officium Vicarii Generalis vel Vicarii Foranei viget iuris canonici praeceptum enunciatum in c. c. 8, *De pactis X* (I, 35) et 5, *De rerum permut., X* (III, 19), nempe prouti edicitur in *cit. cap. De pactis « Pactiones factae... pro quibusdam spiritualibus obtinendis cum in huiusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti »*.

Inquam *quoad officia eccles.....*, nam officia *temporalia*, ut officium syndaci, aeditui, *hodie* non subsunt huic regulae; *antiquitus* enim suberant; cf. Schmalzgrueberg, *V. h. t. 225;* D'Annibale, *l. c. n. 113;* officia vero *ecclesiastica,* quae nimirum ab

(1) Hic advertere praestat, obiectum simoniae *iuris div.* esse posse tum res spirituales tum temporales adnexas spiritualibus. Quare, dixerim pace cl. Viri, non placet divisio quam inducit D'Annibale, nempe simoniam *iuris div.* versari circa *res spirituales*, simoniam *humani iuris* circa res temporales adnexas spiritualibus. Equidem hoc verum est, sed tractatio taliter divisa affert maiorem difficultatem, et materiam magis implicat. Siquidem *iuris div.* simonia etiam circa res adnexas spiritualibus admittitur quando in his emitur quod accedit dignitatis ex adiectione cum spiritualibus. Quamobrem D. D. plurimum discrepant inter se dum quaerunt an simonia in aliquo casu sit *iuris div.* vel *humani.* - Praeterea, prouti res spirituales hominibus atque ab hominibus ministrantur semper admixtum habent aliquid temporalis. - Haec animadversio satisfacit quoque quaestioni; an nempe possit excusare a simonia *iuris div.* consuetudo inducens ut pro re spirituali detur aliquid temporale. Iamvero permutatio inter rem spirit. et temporal. iure naturae prohibita est: at consuetudo efficere potest ut quod rependitur pro spirituali cedat pro ea re temporali adnexa spirituali. Et haec sit intentio fidelium, quam explicat et legitimat consuetudo. Cf. D. Thom. *2. 2. 100, 2, ad 4.*

Episcopo *conferuntur clericis*, nec sunt *amovibilia ad nutum*, huiusmodi pacta non admittunt, sed D'Annibale, *l. c.* censet, haec officia *posse permutari* quia nullibi hoc prohibetur expresse et permutare non est pactum adiicere.

Verum tum haec pacta omnia tum *permutationem* nullimode patiuntur beneficia, sed haec intelligimus *stricte* sumpta, quocirca heic non comprehenduntur pensiones, capellaniae, vicariae amovibiles et verius nec beneficia *regularia* (Croix, *Th. M.*, III, I, 103). - Pacta vero fiunt potissimum tribus modis: at in *primo* et *secundo* casu simonia dicitur *latiore sensu*.

1) Si beneficium renunciatur non in manu Superioris seu Rom. Pont. aut Ordinarii dioecesis, sed in manu inferioris collatoris; vel si beneficium confertur novo addito onere; *Glossa* in Clem. I, *De renunc.* et arg. *c. c. 8, 20, 26, 36 De praeb. X* (1).

2) Si duo permutaverint inter se beneficia absque consensu Episcopi, arg. cap. 5, *De rerum permut.*

3) Si quis alteri beneficium procuraverit per *nominationem*, aut per *electionem*, aut per *liberam collationem*, aut

(1) Demum in adnexis *concomitanter*, principale plane est spirituale, quare emi, vendi non possunt; tamen quia *operarius* dignus est sua mercede, Ecclesia ratione *eleemosynae* vel *mercedis*, permittit quid rependi pro administratione sacri ministerii aut eccles. iurisdictionis, nisi expresse vetitum sit. Intentio vero Ecclesiae et modus in permittendo stipendiorum usu pro sacro ministerio; dilucide desumitur ex cap. 42 *h. t.* in quo compescitur abusus pluribus in regionibus inolitus exigendi emolumenta in administratione baptismatis, in benedictionibus, in exequiis defunctorum peragendis, ita ut eorumdem denegaretur administratio, nisi fideles solverent certam mercedem. At ex alia parte idem caput inculcat Episcopis ut fideles urgerent ad aliquid praestandum clericis, occasione sacri ministerii prouti ex sacris canonibus aut laudabilibus consuetudinibus praescribitur. Quocirca nefas est clerico denegare sacrum ministerium nisi praestetur stipendium; at etiam laicis onus inest praestandi temporalia clericis spiritualia ministrantibus. - In hoc propositum quaenam sit mens Ecclesiae et legitima praxis patet ex praescriptionibus editis in America Sept. in Conc. Plen. Balt. II a. 1866 et Plen. Balt. III a. 1884 ad tollendos similes abusus.

per *resignationem* sub conditione in sui vel in alterius favorem adiecta, *accessus*, *ingressus*, aut *regressus*, aut sub reservatione alicuius partis fructuum. - Verum clerici permutantes beneficia inter se, his etiam factis reservationibus, patrant simoniam *iuris eccles. in genere*, non simoniam *confidentialem* (1).

29. Inter res spirituales a quibus labes simoniaca sedulo arcenda est, iure merito recensetur ingressus in ordinem religiosum seu ipsa professio religiosa; arg. *c. c. 8, 19, 30, 40 h. t.* et Extravag. *1. h. t. inter communes*. Verum haec res spiritualis non secus ac ceterae res spirituales, admixta reperitur rebus temporalibus, nimirum necessitati alimentorum ad quae ius nanciscitur vir vel foemina regularis. - Quamobrem,

1) usque permissum fuit et ratum habuit Trid. Concil. *sess. 25, De regul., cap. 16*, posse exigi expensas pro victu et vestibus tempore novitiatus.

2) Proinde si sub intentione subministrandi necessaria victui, aliquid *sponte* offeratur familiae religiosae ab ipso professo vel ab aliis, nulla obstat prohibitio quia omne abest periculum simoniae; arg. *cap. 30 h. t.*

3) Verum aliquid *exigere* ab ingredientibus, etiam titulo necessariae sustentationis, iure positivo prohibitum est, *cap. 40 h. t.* et Extrav. *1. h. t. inter communes*, eo quod statuitur religiosos sustentandos esse reditibus monasterii et haud plures esse recipiendos quam permittant reditus monasterii sive certi sive incerti, veluti eleemosynae: Concil. Trid. *sess. 25, De regul., cap. 3.*

(1) Quaestionis est an committat simoniam *confidentialem* qui alteri procurat beneficium *sibi* non ALII reservata pensione. Inquam - *sibi non alii*, - nam si *alii*, nullum dubium; si *sibi*, ratio dubitandi est, quia haec reservatio non absolute prohibetur, sed expostulat tantum licentiam Episcopi. Nihilominus longe probabilior est sententia affirmans: cf. Reiffenst. V, *h. t.* n. 39, sed negativa non improbabilis videtur D'Annibale, *l. c. 112, not. 14.*

4) Attamen Reiffenstuel mordicus contendit (*h. t.* § *9*) fas esse monasterio, gravi laboranti inopia, aliquid recipere ab ingredientibus titulo honestae sustentationis. - Verum quidquid sit de valore doctrinali huius sententiae, adhuc videtur vigere lex generalis prohibitionis quoad *viros*.

5) Quoad *foeminas* vero iampridem inolevit consuetudo, hodie legitima, ab ingredientibus exigendi dotale subsidium. Bened. XIV, *De syn. XI, 6* (1).

30. In lib. V, ad propulsandam simoniae labem, Tit. 5, rubrica decernit: « *De Magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi* », ubi condemnatur abusus exigendi ingentes taxas a discipulis pro licentia docendi, unde a literaria institutione et gradibus academicis prohibebantur pauperiores; et huiusmodi agendi ratio prohibita fuit tamquam infecta labe simoniae iuris ecclesiastici. Dein Pontifices, devicto abusu, non minus solliciti fuerunt pro Universitatibus Studiorum constituendis et provehendis nonnullas modicas taxas vel approbare, vel constituere, unde eorumdem studiorum curabatur progressus, ita tamen ut diligentiores iuvenes, etsi pauperrimi, absque ulla impensa studiis vacare possent et gradus consequi academicos.

31. Modo quid dicamus de poenis contra simoniacos. - Antiquitus contra ordinantes et ordinatos simoniace latae erant ipso iure incurrendae censurae sed iam absoletae, quae a Const. *Ap. Sed.* non renovatae, omnimode obsoleverunt. Sane s. ordinum collatio inficiebatur labe simoniaca quando vi ipsius s. ordina-

(1) Ex decreto *S. C. Ind. et Reliq.* 12 Iulii 1847, vetitum est vendere, emere rosaria, cruces, numismata quibus adnexae sint Indulgentiae. Et ex decreto eiusd. C. 21 Dec. 1878, relato in Coll. De Prop. Fid. n. 1917, illicitum est reliquias quas homines, omnis religionis expertes, venales exponunt, pretio redimere, sed monendus est Ordinarius ut quid agendum sit, praecipiat. Sed notat Génicot (I, n. 288, § 4), hanc tamen positivam prohibitionem cessare si periculum sit in mora, puta propter imminentem profanationem. Item *Ball. Palm.* Tr. VI, n. 399.

tionis clericus inscribebatur cuidam Ecclesiae seu sortiebatur reditus praebendales; at iampridem disiuncta est s. ordinatio a collatione beneficiorum et inde exulavit periculum simoniae ab ordinum collatione et appositae poenae in desuetudinem abierunt. Quapropter

1) nunc viget adhuc excommunicatio *simpliciter* Rom. Pont. reservata, lata in reos simoniae *realis* in beneficiis quibuscumque *eorumque complices*, atque in reos simoniae *realis ob ingressum in religionem*, demum in reos simoniae *confidentialis* in *beneficiis* quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis, admissae per pacta supra explicata, a S. Pio V specialiter proscripta.

2) Item aliae poenae latae sunt in simoniacos, sed istae attingunt dumtaxat reos simoniae *realis* et *confidentialis*. Siquidem *mentalis* et *conventionalis* simonia, quia opere non est consummata habetur uti conatus, et hinc iuxta generale principium vigens in re criminali, poenis non percellitur. - Ceterum sufficit pretii partem fuisse datam vel etiam utrinque partim conventionem fuisse executioni demandatam. - Quocirca per exceptionem punitur *confidentialis*, quamvis pacta *fiduciaria* in collatione, praesentatione, institutione, resignatione beneficiorum inita, opere non fuerint perfecta. - Praeterea exceptionis ad instar simplex quoque conventio, nulla ex parte executioni demandata in negotio electionis S. Pontificis poenis mulctatur in Constit. Iulii II, *Cum tam divino*.

3) Quae simoniace gesta sunt valent nisi expresse edicta sint nullitate laborare, prouti factum est de venditione iuris patronatus, et collatione beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum. Cf. Reiffenst. V, *h. t. 28, 29* et Schmalz. V, *h. t. 28, 157*.

4) Docet D' Annibale contra communiorem sententiam *(Comm. 130, not. 8)* excommunicationi obnoxiam esse tantum simoniam *iuris div.* sive realem, sive confidentialem in beneficiis et realem ob ingressum in Religionem. Sane canones mul-

ctant censuris simoniam absque distinctione; quare intelligere debemus simoniam *proprie dictam*, nam *versamur in odiosis;* simoniam autem *iuris eccles. improprie* simoniam appellamus. La Croix, *l. 3, p. 1, n. 213* excipit simoniam *confidentialem;* et hunc laudat Pennacchi (I, 813, not. 1), sed hos non sequitur D'Annibale (S. III, 116) qui sibi favere putat S. Alph. III, 108. Hanc sententiam tute in praxi sequi possumus. Etiam aliae poenae *ordinario* non spectant ad simoniam iuris eccles. quippe *impropriam* (Schmalz. *h. t. 25*); nisi contrarium expresse evincatur ex verbis quibus feruntur.

32. 1) Const. *Ap. Sed.* n. VIII, uti vidimus, punit excom. simp. reservata S. P. « *Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices* ». Quia vero in odiosis versamur, hinc beneficia stricta et propria significatione accipere debemus; quorum proinde nomine hic non veniunt *capellaniae laicales, vicariae amovibiles, coadiutoriae, pensiones* etc. -

2) Praeterea, arg. *Extrav. inter commun. 2 De simonia,* beneficii collatio simoniaca nulla est, licet simoniae reus non fuerit ille qui assequitur beneficium sed alius. Quocirca in collationibus factis per actus collegiales, simoniacum suffragium unius inficit integrum actum collegialem seu ipsam *collationem,* quia actus unius personae non potest seorsim considerari, quippe *una* est electio aut nominatio a *pluribus* facta, non *multiplex.*

Duo excipiuntur casus *a*) si ab aliquo in fraudem provisi fuerit commissa, nempe ad irritandam eius provisionem; siquidem fraus et dolus nemini patrocinari debent; *b*) si provisus restiterit et impediverit eo modo quo potuit, ne factum simoniacum poneretur. Nam, si, eo inscio, collatio facta fuit, rescissioni est obnoxia; si autem eo sciente et non vetante simonia admissa fuit, tunc collatio *irrita est ipso iure,* arg. *c. c. 23, 27 et 33 De sim.*, et cap. 59 *De elect. X* (I. 6).

3) Attamen ob simoniam ab aliis admissam quis sane incurrere non potest censuras, et planum est; at poenam *vin-*

dicativam inhabilitatis, diverso tamen cum effectu, subit etiam simoniacus *innocens*.

4) Nam simoniacus *reus* incurrit inhabilitatem Papae reservatam ad idem beneficium *ea vice* assequendum: ex cap. 27 *De elect.* et ex Const. Pii V, *Cum primum*. Imo ex hac Const. etiam ad *quaelibet alia beneficia;* sed haec postrema inhabilitas sane non contrahitur absque *sententia criminis declaratoria*. Simoniacus *innocens* dispensatur etiam ab Episcopo postquam fecerit beneficii renunciationem ad effectum ut *statim* recipiat idem beneficium si *simplex est*, arg. cap, 59 *De election.;* imo etsi *cura ei insit animarum*, dummodo collatio non fuerit *irrita declarata* per iudicem; quae *declaratio* si intercesserit, beneficium *simplex* potest, sed *curatum ea vice* recipere non potest.

5) Deinceps aliae poenae (*ferendae sententiae*), scilicet privationes cuiuslibet beneficii et officii et suspensionis a divinis decernuntur in cap. 2 *De confess. X*, (II, 18) et 11, *h. t.*

6) Demum simoniacus non fruitur beneficio praescriptionis, post triennalem possessionem, vi Reg. 36, Conc. Ap., quae in fine cavet: « *Verum si possessor beneficii illud obtinuerit per ingressum simoniacum triennalis possessio non prodest ei* ». Sed hac regula de *triennali* se tuetur simoniacus *innocens*.

33. In simoniam *confidentialem*, 1) Const. *Ap. Sed.* statuit excommunicationem simpl. P. reservatam sub n. IX, in *reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet cuiuscumque sint dignitatis*. Sed haec dictio: *cuiuscumque sint dignitatis*, ut bene interpretatur D'Annibale, *Comment. n. 133*, non significat (quasi e sensu contrario) reos simoniae *realis cuiuscumque sint dignitatis* non teneri censura, quia haec verba addita fuerunt ad auferendam dubietatem a theologis motam quoad reos *simoniae confidentialis*. - Verum hoc decreto advertatur non comprehendi *eorumque complices* prouti habetur in

art. *antec.* contra reos simoniae realis in beneficiis. Quare *complices* simoniae confidentialis hac censura non tenentur.

2) Collatio beneficii est *nulla* et beneficium censetur vacans.

3) Praeterea huiusmodi simoniaci puniuntur privatione ipso iure incurrenda omnium beneficiorum et inhabilitate ad beneficium simoniace collatum et ad quaelibet alia, iuxta Const. S. Pii V, *Romanum Pontificem*, quae tamen poenae, ne in foro quidem externo, vim habent ante *sententiam iudicis declaratoriam.*

4) Beneficium vero *in confidentia* acceptum est reservatum Romano Pontifici. Hodie huic reservationi obstare possunt concordata.

34. Const. *Ap. Sed.* percellit sub n. X excom. simp. reserv. R. P. - *Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.* - Verum haec censura percellit solum recipientes pretium temporale *pro ipso statu Religioso* seu pro ingressu in Religionem; nam ratione *alimentorum* quoad moniales, uti explicavimus n. 29, licitum est aliquid accipere. Quod ad viros *iure communi* permittitur tantum a *novitiis*, pro novitiatu dumtaxat, aliquid exigere. - Praeterea recipiens amittit ius recipiendi professiones religiosas et receptus habetur pro non professo; sed post sententiam declaratoriam.

Uterque seu recipiens et receptus sunt e monasterio expellendi ut detrudantur in arctiorem locum; ita Lehmkuhl, *I, 402*, sed notat Santi *h. t. n. 61*, hanc poenam tacite sublatam fuisse ex Const. Innocentii IV « *Solet annuere* » in qua nulla fit mentio huius poenae iampridem constitutae, *cap. 40, h. t.*

35. Ad haec, quoscumque reos simoniae sive *realis* sive *confidentialis* constat esse infames infamia iuris (1).

(1) Poenae latae sunt in peragentes commercium de rescriptis, sive gratiae sive iustitiae, obtinendis apud S. Sedem; item in complices huius

36. Denique considerari debet an *pretium simoniacum*, restitutioni sit obnoxium et *cuinam* restituendum sit. Sane restitutionis onus per se non est poena, scilicet quatenus est *praeceptum iustitiae;* sed aliquando imponitur uti *poena.*

Et loquimur de *pretio simoniaco* restituendo seu *de re temporali*, nam res *spiritualis* consideratur uti *merces* in contractu simoniaco et haec restitutioni non est subiecta. Siquidem res restituenda est domino, *ex iure naturali*, sed Ecclesiae Praelati *dispensatores ministeriorum Dei*, non sunt eiusmodi rerum domini. Veluti si quis simoniace obtineat facultatem dispensandi vel ipsam absolutionem a censuris, iure istis utitur, fruitur. Unde neque *iure canonico* imponi poterat *restitutio* sensu proprio; nihilominus hoc ius aliquando reddit irritam collationem officiorum aut beneficiorum eccles. vel nullius valoris ipsam dationem, vel acceptationem, quippe simoniacam, utputa iuris patronatus et tunc ista dimittenda sunt in manus collatoris, vel alienare cupientis; quia nemini licet detinere quod ad se, nullo iure, pertinet.

De pretio simoniaco ante sententiam iudicis - *restituendo* - haec teneantur. - Iamvero illud temporale, veluti *pretium* rei *spiritualis*, habetur ut omnino iniuste acceptum quod quis acquirit, omnino *indebite*, ob rem spiritualem administratam, utputa si parochus ob administrationem sacramentorum *ex suo officio* adimplendam, aliquid exigat, alias negaturus rem spiritualem. Quod si aliquid exigat ob laborem *extrinsecum*, dummodo aliquid omnino immodicum non extorqueat praeter locorum consuetudinem et praeter omnem comparationem intra laborem extrinsecum seu rem temporalem et pretium acceptum, simonia

commercii. Statuta vero est poena privationis *l. sent.* beneficiorum et officiorum et inhabilitatis ad haec et quaecumque alia obtinenda. Cf. *Thesaurus II*, v. *Sim., c. 15.* Item *receptio in confraternitatem* est nulla, si pretium intercedat. Ex decret. S. C. Ind. (*Decret. authent. n. 341*) in *Valentinen. 12 Iul. 1847* non fas est vendere rosaria cum indulgentiis benedicta.

non patratur, prouti explicavimus. - Quod vero quis accipit *temporale* quasi *pretium* rei *spiritualis* acceptae, veluti absolutionis sacramentalis, dispensationis, hoc pretium non est restituendum *ex iustitia*, seu ante sententiam iudicis condemnatoriam, quia est aliquid ob causam *quamvis turpem* datum, causa secuta. Non secus sicarius, meretrix retinere possunt pretium sui facinoris, secuta facinoris consummatione. Nam si quis accipiat pretium simoniacum et postea non praestat rem simoniacam, ut ecce dispensationem matrimonialem, pretium restituere debet, siquidem datum ob causam, causa non secuta. Haec probat Schmalz. *h. t. n. 283*, Pirhing *h. t. n. 181 seq.*, Reiffenst. *h. t. n. 286 seq.* Haec in genere; in specie haec teneantur:

1) Porro quoad res pure spirituales seu non adnexas, uti diximus, temporalibus, qualis est potestas spiritualis iurisdictionis aut concessio eiusmodi potestatis, videlicet absolvendi, commutandi vota, largiendi indulgentias, dispensandi, in his pretium acceptum est simoniacum, quia nulla est comparatio inter *spirituale* et *temporale;* nisi forte in dante vel accipiente adsint, respective, damnum ex una, lucrum ex alia parte emergens; utputa ratione *incertorum reddituum* quos consuetudo loci fert pro usu cuiusdam potestatis etsi *spiritualis*, veluti pro dispensationibus matrimonialibus. - Pretium autem *simoniace* acceptum, secuta rei spiritualis datione, retinetur, nisi iudex condemnet ad restitutionem, uti supra.

2) Quoad res temporales adnexas spiritualibus, vidimus quando committatur simonia. Quoad adnexas *concomitanter* est prohibita omnis receptio pecuniae in sacrorum ordinum collatione, pro labore quoque *extrinseco;* arg. *c. c. 1 et 39, h. t. X*, in quo postremo capite haec iubet Innocentius III: « *Ut pro his* (ordinibus) *sive conferendis sive collatis* (consecrationibus Episcoporum, benedictionibus abbatum, et ordinibus clericorum) nemo aliquid quocumque praetextu exigere aut extorquere praesumat; alioquin et qui receperit et qui dederit huiusmodi pre-

tium omnino damnatum, cum Giezi et Simone condemnetur ». Postea Innocentius XII edidit *die 8 oct. 1678* celebrem instructionem de *Taxa Innocentiana* (cf. Vol. I, n. 161) ut confirmaret istos canones, facta taxativa exceptione pro officialibus Curiae. Cf. Gasparri *De s. ord. 1123.* Quamobrem si aliquid exigatur erit restituendum sed post sententiam iudicis, arg. *relati cap.*, nisi adfuerit laesio iustitiae.

Quoad res temp. adnexas spirit. *consequenter* seu beneficia, explicavimus quando collatio sit nulla. Tunc restitutio pretii est facienda sed post iudicis sententiam qua beneficium retineri non posse declaratum fuit, idemque a possessore fuit ademptum. Quandoquidem hae privationes effectum non habent nisi post sententiam *declaratoriam*. Et notat D'Annibale, *III, n. 119* « *restitutionem a solo collatore vel patronis esse faciendam, non item ab eo qui beneficium renunciavit, quippe ille magis officii sui, hic lucri cessantis magis quam rei spiritualis pretium accepisse intelligitur, nisi forte extorserit aliquid immodicum* ». - Et iure merito, quia quousque possessor beneficium detinet damnum sentire non censetur; ille qui beneficium possessum alteri vendit, renunciat, committit simoniam sed non patrat iniustitiam retinendo pretium correspondens damno inde sibi emergenti. Schmalz. *loc. cit. n. 288.*

Quoad res *antecedenter* adnexas, ad restitutionem attenditur laesio iustitiae admissa, veluti in vendenda sacra supellectili.

3) Denique si pretium acceptum est contra iustitiam restitutio facienda est *laeso;* si iustitia proprie laesa non est, quoad res nempe *temp. adnex. spir.* attenditur sententia iudicis; qui, pro rerum adiunctis, iubere potest rem restitui vel laeso, vel Ecclesiae, vel pauperibus. - Quapropter, *vi iustitiae*, facienda est restitutio etiam ante sententiam iudicis; post sententiam iudicis, non urgente iustitia, facienda est pretii restitutio *in poenam.* Ita et non aliter intelligenda sunt capita *11 et 19, h. t. X.* - Cf. Schmalz. *h. t. n. 282 sq.;* D' Annibale, *III, l. c.*

§ 1. *De labe simoniaca a rebus sacris arcenda.*

Summarium. — 37. Huc spectat titulus 4 *Lib. V, Decret. Greg. IX.* « *Ne Praelati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant* ». — 38. Item titulus subsequens « *De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi* ». — 39. Compescuntur *quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus.*

37. Sensus *rubricae* tituli « *Ne Praelati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant* », est determinatus et legem continet expressam. *Vices* autem intelliguntur Praelati concedere quum *officium* suum alteri mandant; *Ecclesias* autem dum *reditus beneficiales* aut ipsos fundos locant alteri sub *annuo censu.* Huiusmodi prohibitiones confirmat Trid. Concil. *Sess. 25, cap. 11 De ref.*

Decretales quae hoc titulo editae sunt, derivant ex Concil. Lateranensi III habito (*a. 1179*) ab Alex. III et ordinatae fuerunt ad extirpandam in rebus et officiis ecclesiasticis *luem* FEUDALISMI qui inoleverat ob cessionem officiorum et bonorum eccles. sub annuo censu, unde ista fiebant Praelatis *vectigalia,* non minus ac regna aut oppida facta fuerant vectigalia Imperatoribus et Principibus. Quamobrem inductum erat ut Praelati reditibus fruerentur, saltem in aliqua parte, suorum officiorum; et alii vices eorum agerent in explendis officiis. Ex hac ratione historica satisfit quaestioni canonistarum qui quaerunt an haec simonia sit iuris eccles. aut divini. Siquidem patet, *improprie* tantummodo dici *simoniacas* huiusmodi concessiones quae versabantur dumtaxat circa res temporales *spiritualibus* adnexas, quaeque subiiciebant officia eccles. *delegationibus* sed non *permutationibus.* Praelati autem consulebant suae sustentationi per *annuum censum reservativum* (Cf. D'Annibale, *II, n. 511*) seu reservata sibi parte redituum.

Verum Episcopi non peccant in huiusmodi prohibitiones, cum constituunt *Vicarios* sive generales sive particulares quia non ipsi exigunt *annuum censum*, sed Vicario constituunt annuum stipendium. - Unde ne species quidem subest simoniae.

Quoad bona beneficialia locanda aut concedenda hodie servanda sunt ea omnia quae praescribuntur titulo « *De rebus eccles. alien. vel non* ».

Ob legitimas rationes publici boni, per reservationem vel redituum venditionem vel universorum vel aliquorum tantum, officia etiam ecclesiastica reddita sunt *Vacabilia* id est *venalia* in curia Romana. Cf. Vol. II, n. 240.

Poenae privationis quae comminatae sunt *h. t.* sunt *fer. sententiae.*

38. Prima pars tituli inscripti « *De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi* », iubet constitutionem Magistri seu Canonici Theologi, prouti constitutum est *iure novo*, et haec ad nostram tractationem non spectant.

Altera tituli pars, de *licentia* nempe docendi, pertinet magis ad historiam iuris et hanc iam attigimus supra n. 30. Siquidem aliquid *exigere pro licentia docendi* iure Decretalium fuit prohibitum, et *simoniae* censura notatum quia tunc temporis homines divites studiis non vacabant et pauperes, ob taxam solvendam pro eiusmodi licentia, a studiis retrahebantur. Ait Pont. Inn. III, c. 1, *h. t.* « *Pro licentia vero docendi nullus pretium exigat vel sub obtentu alicuius consuetudinis ab eis qui docent, aliquid quaerat nec docere quemquam* (qui sit idoneus) *petita licentia interdicat. Qui autem contra hoc venire praesumpserit ab eccles. fiat beneficio alienus. Dignum quippe videtur ut in Ecclesia fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi dum vendit licentiam docendi, ecclesiasticum profectum nititur impedire* ». Per illa verba - *ab eccles. fiat beneficio alienus* - significatur privatio beneficii, sed *fer. sent.*

39. Propter venerationem rebus sacris debitam in arti-

culo IX, Const. *Ap. Sedis* compescitur quidam abusus labem redolens simoniacam. Equidem in articulo IX, inter excom. *simpliciter* Papae reservatas *Const. Ap. Sed.* censuratos declarat: « *Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V, Quam plenum, 2 Ianuarii 1569* ». Iuxta hanc Const. ob istud crimen excommunicantur personae *Episcopis inferiores;* ipsi vero Episcopi et qui maiori praefulgeant dignitate puniuntur interdicto *ab ingressu Ecclesiae et suspensione a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum.* Quia hodie suspensio et interdictum non recensentur a Const. nostra, usu exciderunt. Excommunicatio autem, etiam hodie, tenet tantum *Episcopis inferiores*, quia fertur prouti edita est Const. S. Pii V. Quare hac censura Episcopi non tenentur. Cf. D'Annibale, *h. l. n. 138.*

Crimen hoc admittunt *quaestum* facientes in concedendis aut publicandis *indulgentiis;* aut aliis *gratiis spiritualibus* ex §§ 1 et 4. - Gratiae spirituales hae censentur: *a*) facultas eligendi sibi confessarium a quo a reservatis etiam absolvatur § 1; *b*) nec non celebrandi Missam et sepulturam obtinendi eccl. tempore interdicti § 2; *c*) ciborum prohibitorum usus § 3; *d*) assumptio plurium compatrum ad sacrum Baptisma contra decretum Conc. Trid. § 3; *e*) Absolutio a simonia *reali* Sedi Ap. reservata, § 6.

Recolendum est decretum Trid. Conc. *sess. 21, cap. ult. De ref.*, ubi prohibentur eleemosynarum quaestores qui eleemosynis colligendis vacabant indulgentias publicantes; statuitur enim ut quaestorum usus et officium penitus tollatur; indulgentiae vero et aliae gratiae spirituales ab Ordinariis publicentur.

Quaestum facere autem illi censentur qui pecuniam iam acceperunt, seu crimen consummarunt, non vero qui quaestum facere hactenus conati sunt.

§ 2. *De locis sacris adversus sacrilegos tuendis.*

Summarium. — 40. Feruntur poenae in extrahentes absque venia reliquias ex Catacumbis romanis. — 41. Compescuntur *violantes* clausuram monialium. — 42. Item mulieres violantes clausuram Regularium Virorum. — 43. Poenae in violantes immunitatem asyli eccles., ausu temerario aut violare iubentes.

40. In art. XV Const. *Ap. Sedis* inter excommunicationes *simpliciter* Papae reservatas, censura notantur: « *Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes* ». Conservationi et cultui reliquiarum quae reperiuntur in Sacris Romae Coemeteriis iam prospexerat Edict. *24 Aug. 1613 Pauli V* et Const. « *Ex commissae* » Clementis X, *13 Ian. 1672.* Cum vero in Sacris Coemeteriis Romanis non solum reliquiae martyrum adinveniantur sed etiam fidelium exuviae nulla sanctitatis laurea decoratorum, cum primis S. RR. C. sedulo explicavit signa quibus distinguuntur reliquiae martyrum, in Decret. *10 Ap. 1668. et 27 Nov. 1863; conf. Acta S. Sedis Vol. II. pag. 170 in nota.* Attamen de reliquiis quae inibi reperiuntur non raro dubitatur an SS. Martyrum sint.

Iamvero articulus agit, *absolute*, de *reliquiis*, et has proinde intelligimus *Sanctorum;* quare asportantes reliquias quae certe martyrum non sunt, censuram non incurrunt.

Quid iuris de *reliquiis dubiis?* communior sententia asserit, censuras incurrere has quoque reliquias extrahentes, quia adest apertum periculum profanationis: cf. Avanzini *h. l.;* at censuram incurri negat, cum cl. Bucceroni et cl. Pennacchi, D'Annibale *Comm. n. 148*; unde dubia dicenda est in casu, seu dubia iuris, censura, proindeque non incurritur. - Venia vero donanda est a Card. Vicario Urbis, quae et *oretenus* data sufficere videtur,

cum nihil aliud exprimat Constitutio nostra; cf. D'Annib. *l. c.* Antea excommunicationem incurrebant, *ex cit. Edict. 24 Aug. 1613, ingredientes* et extrahere *facientes et reliquias scienter acceptantes*, hodie ex Const. Nostra tantum *auxilium* aut *favorem* praebentes *ad has effodiendas et extrahendas.*

Praeterea ex *cit. edict. a. 1613*, Regulares incurrunt ipso facto, privationem vocis activae et passivae et inhabilitatem ad dignitates et officia suorum Ordinum.

41. Inter loca sacra apprime recensenda sunt ipsa monasteria, domicilia nimirum hominum qui Deo se penitus devovent in suam vitam. - Pro tutanda horum locorum sanctitate constituta est *lex clausurae* quae vetat, mulieres monasteria ingredi virorum; viros autem et foeminas ingredi monialium monasteria; Moniales ipsas e suo monasterio egredi.

Const. *Ap. Sed.* sub n. IV inter excomm. *Papae simp. reservatas* censura plectit: « *Violantes clausuram Monialium cuiuscumque generis aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus et formam a S. Pio V in Const.* Decori *praescriptam* » (1).

Moniales intelligimus propria significatione seu professas per *vota solemnia.* - Moniales *simplicia vota* nuncupantes obnoxiae sunt poenis quas forte Episcopus edixerit in sancienda clausura. Cf. Decretum *S. C. EE. et CC. 1 Aug. 1839*, nisi *clausura papalis* ordinata sit auctoritate S. Pontificis apud Moniales quae vota ediderint simplicia; ex decreto eiusdem *S. C. 22 Feb. 1839.*

(1) Excommunicatio fertur etiam a Trid. *Sess. 25, c. 5 De reg.*; sed vi responsionis S. O. *8 Iul. 1874*, nempe « *peccantes in materia quam* et *C. Ap. Sed.* et *Concil. Trid. attingunt non incidunt in duplicem excommunicationem* », violantes monialium clausuram, unam tantum incurrunt excommunicationem, scil. latam in *C. Ap. Sedis* et *Papae reservatam.*

Quoad *actiones*, prohibetur:

1) quominus *extranei*, *a*) ingrediantur, *b*) introducantur, *c*) admittantur,

2) quominus ipsae *moniales egrediantur*.

Ingredientes, huic censurae subiecti, illi dicendi sunt qui *absque venia Episcopi* intra septa monasterii seu in clausuram gressum faciunt. Venia haec semper danda est ab Episcopo ex decreto Urbani VIII *17 Iun. 1730;* nec non a Superiore eius Ordinis si monasterium subsit Regularibus; nunquam ab uno Superiore Regulari, quamvis consuetudo inolescere possit ut solus Episcopus, inaudito Superiore Reg., veniam dare possit. Cf. Bened. XIV, *De Synod., lib. 13, c. 12, n. 23* (1). - Abbatissa autem, confessarius, alius vir prudens, ex *delegatione* Episcopi, hanc veniam dare valent. - S. Alphons., *VII, n. 224 in fin.*

Licentia, iuxta ius commune, danda est *in scriptis*, ex decret. Trid. *sess. 25, de ref. reg. c. 5,* nisi necessitas excuset ab hac forma, sed si haec non servetur non incurritur excomm., quia in textu Const. *Ap. Sedis* de hac forma non cavetur.

Potest Episcopus, prouti docet S. Alphonsus, *l. c., n. 223*, delegationem facere Abbatissae, confessario, aut alii prudenti viro ut ipsi, *auctoritate* et *nomine* Episcopi, pro *singula vice* licentiam dent.

Introducentes et *admittentes* actionem praestant excomm. obnoxiam, sed diversimode. Nam *introducere* significat materiale factum *intus ducendi* aliquem, vel ianuam aperiendo, vel praebendo in scriptis veniam ingrediendi *falso* confictam, etc. dummodo qui introducit sit extraneus, et ipse ingrediatur. Nam si opem praestant ingredi volenti sed ipse non ingrediatur, non

(1) Ex cap. unic. *De statu regularium in 6:* venia danda est « *ex rationabili* et *manifesta causa* » nimirum relative gravi. - Licentia danda est singulis vicibus quibus necessaria est; et *generalis* licentia, non permittitur nisi personis qui veluti *confessarius* ordinarius, *chirurgus, medicus*, ex *suo munere* necessitatem habent ingrediendi.

dicitur *introducere*, saltem *propria* et *stricta* significatione, prouti in penalibus intelligi debet. *Admittere* vero non censetur nisi qui *ex officio*, veluti Superioris, aut ostiariae, debet invigilare ne ingrediantur ii quibus hoc fas non est. « *Alii autem* (docet D'Annibale, *Comm. 123*) praeter *ingredientes, introducentes, admittentes,* excommunicationi non sunt obnoxii; non consulentes, non mandantes, immo nec locorum Ordinarii qui indebitam ingrediendi licentiam concedant ». Ipsi Ordinarii autem hanc censuram incurrunt si ingrediantur non ratione s. visitationis aut necessitatis causa.

Prohibitio autem percellit *ingredientes* sive arbitratu suo ingrediantur sive *introducantur* sive *admittantur* - *cuiuscumque generis aut conditionis,* - proinde etiam Praelatos seu Episcopos qui tamen si sint Ordinarii loci, uti duximus, ingredi possunt sacrae visitationis et necessitatis causa - ex Const. Greg. XIII « *Dubiis* ». Ceteri autem Praelati *quavis praefulgeant dignitate*, statuit Bened. XV, C. *Gravissimo animi moerore*, tantum ingredi possunt ex necessitate de licentia Ordinarii. Cf. *Caput unic. De statu reg. in 6.* - Praeterea « *cuiusvis sexus* » quia tum *mares* tum *foeminae* tenentur lege *clausurae* quoad monasteria monialium; dum monasteria virorum mares ingredi non prohibentur a lege clausurae. Denique « *cuiusvis aetatis* » quia etiam *impuberibus* ingredi non fas est monasteria monialium, non item *infantibus*, id est septennio minoribus; quamquam nonnulli DD. et hos poenae submittant; at versamur in dubio iuris. Cf. *Thesaurus, De poenis II. v. Clausura, c. IV.* Quare non licet hodie recipere in monasterio puellas, sive famulas, sive educandas, sine licentia Sed. Apost. ex praescripto Bened. XIV, C. *Per binas.*

Demum subiiciuntur poenae « *Moniales exeuntes extra* CASUS *et* FORMAM *a S. Pio V in Const.* - DECORI - *praescriptam* ».

Casus a S. Pio V enumerati sunt: *a*) magnum incendium,

b) infirmitas leprae, *c*) infirmitas epidemiae. Sed haec enumeratio est *demonstrativa*, non *taxativa* seu non excludit *similes* causas, veluti inundationem, invasionem hostium. - S. Alphons., *De leg. n. 200 in fin.*

Forma Piana expostulat ut quum agitur de infirmitate vel alio casu illico non impellente, uti *incendio*, causa recognoscatur ab Ordinario, et in *scriptis* approbetur. - S. Officii decretum, sub die *22 Decemb. 1880*, statuit contrariam consuetudinem non excusare ab observantia Const. *Ap. Sedis*, quia haec in usum revocavit Const. S. Pii V, si forte contrariis moribus abolita erat.

At ex Constit. Gregorii XIII « *Ubi gratiae* » et Pauli V « *Monialium* » contra Moniales omnesque Superiores Regulares utriusque sexus *introducentes* aut *admittentes* in clausuram, constituta est poena privationis dignitatum, beneficiorum, officiorum et inhabilitatis ad huiusmodi munia. At poenas hos non tenere ante sententiam iudicis *declaratoriam*, descendit ex principiis supra a nobis explicatis Vol. III, n. 73, et probat *Thesaurus, l. c., cap. III, Quaeres.*

42. In *mulieres* violantes clausuram Virorum Regularium, Const. *Ap. Sedis* excomm. P. reservatam *simpl.* sub n. VII ita decernit, nempe in « *Mulieres violantes Regularium Virorum clausuram et Superiores aliosve eas admittentes* ». Regulares et hic intelligimus professos per *vota solemnia*, reliquos enim non attingit lex clausurae *iure communi.*

Lex clausurae pro Regularibus est minus rigorosa, nam

a) vetatur solus mulierum ingressus,

b) ingressus in monasteria Regularium non prohibetur Reginis et Principissis regnantibus earumque filiabus cum necessario comitatu (cf. *Thesaurus, l. cit., cap. II, limita primo*); nec non foeminis fundatorum vel insignium benefactorum descendentibus, eorumque affinibus, quibus hoc privilegium concessum fuerit (Cf. Bened. XIV, Const. *Regularis disciplinae*).

c) Regulares e clausura exire non prohibentur.

Haec censura tenet *ingredientes* et *admittentes*.

Ingredientes nempe foeminas etsi fatuas aut sui non compotes, tamen *puberes*, licet *impuberes* culpa non vacent. - Nam censurae, si nihil aliud exprimatur, prouti cautum est in *art. praecedenti* per dictionem « *cuiuscumque aetatis* », non fertur in impuberes.

Admittentes (non simplices *introducentes*) nempe ex officio vel ex auctoritate sua, prouti supra explicavimus.

Ex Const. Pii V *Regularium* ferebatur *suspensio* a divinis *lat. sent.* contra *admittentes*. At hodie haec suspensio cessavit. quae in Const. *Ap. Sedis* non continetur. - Ex Bulla Greg. XIV *Ubi gratiae*, admittentes incurrunt, eo ipso privationem beneficiorum suorum et ad eadem inhabilitatem, sed post editam sententiam *declaratoriam*, uti supra advertimus. Et hae poenae adhuc vigent. Cf. D'Annibale, *Comm. n. 128 not. 10.*

43. In *tit. 49, lib. III, Decret. Greg. IX*, rubrica inscribitur « *De immunitate Ecclesiarum, coemeteriorum et rerum ad eas pertinentium* », quocirca inibi eduntur praescriptiones quibus loca sacra redduntur immunia a potestate et usu saeculari, scilicet agitur de immunitate *locali*. Verum amplior est universa immunitas ecclesiastica; triplex nimirum est, *personalis, realis et localis*. - *Personalis* eximit clericos a laica iurisdictione; *realis* bona Ecclesiae et clericorum, ipsis titulo *etiam civili* pertinentia eximit a tributis et taxis solvendis.

At *realis* immunitas hodie abhorret a politicis constitutionibus omnium pene populorum, et Ecclesia ad cessandam invidiam et obiurgationum occasionem, nempe ne videatur alienis dispendiis velle ditescere, eiusmodi immunitatem vindicare sibi et reclamare amplius non solet. Porro in Const. *Apost. Sedis* non renovatae fuerunt censurae in violantes aut pessumdantes istam immunitatem.

Ex adverso *personalis* immunitas, unde clericis, praesertim, derivat fori privilegium, viget et defenditur uti vidimus in

Const. *Ap. Sedis* comminatis censuris Papae *special. mod.* reservatis, *art. VII et XI.*

Localis immunitas est lex qua Ecclesiae, coemeteria, aliaque loca religiosa declarantur immunia ab actis profanis, atque gaudent *iure asyli* (1); siquidem *asylum* praebent seu commorationem tum inibi degentibus tum etiam criminosis, quamvis ethnicis, securum perfugium ibi quaerentibus ita ut invitus quis violenter extrahi non possit nisi ob aliqua a iure can. excepta crimina quae *in tit. iam cit.* enumerantur, quaeque in genere sunt enormia crimina; et tunc extractionis servanda est forma ab Ecclesia praescripta. Siquidem *ius asyli* eo praecipue spectat ut loca *sacra* et *religiosa*, utpote divino cultui dicata, sint immunia a strepitu armorum et a sanguinis effusione.

Const. *Ap. Sedis* interminavit excomm. *simp.* R. P. reservatam *n. V.* contra « *Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare iubentes aut violantes* ». Equidem ad incurrendam censuram haec duo copulative requiruntur, idest ut VIS adhibeatur contra *immunitatem asyli* seu ut quis *violenter ab Ecclesia extrahatur* (*cap. 6, h. t. X*), et AUSUS TEMERARIUS; ideoque si alteruter deficiat, censura non incurritur. In hunc sensum, S. U. I. in quadam Inst. diei 1 Feb. 1871, aiebat « ..... audito etiam SSmi oraculo, monitum te (postulantem Ep.) voluerunt (Emi Patres) in ea formula *ausu temerario* utrumque membrum complecti. Ex quo intelligas eum tantum excommunicationem incurrere qui ab aliis minime coactus prudens ac sciens immunitatem asyli Eccl. aut violare iubet, aut exequendo violat, quem porro utpote omnis excusationis expertem excom.

(1) De *iure* asyli docet D'Annibale, *l. c. n. 120:* « Competit omnibus *locis sacris* et *religiosis*, id est Ecclesiis, etiam nondum consecratis, pollutis, interdictis et continentibus aedificiis; coemeteriis christifidelibus sepeliendis addictis, palatiis S. R. E. Cardinalium, vel Episcoporum; monasteriis, seminariis, hospitalibus, nosocomiis etc. dummodo auctoritate Episcopi sint erecta ».

subiacere mirum esse non debet ». Praeterea ex Decreto S. U. I. diei 22 Dec. 1880 ad 2um (cf. *Acta S. Sedis, vol. 15, p. 536*), patet intentionem esse Const. *Ap. Sedis* in usum revocare legem asyli si alicubi in desuetudinem abierit; siquidem interpellata S. Cong. S. Officii « *Hisce in regionibus* lex asyli ecclesiastici, secundum omnem suam rationem a longissimo tempore in desuetudinem abiit, ita ut vix quisquam, nisi casu, ad petendum eius patrocinium animum intendat. *Nihilominus movetur quaestio utrum abrogata contraria consuetudine* LEX ASYLI, *denuo statuta in his quoque regionibus sit,* SALTEM QUOAD SUBSTANTIAM. - Resp. AFFIRMATIVE ». - Verum notetur, pro hodiernis moribus, urgeri legem asyli *quoad substantiam*, adeo ut a locis sacris, potissimum ab Ecclesiis, arceantur conflictationes armorum et violentae manuum congressiones unde mors aut certe vulnera sequuntur. Quocirca hodie apud nos immunitas asyli, ita servata *quoad substantiam*, haud difficile conciliari potest etiam cum hodiernis legibus, si auctoritas laicalis ita consentire velit cum ecclesiastica ut seligantur, pro necessitate casus, illa coercitionis media quae minus abhorrent a decore domus Dei.

TITULUS XII.

DE CRIMINIBUS ADMISSIS IN LEGEM NATURALEM DIVINAM OBNOXIIS LEGI POENALI ECCLESIAE.

Summarium. — 44. Quaenam sint huiusmodi crimina. — 45. Ex his alia offendunt religionem Deo debitam, alia charitatem laedunt erga *seipsos* vel erga *alios* exercendam, maxime habito respectu salutis animae. — 46. Huc spectant delicta venerea quippe contraria iuri naturae et recto usui virium naturalium ordinatarum ad propagandum humanum genus.

44. Ea crimina dicimus patrata in legem naturalem-divinam eademque poenis eccles. obnoxia, quae offendunt aliquod naturale praeceptum lege evangelii et Ecclesiae sanctionibus confirmatum quippe arctius connexum cum religione quam in Deum fovere debemus. Religionis primum et maximum mandatum est - *Diliges Deum super omnia èt proximum sicut teipsum.* - Deum colimus externa fidei professione; quare impio crimine Deum offendunt qui in Illum verba proferunt blasphema; religionem autem, qua Ipsi adhaeremus et devotos nos exhibemus, plane assequimur per veritates ab Ecclesia nobis praepositas; quas proinde repudiare crimen constituit religiosum.

45. Deinde *erga seipsum* homo christianus, quoad *externam* conversationem, obligatione devincitur, in primis, devitandi hominum malorum societates quae illum abstrahere intendunt a recta credendi et agendi ratione; unaque devitare debet occasionem animam et corpus perdendi, nimirum in agendo duello, et in aliis exercendis id genus ludis; quae omnia crimina coercentur lege Ecclesiae poenali, quoniam nata sunt *animam et corpus perdere in gehenna.*

Demum *erga alios*, ecclesiasticam societatem quod attinet, nemo abuti debet suis iuribus ecclesiasticis prouti faceret patronus

praesentans scienter indignum ad ecclesiasticum beneficium; uti legem Ecclesiae non minus ac naturalem infringit ille christianus qui suas vires turpissime explicat in cogenda muliere vel ad statum religiosum vel ad statum matrimonialem suscipiendum.

Mulieres vero et qui eis auxilio sunt aut propositi auctores, saevissime hominis animam et corpus pessumdare non dubitant *procurantes abortum* et ecclesiasticis non minus ac civilibus poenis deterrendi et compescendi sunt.

46. Denique crimina *incestus*, *stupri*, *adulterii* directius pervertunt religionem, utpote quae constituuntur abusu virium naturalium, quas Deus ordinavit humano generi propagando; illarumque legitimum usum Christus honestavit charismate sacramentali.

Omnia autem crimina quae pariunt *infamiam* vel *iuris* vel *facti* arcent ab ordine clericali ob aliquam inhabilitatem vel *facti* vel *iuris*, quae aliquam rationem poenae secumfert. Modo aliquid dicamus de singulis, breviter.

§ 1. *De proferentibus verba aut propositiones asserentibus in Deum vel in Ecclesiam iniuriosa et de iis qui nomen dant sectis damnatis.*

Summarium. — 47. Poenae in blasphemos. — 48. Poena in *docentes* et *defendentes propositiones ab Apost. Sed. damnatas.* — 49. Excommunicantur *nomen dantes sectis* damnatis veluti Massonicae eisdemque faventes nec non coryphoeos non denunciantes. — 50. De damnata *societate catholica pro vindicatione iurium populi christiani et in primis* romani, in electione Rom. Pontificis.

47. Ipsa naturalis ratio dictat, Deo, Quem nobis nostri intellectus lumen aperte manifestat, omnem honorem tribuendum esse omnemque reverentiam verbis et factis profitendam esse externis. Isto praecepto eo arctius abstringuntur christiani quo clarius revelationis lumen Deum ipsis ostendit quorumcumque

bonorum naturalium et supernaturalium largitorem. - Nihilominus forsan non minus christiani quam ethnici, sane instigante diabulo, proferre audent verba in Deum impiissime blasphema. - Equidem eiusmodi crimen aperte offendit legem naturalem-divinam, et dicendum est *mixti fori;* quia basim convellit ipsius societatis humanae, nempe reverentiam in Deum. Blasphemia vero, quamvis consistat in divinorum negatione attributorum, distinguitur ab haeresi, quia blasphemus, qua talis, non est *formaliter* haereticus, quum nempe profert eiusmodi verba, quando intellectus non adhaeret affirmationi blasphemae ore prolatae ex subito irae vel alius cupiditatis motu. - Item in subsequenti numero perpendimus poenas latas in docentes propositiones Ecclesiae iniuriosas (1), quippe ab eius auctoritate damnatas, sed non prouti *haereticas,* secus easdem docentes et defendentes haeretici edicendi sunt, de quibus suo loco disseruimus.

In *cap. 2 De maledicis X* (V, 26) Greg. IX contra blasphemos statuit publicam poenitentiam per septem hebdomadas, et obligationem largiendi eleemosynam in pauperes. Qui huic poenae non satisfecisset, interdicebatur ab *ingressu* Ecclesiae et *ecclesiastica* sepultura. Clerici arg. *can. 10, caus. 22, q. 1,* deponebantur. Quatenus istud *crimen* est etiam civile, iussit Pontifex, blasphemum puniri per *mulctas.* - Obsoleta, processu temporis, hac ratione poenarum, accessit Const. *Supernae dispositionis,* Leonis XI in Conc. Lat. V, *5 Maii 1514,* ubi gravissimae poenae in blasphemos statutae sunt, quas moderatus est Iulius III Const. « *Multis* » *1 Feb. 1554,* et paulisper mutavit S. Pius V Const. « *Cum primis* » *1 April. 1566.* Haec Consti-

(1) In Praelatos, uti personas singulares, iniuriae ferri solent etiam a laicis per *libellos famosos;* ef Const. S. Pii V « *Romani Pontificis* » *17 Martii 1572,* et Greg. XIII « *Ea est rerum* » *1 Sept. 1572,* gravissimae poenae constitutae sunt, in primis *infamia iuris.* At hodie cum dubitetur an istae poenae adhuc vigeant, recurrendum esset ad poenas arbitrarias.

tutio diu apud Tribunal S. U. I. regula fuit in coercendis blasphemis; at sensim, processu aetatis, ab ista recessit idem Tribunal, adhibens poenas arbitrarias.

48. In religione catholica homo fidelis potitur thesauro veritatis; unde per intellectum in Deum secure dirigitur, eidemque, sua voluntate, adhaerere gestit. Tanto bono tutando Ecclesia vehementer invigilat, prouti docet eius sollicitudo in illud, cum primis ordinata, ut a librorum prave scriptorum lectione sedulo arceantur catholici; quod iubet Constitutio *Officiorum et munerum* a nobis superius exposita. - Sed, praeter lectionem. alia via irrepunt errores, nimirum per eos qui vivae vocis ministerio errores *docent* et *defendunt*. Ad quam errorum luem propulsandam Const. *Apost. Sedis - inter excomm.* Papae *simpliciter* reservatas - eiusmodi censuram minitatur in « *Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae* ».

Quare hic non agitur de *libro damnato* sed de *propositionibus* (1) per se damnatis. Dicuntur vero damnatae ab *Apostolica Sede* quae ab ipso Rom. Pontifice reprobatae sunt, *suis* nempe *litteris;* quippe huc non pertinent rescripta damnationis a Conciliis, etsi oecumenicis, vel a SS. Urbis Congregationibus edita. Verum non semel Pontifices, praevio consulto alicuius S. Cong., in primis S. U. Inquisitionis, damnant errores, et tunc haec damnatio procedit *ab Apostolica Sede* quia Pontifex, nomine suo, ipse damnat *ex Cathedra* errores. Tamen in elencho quem dabimus *in nota* eiusmodi propositionum damnatarum refe-

(1) Ut liber: *Explication des maximes des Saintes sur la vie intérieure par messire François de Solignac Jénélon, Archevêque de Chambray, précepteur etc.* damnatus ab Innoc. XII Brevi « *Cum alias* » datum *die 12 Martii 1699;* sed Breve damnat *immediate* librum, *mediate* propositiones; unde non videtur comprehendi *hoc art.* Const. *Apost. Sedis.* Cf. Pennacchi, *l. c.* I, p. 164.

remus damnationes editas per Decreta S. Inq., quippe haec decreta Pontifex assumit in suam auctoritatem, eadem confirmans *forma specifica*. - Ad haec, neque hoc censu comprehenduntur propositiones damnatae sed sine sententia excommunicationis (1). Non interest an damnatae sint *quasi haereticae*, vel *erroneae*, vel *haeresi proximae*. - Propositio si sit *haeretica*, qui eam tenet, fit haereticus, et censuras committit in haereticos latas.

Docentes et *defendentes* illi dicuntur qui vel scriptis vel ore tenus, *tradunt damnatas propositiones*, easque *purgare nituntur a nota damnationis*. Quare has *loqui*, *asserere*, *affirmare*, de his *disputare* hodie non est obiectum huius censurae, quae percellit tantum *docentes* et *defendentes*.

49. Eo magis timendi et devitandi sunt magistri errorum

(1) Quare Cardinali D'Annibale videtur, non comprehendi propositiones *generatim* damnatae, ut ecce quae in Syllabo continentur; vel damnatae sub *censuris* et *poenis* in iure statutis, veluti 101 prop. damnatae a Clem. XI Const. *Unigenitus*. Contra Lehmkuhl, II, 942. Plane assentimur opinioni Card. D'Annibale. - Porro propositiones hactenus damnatae a *Sed. Apostolica sub excomm. poena l. s.* quas *defendere, docere* non licet, sunt sequentes: 1. Errores 41 Martini Lutheri ex Const. Leonis X *Exsurge Domine, 16 Maii 1520*; 2. Propositiones 79 Michaelis Baii ex Const. S. Pii V *Ex omnibus, 1 Oct. 1567*; 3. Propositio de confessione sacramentali et absolutione obtinenda per litteras, damnata a Clemente VIII per Decret. S. Inq. *20 Iul. 1602*; 4. Propositiones 45 damn. ab Alexandro VII per Decretum S. Inq., *24 Sept. 1665*, et *18 Martii 1666*; 5. Propositiones 65 damn. ab Innocentio XI per Decretum S. Inq., *4 Martii 1679*; 6. Propositiones 68 Michaelis Molinos damn. ex Const. *Coelestis Pastor* Innocentii XI, *20 Nov. 1687*; 7. Propositio 2ª (nam prima damnata est uti *haeretica*) damnata ab Alexandro VIII, die *24 Aug. 1690*; 8. Propositiones 31 damn. ab Alexandro VIII per decret. S. Inq., *7 Decemb. 1690*; 9. Propositiones 5 de duello damnatae a Bened. XIV Const. *Detestabilem*, *10 Novembris 1752*. Istae propositiones per extensum legi possunt in Comm. Pennacchi *l. c.*, et Avanzini *in fine*. - Denique nonnullae ex his propositionibus ex citatis Const. neque asseri neque in disputationem adduci possunt; sed hodie excommunicatio tenet tantum *docentes* et *defendentes*.

si in societatem coiverint, adeo ut, collatis viribus, adnitantur zizania superseminare in agro Patris Coelestis. Hac de causa Const. *Ap. Sedis* excommunicatione plectit, simpliciter Papae reservata, sub n. 4: « *Nomen dantes Sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimam potestatem seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, eorumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint* ».

Quaenam sint huiusmodi societates seu sectae heic *sub censura* proscriptae, discernendum est *ex fine*, seu ex *proposito machinandi* contra *Ecclesiam* aut *legitimam potestatem* nempe civilem politicam. Siquidem sectae quae alio ex capite damnatae fuerunt, non sunt obnoxiae sententiae censurae ibi latae. Haec principia explicavit S. Officium in Inst. *diei 10 Maii 1884.* (Cf. *Collect. Prop. Fid. n. 1865*). Quare, uti cavetur in textu Const., censuram quod attinet, parum interest an sectae *clam* vel *palam* machinentur, an exegerint vel minus a suis asseclis secreti servandi iuramentum, sed *propositi* perpenditur intentio. – Quia vero censurae subsunt non personae morales, sed singuli asseclae, uti docuimus Vol. III, n. 98, proinde hi censuram incurrunt qui hanc cognoscunt, atque malum finem, cui sectae intendunt, perspectum habent.

Ex decreto S. Officii diei *12 Ian. 1870*, secta « *Fenianorum* » in America seu in Hibernia constituta hoc in numero comprehenditur; et, in genere huc spectant quae monet Leo XIII in *Encycl. litt. 28 Decemb. 1878* docens: « *Intelligitis nos de illa hominum secta loqui, qui diversis ac pene barbaris nominibus, socialistae, communistae et nihilistae appellantur* ». Verum socialistas nonnulli DD. vellent excludere ab isto censu, illos nempe qui profitentur se studere rebus funditus novis assequendis non vi, sed morali hominum consensione: ita Vermeersch *De prohib. et cens. lib. n. 13.* – Equidem non desunt socialistae

qui remoti a strepitu rerum publicarum, delectantur suis placitis philosophicis, et haec in libris evulgant, vel ex cathedra docent, quin sectis se immisceant eorum qui adlaborant ad haec proposita quo citius et largius opere perficienda; quocirca isti habendi sunt quasi solivagi speculatores, et ab hac censura immunes aestimari possunt. Ast secta socialistarum haud concipi valet, quae reiiciat violentiae media, quando haec sint apte accommoda fini consequendo. - In summa, tenetur hac sententia excommunicationis quaeque societas in id ordinata, vel ut formam politici regiminis legitime constitutam immutet, vel ut aliquid in populi mores inducat, aut legibus obtineat alienum a disciplina, a iuribus, a doctrina Ecclesiae catholicae. Ex hoc capite plectuntur *societates* Biblicae; (Pii IX Const. *Qui pluribus 1846*) societates *clerico-liberales;* (Sillabo § *178*), et aliae id genus.

Praeter *nomen dantes*, tenentur hac censura *favorem qualemcumque praestantes. Favor* hic intelligi debet ad normam Const. Clementis XII. *In eminenti, 29 Apr. 1738*, scilicet late sumptus, significans praebere *consilium, auxilium, palam aut in occulto, directe* aut *indirecte per se vel per alios*, vel *commoditatem conventuum,* aut viam *facilis propagationis.* - Quaeri potest, an domos locare aut vendere huiusmodi sectis sit obnoxium censurae. Et hoc videretur eximi a censura, quia in contractu ineundo non adest favor, quum servatur aequalitas inter mercem et pretium. Revera incipit *favor*, vel si in contractu non servatur ista aequalitas in commodum sectarum, vel si hac locatione aut venditione non inita, alias aliquem asylum non reperissent sectarii: tunc enim domus empta aut locata pro secta habet maiorem valorem prae venali pretio. Génicot, *op. cit.* Vol. II, 596.

Denique fertur haec censura in « *eorumve occultos coryphaeos aut duces non denuntiantes, donec non denunciaverint* ». Recte monet Inst. S. Off. *16 Iun. 1870* (*Acta S. Sedis*, Vol. VI, p. 433), non eos desinere esse *occultos* coryphaeos, quo-

rum nomina in ephemeridibus, praecipue Massonicis, publicantur. Siquidem timendum est, ne falso evulgentur haec nomina, vel ut occultentur veri *coryphaei*, vel ne omnes cognoscantur a vulgo. Quare ex adiunctis perpendi debet quinam sint coryphaei *occulti*. - Antea omnes denunciandi erant nomen sectae dantes et cooperantes. - Nihilominus hos quod attinet, onus denunciandi intelligendum est cessasse quoad censuram, non quoad naturalem et canonicam obligationem (1).

Censuram incurrunt *non denunciantes, donec non denunciaverint*. - Ab habita notitia si *infra mensem* quis non denunciat *occultos coryphaeos*, censuram incurrit, eaque tenetur *donec non denunciaverit*. - Verum apud DD. non convenit, quinam sit effectus denunciationis post *censuram incursam*. Nonnulli, uti D'Annibale *Comment. h. l.*, autumant, denunciationem id operari, ut censura non sit amplius reservata; alii DD., uti Bucceroni *h. l.* et Génicot *l. c.*, opinantur per denunciationem cessare nedum reservationem, sed ipsam censuram, veluti purificata *conditione resoluliva*, Cf. Vol. III, n. 119. Porro haec sententia est conformior verbis *Const.* neque est aliena a principiis iuris. Sed in praxi, saltem pro *foro externo*, ad auferendum scandalum, uti monet *Thesaurus De poenis I, cap. 26*, requiritur sententia iudicis si non *absolutoria*, tamen *declaratoria*, qua constet congrue satisfactum fuisse praeceptis Ecclesiae. Nihilominus an expediat pro *f. ext.* interponere eiusmodi sententiam *declaratoriam*, est in prudenti aestimatione Episcopi (2). - Eo magis firma

(1) Die 19 Aprilis 1893 S. Officium haec dubia resolvit: « 1. An occulti sectae massonicae coryphaei ac duces sint denuntiandi iuxta Const. *Ap. Sedis*, quando sunt noti, ut *liberi murarii*, sed non sunt publice noti, ut *coryphaei* vel duces huius sectae massonicae. 2. An denuntiationis obligatio cesset quoad eas regiones, in quibus *liberi murarii*, et ideo ipsorum *coryphaei* a gubernio civili tolerantur, et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt, nec ullo modo cohiberi? R. Ad 1um *Affirmative*. Ad 2um *Negative* ».

(2) In cit. Inst. *die 10 Maii 1884* haec maxime animadversione digna

autem hodie videtur opinio eorum qui tenent censuram resolvi *facto denunciationis*, quia in Synodo Albanensi a. 1886, P. I, a. 5, n. 3 cavetur: « *censuram ipsam per denunciationem cessare.* S. O. *1 Feb. 1871.* » Sed haec responsio S. O. est aut parum nota aut dubia, quae aut latuit D'Annibale, Avanzini, aut eosdem non movit.

At *nomen dantes* aliam praebere debent satisfactionem ut absolvantur.

Absolutio autem a *peccato* necessario expostulanda est, etsi censura resoluta vel absoluta fuerit; imo amplior satisfactio requiritur pro absolutione *peccatorum*, et planum est. Conditio solet assignari, praeter denunciationem, ut abrumpatur quaecumque conversatio cum sectariis, uti iussit S. Off. *die 5 Iulii 1837.* Verum uti notat D'Annibale (*Sum. n. 391, nol. 4*), harum sectarum transfugae se exponunt necis periculo: aut alii valde gravi incommodo a lege Ecclesiae eximente; quare si non obstat ius naturale ob periculum perversionis, quis absolvi potest, quamvis adhuc, timidus et invitus, coetus celebret sectariorum, remoto tamen scandalo.

50. Speciali censura excommunicationis notavit S. Sedes quamdam societatem, decreto diei 4 Aug. 1876 ita distinctam: « *Ipso facto incurrunt excommunicationem speciali modo Rom. Pont. reservatam, omnes et singuli* SOCIETATI CATHOLI-

habentur: « Ne quis vero errori locus fiat quum iudicandum erit quaenam ex his perniciosis sectis *censurae*, quae vero *prohibitioni* tantum obnoxiae sint, certum imprimis est, excommunicatione *latae sent.* mulctari massonicam, aliasque eius generis sectas, quae cap. 2, n. 4 Const. *Ap. Sedis* designantur, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam, sive palam fecerint, sive exegerint, sive non a suis asseclis secreti servandi iuramentum. *Praeter istas* sunt et aliae sectae prohibitae, atque sub gravis culpae reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae *illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam, iureiurando exigunt* ».

CAE PRO VINDICATIONE IURIUM POPULI CHRISTIANI, ET IN PRIMIS ROMANI IN ELECTIONE R. PONT. *nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes vel adhaerentes* ». Prodiit hoc decretum ex S. Poenitentiaria, probante Pio IX, uti videre est apud *Acta S. Sedis* Vol. XVI, p. 148.

Quoad *nomen dantes*, Poenitentiaria declaravit, eos incurrere censuram qui expresse fatentur, se assentire doctrinis in programmate explicatis, et coram duobus testibus obligationem contrahunt dandi operam, ut tales doctrinae propagentur, et societas dilatetur, licet revera non assentiant nec quidquam faciant. D'Annibale, *Comm.* ed. 4ª, p. 141.

§ 2. *De criminibus quae corporis et animae salutem in discrimen adducunt.*

Huc referant. tituli 10, 11, 12, 13, 14, 15, X lib. V, et 4 V in 6.

Summarium. — 51. De his qui manus violentas in seipsos inferunt. — 52. Duellum gravibus poenis compescitur. — 53. Prohibitiones et poenae constitutae in torneamenta et agitationes taurorum. — 54. Quomodo in rem canonicam pertineat titulus: « *De his qui filios occidunt* » et alter: « *De infantibus et languidis expositis* ». — 55. Poenae in procurantes abortum.

51. Charitas quam in seipsum quisque fovere debet, expostulat ut diffugiantur pericula quae *animam et corpus possunt perdere in gehennam*. - Sub hoc respectu *suicidium* est delictum ab Ecclesia magnopere compescendum, atque probat *Thesaurus*, P. II, cap. I - *Manus sibi inferens violentas* - huiusmodi miserrimos homines, si ex hoc facinore decedant, esse privandos sepultura ecclesiastica, nisi pateat eos non suae mentis fuisse, quum sibi mortem consciverint, aut nisi signa poenitentiae dederint, uti iubet Rituale Rom. tit. *De exeq.* - Cf. quae explicavimus Vol. III, n. 181, agentes de *sepultura ecclesiastica*.

Si mortem non oppetant, fiunt infames infamia iuris, ait *Thesaurus*, *l. cit.* et hinc irregulares. At arbitramur hos fieri infames *infamia facti*. Vol. III, n. 261. Illos autem fieri irregulares qui seipsos mutilant, docuimus agentes de irregularitatibus.

52. Severiore censura plectendi erant, qui *duellum* perpetrantes, se ipsos tanto periculo obiiciunt, atque alios in idem discrimen compellunt. Quare in Const. *Ap. Sedis*, excommunicatione simpl. Papae reservata, puniuntur « *Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illum provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis aut imperialis* ».

At non tantum poena excommunicationis tenet duellantes eorumque complices, sed aliae poenae iure communi statutae sunt, quas modo exponemus. - In libro V Decret. Greg. IX titulus XIV inscribitur « *De clericis pugnantibus in duello* », quamvis praescriptiones inibi editas in *cap. 2* spectent etiam ad laicos; siquidem laici increpantur prouti *homicidae*, clerici praeterea, quippe irregulares, depositionis poena mulctantur. Tunc duella patrabantur veluti *iudicia Dei;* at progressu temporis non amplius, *divino numine* invocato, ad experiendam divinam reorum ultionem committi coeperunt, sed vel publica auctoritate vel in privatam vindictam. Quare aliquid dicamus enucleatius de notione duelli.

Communiter canonistae aiunt, duellum esse, *singularem pugnam, nimirum duorum inter se, ex condicto armis ad occidendum, seu graviter vulnerandum aptis et paribus, sponte susceptam*. - Duellum est *publicum*, quod publica auctoritate suscipitur, servatis certis regulis et solemnitatibus praescriptis ab ipsa *publica* auctoritate, quae loco belli ordinet illud singulare certamen, ad finiendam publici iuris controversiam. *Privatum* est, quod privata auctoritate suscipitur, et geritur iuxta regulas ser-

vari solitas, et scriptis legibus confirmatas, ne duellum (quod est alienum ab ipsa intentione duellantium) exuatur forma nobilioris *equestris* contentionis. Non interest an fiat omnibus remotis arbitris seu *patrinis;* nam *substantiali forma* duelli est ut fiat, *a*) inter *duos*, etsi « *convenerint ut non singuli, sed bini, terni aut plures hinc inde pugnent* » ita Clem. VIII Const. *Illius vices* § 5; nempe unus adversus alterum, etsi ex uno et ex altero latere sint duo, tres, vel plures singulare certamen instaurantes, vel etiam etsi plures successive cum eodem certent; *b*) ex *condicto*, id est antea, seu aliquo tempore ante congressionem, indictis pugnae loco, tempore et armis. Quare si *extemplo* duo rixantes conveniant in haec omnia, et arma conserant, non dicuntur patrare duellum *proprio sensu*, cui inhaerendum est, cum *versemur in odiosis*. *c*) Denique duellum committitur *letalibus* et *paribus* armis. Non refert vero an ex conventione dimicandum sit usque ad necem alterutrius (et tunc duellum dicitur *fatale*), vel usque ad primum cruentum vulnus. - Si haec non serventur quoad *substantiam*, patratur vel attentatur *homicidium*, sed non *duellum*.

Duellum *publicum* potest esse licitum, quatenus regitur eodem iure quo bella indicuntur in hostes.

Duellum *privatum* semper est illicitum, et continet homicidii et suicidii reatum; vel saltem, quando duellum non est *fatale*, culpam continet gravis realis iniuriae sibi et alteri illatae, et hoc sufficit ut duellum poenis eccles. sit obnoxium. Nihilominus si ob rationem dimicandi omne abesset, *morali certitudine*, periculum gravis laesionis, forsan reatus non eam haberet gravitatem, ut poenis eccles. diceretur obnoxius. Cf. Palmieri, Boll. Tr. 6, § 5, n. 108.

Verum de duellis quae patrantur ab alumnis Universitatum Germaniae, S. Cong. C. in Wratislavien. *9 Aug. 1890* edixit, inde incurri irregularitatem *ex infamia iuris* (Cf. Vol. III, n. 256 seq.); et inde sequitur, omnes alias incurri poenas, uti opinatur Lehmkuhl, *I, 852*.

Duellum *privatum* postquam exuit indolem iudicialem *superstitiosam*, inde appellatum *iudicium Dei*, adhiberi coepit potissimum a viris militaribus, pro resarciendis offensionibus sibi factis, eo nempe praetextu, hac tantum ratione consultum iri ipsorum honori, et quamcumque repelli socordiae insimulationem. Quam opinionem malo fato adhuc late vigentem, in primis apud viros militares, iam damnavit formiter Bened. XIV Const. « *Detestabilem* ».

Modo de poenis. - In Concil. Trid. *sess. 25 in capite 15, De ref.*, inscripto « *Monomachia poenis gravissimis punitur* » decernuntur hae poenae. « Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae iuxta sacros canones puniri debeant, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant sepultura ecclesiastica. Illi etiam qui consilium in causa duelli tam in iure quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo (1) teneantur, non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili ». Verum quia Tridentinum C. plures recenset duelli, etsi *privati*, solemnitates; quandoquidem coercet poenis tum Imperatores, Reges, Principes qui duellantibus concedunt *securitatem loci*, seu *campum francum;* tum *patrinos* qui duellum moderantur: dubitari coepit, an duellum hisce solemnitatibus destitutum, poenis esset obnoxium. Neque ratio dubitandi caret fundamento, siquidem versamur in re poenali, nempe in odiosis.

Quare, ad omne dubium removendum, Gregorius XIII Const. « *Ad tollendam* » *5 Decemb. a. 1582*, edixit istas poenas incurri ob duellum quamtumvis privatum, omni carens solemnitate. Deinde Clemens VIII Const. « *Illius vices* » *7 Aug. 1592* easdem

(1) De poena *maledictionis* cf. quae explicavimus, Vol. III, n. 181, not. 1.

poenas extendit ad provocantes et cooperantes etiam certamine non secuto; hos praeterea subiecit excommunicationi *l. s.* et privationi eccles. sepulturae, decernens loca ipsa certaminis interdicto obnoxia. Sed hoc interdictum non amplius urgeri valet, quia a Const. *Ap. Sedis* renovata est excommunicationis, non vero interdicti censura. - Metus autem gravium poenarum effecit, ut animi, non satis parati ad obediendum, praetextus exquirerent quibus suam inobedientiam excusare conarentur. Unde disseminari coeperunt opiniones, comprobantes morem duellandi, quotiescumque *honor vindicandus* hoc expostularet. Bened. XIV Const. *Detestabilem*, has sententias proscripsit et poenas auxit, iubens,

1) Non gaudere *iure asyli* sacri qui decertans in duello, hominem interfecerit, etsi mortuus sit extra locum conflictus ex vulnere tamen accepto in duello;

2) Taliter vero interfectum privari sepultura ecclesiastica, etsi dederit indubia poenitentiae signa, et absolutionem obtinuerit a peccatis et a censuris;

3) Denique *poenam* privationis sepulturae incurri ante iudicis sententiam declaratoriam.

Uti iam adverti quoad censuras, progressu temporis latas, hodie tantum viget excommunicatio R. Pont. simpliciter reservata sub n. III in Const. *Ap. Sedis*. - Textum autem quod attinet supra relatum huius censurae, advertatur, « SIMPLICITER *provocantes et illud acceptantes* » excommunicationem incurrere, duello etiam non secuto; complices vero incurrere, duello secuto, uti docet D'Annibale *Comment. h. l.* quem sequuntur communiter alii commentatores. - Sed *complices* intelligimus qui opem praebent *proximam*, veluti patrini, testes, qui litteras provocatorias deferunt, item Medici, Chirurgi, Confessarius, ex rogatu duellantium, eisdem opem laturi, ex Inst. S. Off. *die 28 Maii 1884*. Qui *de industria spectant*, subsunt censurae, si non *obiter transeuntes* reperiantur in loco conflictus, vel spectent e fenestris,

ianuis, vel *subito* accurrant acciti ex rumore. Quare illi *de industria* spectant, qui ita adsunt facinori duellantium, ut videantur approbare eosque incitare ad pugnam. Denique *non prohibentes* illi censentur, qui ex *officio* prohibere debuissent, veluti Reges, Principes in suis territoriis, vel militum Duces qui *suis* hoc certamen non prohibent.

53. Duellandi morem dum vehementer detestatur Concilium Trid. *l. c.* ait: « *Detestabilis duellandi usus, fabricante diabulo, introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur* ». Cf. *c. c. 1, 2. De torneam.* Hac de causa huiusmodi bellicos ludos, in quibus aeque corpus et anima periclitantur, Ecclesia usque detestata est. Porro in cit. titulo decretalium Greg. IX inscripto « *De torneamentis* » (V, 13) edicitur, comminatis poenis, has congressiones viris militaribus armis instructis habere nefas esse, prouti Alexander III in Conc. Lat. III (a. 1179) statuit, et refertur in *cap. 1. h. t.* (ibi): *Detestabiles illas nundinas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire solent, et ad ostentationem virium suarum et audaciae* TEMERE *congredi, unde mortes hominum et animarum pericula saepe proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis* (en poena) *eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti poenitentia non denegetur,* ECCLESIASTICA TAMEN CAREAT *sepultura* ».

Pius V Const. « *De salute* » *1 Nov. 1567*, prohibuit *agitationes taurorum* seu concertationes cum bestiis in Hispania fieri solitas, edens excommunicationem *l. s.* in Principes hos ludos permittentes, et in clericos saeculares et regulares eisdem adsistentes. Verum non exinde vinci potuit studium, quo in eiusmodi spectacula ferebantur Hispani universi; unde rogatu Regis et regni Optimatum, Greg. XIII Const. « *Exponi nobis* » *25 Aug. 1575* censuram prohibitionis servavit dumtaxat in clericos, quos etiam ab hac poena immunes esse voluit Clem. VIII,

Constitutione diei *13 Ian. 1596;* dummodo agitationes istae fierent *secluso periculo*, et extra *dies festos*. Cf. Barbosa et Gonzales *Comm. in h. t.* - Verum in Const. *Ap. Sedis* nullum amplius superest vestigium huius excommunicationis.

Equidem magnae laudi ducitur Ecclesiae, quae per salutiferas poenas spirituales, tunc temporis magnopere efficaces, mores populorum ad barbariem pronos continuerit in officio charitatis socialis. Ita in titulo « *De sagittariis* » illi homines comprehenduntur qui *arte callebant arcubus vel ballistis longius proiciendi saxa, etiam magni ponderis, aut globos ferreos vel plumbeos*. Canones permiserunt hac arte dimicari adversus infideles, minime vero adversus Christianos, uti edicit Inn. III, *c. 1, h. t. X* (V, 15) (1).

54. Ecclesia usque sollicita fuit ne christiani homines crimina perpetrantes graviora, praeter iacturam corporum, animarum etiam sibi pararent discrimen aeternum; quare in tit. 10 cit. lib. V, agitur « *De his qui filios occidunt* » ubi parricidium severe compescitur. Tunc temporis in omnia crimina Ecclesia exercebat censuram, ob competentiam qua pollet in eisdem coercendis, *ratione peccati*, uti docet Inn. III *in cap. 13 De iud. X.* - Cf. Vol. III, n. 49. - Progressu aetatis in plura delicta animadversionem sibi vindicavit, veluti privativam, societas civilis, et Ecclesia non refragata est, quum *indirecte* curaverit, per

(1) Vetitum erat artem istam docere *saracenos* seu infideles, et hanc in *saracenos* seu infideles exercere tantum permissum erat, non contra fideles sub poena excommunicationis *l. s.*, arg. *cap. 6 De Iud. et Saracenis X.* (V, 6), ubi etiam prohibetur Christianis, ne arma deferrent ad infideles, atque in genere cum his aliquod commercium armorum, rerumque ad bellum comparatarum inirent. Nam *effraenatum* commercium armorum id efficit, ut populi barbari et infideles armis instruantur adversus gentes fideles et civiles. Quocirca ius publicum illius aetatis, opera iuris can., altius humanitatis iura tuebatur quam hodie fiat, prout luctuosi eventus docent, quando tanto laudum strepitu ad sidera tolluntur hodiernae leges, quae populorum ius publicum moderantur.

apposita media, resipiscentiam eorum qui poenas luunt civiles. Alia crimina etsi, suapte natura, civilia, obnoxia sunt poenis eccles. quatenus sunt *mixti fori*,

1) Vel quia difficile puniri possunt a lege civili,

2) Vel quia offendunt aliquod ius spirituale.

Ex *primo* capite inter Ecclesiasticos canones adhuc refertur praescriptio canonis - *Consuluisti 20, caus. 2, q. 5.* « *Monendi sunt et protestandi parentes, ne tam tenellos* (infantes) *secum in uno lecto collocent, ne, negligentia qualibet proveniente, suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.... quia si ille qui conceptum in utero, per abortum deleverit, homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit* ». Contra istos *in cap. 3, h. t.* statuta est triennalis poenitentia. quae hodie in desuetudinem abiit; at iure merito in nonnullis dioecesibus ex statutis *synodalibus*, suffocatio puerorum est casus Episcopo reservatus, alicubi etiam cum censura.

In titulo 11 subsequenti cavetur « *De infantibus et languidis expositis* », et ex hodierna disciplina sufficiat revocare quae docuimus agentes de irregularitate ob illegitimitatem natalium, quod attinet ad *expositos*. Cf. Vol. III, n. 238.

55. Ex *altero* capite quia Ecclesia gestit sibi parere in Christo *omnes homines venientes in hunc mundum*, quos per baptismum regenerare valet, proinde gravissimis poenis insecuta est *procurantes abortum*. Uti patet ex cit. Can. *Consul.*, in iure communi *abortum procurantes* accensebantur homicidis. - Sixtus V specialibus poenis compescere statuit tam grave crimen, et in Const. « *Effraenatam* » *29 Oct. 1588* contra eos qui directe vel indirecte, per se vel per alium, opere vel consilio, procurant abortum foetus *animati* vel *inanimati*, decreta est *a*) irregularitas atque inhabilitas ad omnia beneficia, tam simplicia quam curata; *b*) privatio beneficiorum actu habitorum et omnium privilegiorum; *c*) excommunicatio *l. s.; d*) clericus tanti facinoris reus,

deponendus et degradandus est, ut curiae tradatur saeculari. - Verum Greg. XIV has poenas, utpote rigidiores, emollire deliberavit. Porro Const. « *Sedes Apostolica* » iussit,

1) Const. Sixtinam posthac vigere tantum, *si foetus sit animatus;*

2) Episcopo autem (nempe cum foetus est *animatus*) competere per se aut per alium absolutionem impertire ab excommunicatione pro *foro interno* tantum; non vero dispensare ab irregularitate, quum Trid. Concil. *sess. 24, cap. 6 De ref.* excipiat homicidium, cui comparatur abortus foetus animati.

Const. *Ap. Sedis* excommunicationem Ordinariis reservatam ita *sub. n. II* fert in « *Procurantes abortum effectu sequuto* ». Atqui in textu, nulla fit distinctio de foetu animato vel inanimato: ideo haec distinctio, inducta in cit. Const. Greg. XIV *Sedes Apost.* sub a. 1591, dicenda est non amplius vigere; ita communiter commentatores. - *Procurantes* ii sunt qui ex industria, data opera, quaerunt ut *foetus immaturus* eiciatur, sive hoc intenderint per media *physica*, puta per potiones aut percussiones, aut per media *moralia*, veluti per *timorem incussum;* exinde abortus debet esse *directe voluntarius*, adeo ut sequatur directe ex causa, quae posita fuit, ut abortus sequeretur. Quare si mulier praegnans, cuius abortus *procurabatur*, revera eiecerit, at, puta ex lapsu accidentali, non praeviso, excommunicationi non est locus. Praeterea « *Non contrahitur* (docet D'Annibale *Comm. h. l.*) *ex abortu voluntario indirecte et in causa, quamvis ex illicita actione prodierit; veluti si quis mulierem praegnantem graviter percusserit ex ira, odio, zelotypia etc.; eoque minus contrahitur ex abortu admisso sola culpa* (civili) *vel casu* ». *Procurare* autem intelliguntur hi *qui sive per se sive per alium aliquid faciunt, curant* nempe ut abortus sequatur. Unde excludendi sunt *consulentes*, *mandatarii,* complices in genere qui nomine alterius agunt. Inde medicus, chirurgus, qui abortum procurant ex iussu, ex mandato

patris aut matris, non contrahunt censuram quam subeunt pater aut mater.

Verum quaeritur an mater obnoxia sit censurae, quando ipsa sibi procurat abortum. - Equidem mira et supervacanea videbitur haec quaestio, quandoquidem et ipsa sibi abortum procurare potest neque aliis est minus rea. Attamen quaestio haec agitatur inter Comm., quia ante Const. *Ap. Sedis*, seu in antiquioribus Constitutionibus mater distinguebatur - *a procurantibus abortum* - et aliis poenis percellebatur. Proinde Pennacchi *h. l. p. 42*, et Lehmkuhl *h. l.* opinantur, matrem non comprehendi inter *procurantes*, nec teneri censura. At haec sententia non placet, quia Const. *Ap. Sedis* intelligenda est iuxta genuinum sensum verborum etiam dum corrigit ius vetus; quare a textu sententiae nullimode videntur excludendae esse matres. Ita opinatur D'Annibale *h. l.* Génicot et alii; et haec sententia videtur adeo conformis verbis Bullae ut contrariam *in praxi* autumemus non sequendam.

Effectu sequuto. - Quare censura tenet procurantem, postquam *abortus sequutus fuerit.* Si dubitetur an effectus sequutus fuerit *ex alia causa* et hoc *probabile* videtur, excommunicatio non incurritur. Ait Lehmkuhl *h. l.* « *Verum si dubium est, seu potius ignorantia* (adest) *effectus secuti, haec a censura non excusat, quando, re ipsa, effectus secutus est* ». Ex adverso D'Annibale *l. c.* docet « *Excommunicatio reum non tenet, quamdiu sibi non apparet sequutum fuisse* ». Et utrumque verum est; sed Lehmkuhl considerat rei statum *obiectivum* quia *nostra existimatio rerum veritatem non mutat;* seu quando, delicto iam consummato, censura est *in stadio executionis*: D'Annibale perpendit conditionem *subiectivam*, quippe nemo cogitur se habere uti poena ligatum, quam ex adiunctis se incurrisse non putat. Dubium hoc removere nata est sententia *declaratoria.* Cf. Vol. III, n. 70. - Certe non excusat ignorantia *crassa, lata, supina*, quia in nostra Const. nihil de hoc cavetur, prouti antea factum fuerat.

§ 3. *De delictis venereis.*

Huc referat. tit. 16, X, lib. V, et tit. 13, X, IV.

Summarium. — 56. Delicta venerea sunt *mixti fori.* — 57. De fornicatione vel simplici vel coniuncta cum sacrilegio. — 58. De incestu. — 59. De stupro. — 60. Quibus poenis et obligationibus teneatur stuprator. — 61. De adulterio. — 62. De impedimento criminis.

56. Omnia equidem crimina promanant ex quadam effraena cupiditate; ea vero quae e luxuria derivant (quae *delicta carnis* appellari solent) per se, sunt *mixti fori* seu nisi accedat qualitas personae delinquentis nempe clerici, aut conditio sacrilegii, unde determinatur competentia Ecclesiae *privativa.* - Siquidem in genere usus praeposterus virium naturalium ad statum matrimonialem ordinatarum compesci debet etiam ab Ecclesia, cuius est status matrimonialis, evecti ad dignitatem *magni sacramenti*, specialem sollicitudinem habere. Quare *fornicatio* (non *solitaria*) cum *sacrilegio* coniuncta, *incestus*, *stuprum*, *concubinatus*, *adulterium* per Ecclesiae canones diversis poenis mulctata fuerunt.

57. In primis *fornicatio* cum *sacrilegio* coniuncta consideratur uti crimen gravissimum *privative* obnoxium *foro* Ecclesiae, quatenus personam Deo sacram laedit, seu infringit votum castitatis. Verum ex *fornicatione* patratur *sacrilegium*, quasi crimen gravius simplici fornicatione, potissimum quoad *forum externum*, quando ista committitur cum moniali. Nam « fornicatio clerici qui in sacris ordinibus versatur, quamquam verum sit sacrilegium, tamen ut simplex fornicatio punitur », docet Devoti, *Inst. can.*, Lib. IV, tit. 15, § 7. Per fornicationem *sacrilege* laeduntur loca sacra, quando haec polluuntur. Cf. Vol. III, 153. De simplici fornicatione clericorum dicemus postremo titulo.

De clericis taliter sacrilegis aliquid diximus agentes de irregularitate ex bigamia *similitudinaria*, aliqua infra addemus.

Laicus fornicator sacrilegus puniendus est, si casus ferat, poenis *fer. sent.* et privandus esset eccles. sepultura, si impoenitens demoreretur. - Qui iudicis sententia aut notorietate facti de hoc crimine convincitur, fit infamis *infamia facti.* Cf. Vol. III, n. 261, et *Thesaurus*, P. II, v. *Clausura Mon.*, c. VII.

58. De *incestu* haec teneantur. - Incestus crimen constat ex fornicatione, uti ex *genere*, sed *speciem* desumit ex conditione personae cum qua copula habetur fornicaria, scilicet personae *consanguineae* aut *affinis*. - Copulae incestuosae crimen patratur aliquando sub figura matrimonii; et in illos qui incestuosas attentant nuptias, ex Clem. unic. « *De consanguineitate* » *latae sent.* excommunicatio decreta fuit, quae hodie tamen obsolevit. - Praeterea Concil. Trid *sess. 25, cap. 5, De ref.* prohibet quominus dispensatio concedatur illis qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserint. - Ad haec, consanguinei qui matrimonio se copulant incestuoso, si legitima dispensatione donentur, tamen a Dataria additur clausula: « *Quod alter alteri supervivens perpetuo absque coniugio remaneat* »; si vero dispensatio non obtineatur, tunc consanguinei incestuosi separandi sunt, eisdem denegata venia contrahendi alias nuptias arg. *c. c. 3, caus. 35, q. 8* et *9, caus. 35, q. 3.* At hoc impedimentum sane est tantum *impediens;* et hoc fere ubique in desuetudinem abiit neque urget, nisi expresse Dataria hoc apposuerit *Ecclesiae vetitum.* - Denique conditio copulae incestuosae necessario exprimenda erat in precibus pro impetranda dispensatione, adeo ut si reticita fuisset, rescriptum dispensationis laborabat vitio subreptionis aut obreptionis. Sed hodie alio iure utimur, quum decreto S. Off. *diei 25 Iun. 1885* edictum fuerit, adiunctum *copulae incestuosae* reticitum in precibus, dispensationes non irritare. Cf. Vol. II, n. 279.

Coniugi incestuoso qui affinitatis vinculum contraxit cum sua uxore, ius *petendi debitum* denegatur, ast obligatio *reddendi* inest.

59. Stuprum multiplici significatione sumitur. *Generice* dictum est actus *fornicationis* sub forma illiciti concubitus sive cum masculo sive cum foemina eaque coniugata vel vidua vel virgine, uti patet *ex l. 6 § 1. ff. De verb. signif.* - *Proprie* sumptum stuprum est actus fornicationis cum virgine, unde virginalis integritas corrumpitur.

Stuprum *proprie* acceptum aliud est quo, sive per vim sive per metum vel fraudem, virgini adimitur corporis integritas; et hoc est stuprum *propriissime* dictum seu *violentum*; aliud est *non violentum* nec dolosum ex parte stupratoris et voluntarium ex parte stupratae quum nempe integritas virginalis volenti et consentienti aufertur, nimirum errore aut dolo non deceptae. Uti patet, stuprum violentum aut dolosum, praeter malitiam fornicationis, continet etiam iustitiae offensionem quae non habetur in stupro nec violento nec doloso. Inde hoc stuprum, iure merito, a gravioribus iurisperitis habetur uti crimen non distinctum a simplici fornicatione. Ita Layman, *De iustitia et iure III, tract. 3, part. 3, cap. 13.*

Quando stuprum est *violentum* aut *dolosum* et nulla promissio intercessit, saltem *vera*, matrimonii, per se damni facienda est reparatio quatenus expostulat ius laesum. - Ex violatione autem virginis sequitur, *a*) status deterior in ipsa puella quoad alias nuptias forte ineundas; *b*) aliquando proles, ex stupro concepta, alenda et educanda; *c*) infamia sequitur in ipsos parentes, et aliud simile incommodum. - Verum ex iure naturae non urget obligatio ducendi stupratam virginem in uxorem, quando promissio non intercessit matrimonii et alia patet via indemnitati praestandae.

60. At ex iure positivo, caput 1 *De adulterio X* (V, 16) ita iubet stupratorem « *dotabis eam et eam habebis uxorem* »; attamen particula *coniunctiva* ET ex communi interpretatione, et receptis moribus, habita est uti *disiunctiva* VEL. - Sane coacta coniugia solent infelices exitus habere.

Quamobrem 1) posita hac eligendi facultate, electio competit stupratori, tamquam debitori (1). - Impeditur autem hoc electionis ius, si stuprata nolit ei nubere, aut non possit propter aliquod impedimentum, et tunc stuprator tenetur ipsam dotare, quod si non valeat praestare, in carcerem detrudendus esset; unde tribus membris constat comminatio iure facta stupratori « *aut duc, aut dota, aut ad triremes* »; cf. *Thesaurus*, II, v. *Stuprum*. - Hodie poenae spirituali locus fit.

2) Si puella, sponte sua, sui corporis copiam fecit, violator et puella tenentur *in solidum* prolem forte natam alere (2), sed violator nec dotare nec ducere, per se, cogitur puellam. Inquam, *per se*, nam parentes qui puellam collocare non valent nisi *aucta dote*, iudicialiter compellere valent violatorem ut dotem ipse augeat. Cf. S. Alph., *III, n. 640*.

3) Si puella sui violationi consensit ob promissionem *veram* aut *fictam* sibi a violatore factam, violator tenetur puellam ducere in uxorem. Tamen si ipse ob *graves rationes* istam nolit ducere aut non possit, tunc est locus indemnitati per dotem constituendam. Quod iuris si puella ipsa nolit nubere? Etsi nubere recuset ob postea *detectas graves rationes*, violator tenetur puellam indemnem reddere, constituta dote aut alia ratione; si vero puella, ob mutatum voluntatis propositum, quin

(1) D'Annibale, *II, 277*, docet: « *Electio autem mulieris est; nam cogi non potest, nec viro nubere...., nec dotem accipere quippe qua damnum illatum, maxime si non consentit, ad aequalitatem reparari non potest* ». Verum haec doctrina recidit in aliam a nobis traditam, quia neque virum expedit invitum cogere ut ducat defloratam. - Cessat autem necessitas constituendae dotis si mulier quando stuprum passa est in ea conditione non fuerit ut nubere posset; item si stuprum ita sit occultum ut ex hoc nullum damnum patiatur mulier. D'Annibale, *l. c.*

(2) Iure Romano (cf. Schmalzgr. *h. t.* n. 55), mater cogebatur filium *suo lacte* alere usque ad triennium; posthac patris erat filios alere. Ex iure hodierno, veluti ex iure Gallico, quia istud iussum non fit, pater et mater, in solidum, tenentur proli consulere.

ulla exorta sit nova ratio repudii, nubere recuset, violator ad nihil tenetur.

61. *De adulterio.* - Adulterium *late* et *improprie* sumptum, arg. *can. 4, caus.* 32, *q. 4*, est quaecumque coniunctio carnalis non coniugalis, et iuxta Theologos quicumque actus quo persona coniugio ligata offendit legem castitatis, iuxta illud Apostoli (I Cor. 7, 4) « *mulier sui corporis potestatem non habet sed vir, similiter et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier* ». *Proprie* autem acceptum adulterium - *est alieni tori violatio;* - quamobrem in adulterio, quod est in *genere* delicti carnis, *species* habetur iniustitiae ex alieno iure gravissime violato.

Adulterium est *simplex* seu *unilaterale*, quando ex duobus, qui carnaliter commiscent, unus tantum est coniugatus; est *duplex* seu *bilaterale* quando uterque qui copulae illegitimae indulget, est coniugio adstrictus. - Malitia adulterii autem in iure can. eadem est, sive coniux adulter sit *vir* sive sit *uxor*, et hoc advertere praestat quia nonnullae leges civiles deesse reatum adulterii posuerunt quando vir coniux coit cum soluta; quandoquidem tunc deest seminis confusio (1).

Iure antiquo variae constitutae erant poenae in adulteros, veluti excommunicatio saltem *fer. sent.*, *ex cap. 6 h. t.* et carcer

(1) Iure rom. ex leg. 34 ff. *Ad legem iul. de adult.* adulterium tantum in *alienam* coniugem committitur, non in viduam aut innuptam; e contra *iure can. (caus. 32 c. c. 13, 15, q. 5)* statuitur virum adulterium committere sive accedat ad *nuptam* sive ad *innuptam* mulierem: et hoc est conformius sanctitati matrimonii in quo uxoris ius aeque laeditur sive vir aliam mulierem admittat nuptam sive innuptam. Quare non tantum attendenda est confusio seminum, prouti fiebat *iure rom.*, sed laesio iustitiae et *sanctitatis sacramenti.* - Iure can. gravissimum crimen est adulterium, sed ratione poenarum collocatur in *cap. 4 De iud.* § *1* inter *leviora* crimina, quia non sunt crimina plectenda *degradatione*, imo « *potest Episcopus cum clericis post peractam poenitentiam dispensare* » (*cap. cit.*) id est a poena depositionis. Cf. Devoti, *l. cit.* § 1, not. 1.

arg. *cap. 19, De conversione coniug. X* (III, 32); sed hodie istae obsoleverunt; at adhuc vigent nonnullae iuris privationes quae loco poenarum veniunt, nec non instat ipso naturali iure indemnitatis praestandae obligatio. Ideo

a) Coniux adulter privatur iure petendi *debitum*, dummodo alter coniux adulterii reus non fuerit; siquidem arg. *cap. 7, De adult.* « *paria crimina compensatione mutua deleantur* ».

b) Adulteri si paciscantur de matrimonio ineundo in casu obitus coniugis, vel machinentur mortem coniugis, morte exinde sequuta, impedimentum contrahunt dirimens tale matrimonium; multo magis istud incurrunt si *de facto* matrimonium attentent.

c) Adulterium est causa sufficiens divortii nempe *semipleni*, favore alterius coniugis qui adulter non extiterit.

d) Uxor propter adulterium dotem et donationes propter nuptias amittit, vir donationes propter nuptias; *arg. c. c. 2, 4, 5. De donat. inter vir et uxor. X* (IV, 20). Attamen, uti docet De Angelis *h. t.*, hodie Ecclesia non solet applicare has leges et sinit observari leges civiles cuiusque civitatis. Revera agitur *de causis mixtis*. Ast iudex eccles. scire debet, leges *iure can.* latas *cit. tit.* per se adhuc vigere et istis locum fieri si partes expetant iudicari iuxta leges canonicas et iudex arbitretur bonum et prudens esse hoc concedere.

e) Marito vero et filiis legitimis ius est petendi a matre et ab adultero vel ab adulteris, pro *rata* dubii, quando nempe mulier circa idem tempus generationi aptum plures admisit viros et cuiusnam sit proles *adulterina* coniici certe non potest; ius nimirum est petendi alimenta pro prole spuria et huiusmodi prolem excludendi a successione hereditaria. Iudicis vero est determinare in singulo casu in quanam mensura ab adultero et ab adultera indemnitas praestanda sit. Criterium generale est, ut, si mulier libere in adulterium consensit, uterque adulter *in solidum* indemnitati praestandae obnoxius sit; quocirca, per se, quisque, pro dimidia parte, ad damna resar-

cienda obligetur. Cf. S. Alphons., *III, n. 659.* - Ex adverso si quis mulierem subiiecit adulterino amplexui aut violentia aut metu aut dolo, tenetur ipse solus erga maritum, filios legitimos et uxorem oppressam, ad omne damnum resarciendum.

Hae indemnitates quae competunt laesionem passo adversus adulterum et adulteram *in foro externo*, repetuntur *actione civili;* siquidem sub isto aspectu, *civiliter* agitur de adulterio, videlicet pro iure privatorum civium tuendo; nam *criminaliter* seu ad vindictam publicam, agitur quotiescumque poena expostulatur in adulteros ad criminis luitionem. At hodie huiusmodi poenae *a iure can.* sive *lat.* sive *fer. sent.* non amplius in more sunt; at, si casus ferat, poena decernenda est *arbitraria* a iudice, respondens crimini et consentanea rerum adiunctis.

62. Advertatur in re matr. impedimentum criminis provenire *a*) ex adulterio coniuncto cum promissione matrimonii, *b*) ex matrimonio attentato ab adulteris, *c*) ex adulterio et coniugicidio, patrato in scopum ineundi matrimonii, prouti explicatur in tractatu de matrimonio ad tit. *De eo qui duxit in matr. quam polluit per adulterium X* (IV, 7); idemque induere naturam poenae *inhabilitantis*, sed aliquantisper deficere a natura propriae poenae in adulteros, quia non hanc incurrunt omnes adulteri, quod proprie exigit natura poenae.

§ 4. *De criminibus quae pessumdata charitatis aut iustitiae lege, animabus vehementer nocent.*

Summarium. — 63. Qui cogunt mulierem ad monasterium ingrediendum eorumque complices excommunicatione non reserv. percelluntur. — 64. Excomm. item non reservata plectuntur raptores *mulierum* matrimonii ineundi causa eorumque complices, et domini temporales libertatem matr. violantes. — 65. De fidelibus qui decimas non solvunt. — 66. Patronus qui scienter praesentat indignum ad beneficium. — 67. De collusione detegenda. — 68. De obreptione vel subreptione in rescriptis vel Pontificiis vel Episcopalibus. — 69. Fures, usurarii et infames in genere.

63. Concilium Trid. *sess 25, cap. 18 De reg. et monialibus* haec decernit: « Anathemati sancta synodus subdit omnes et singulas personas cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam laicos, saeculares vel regulares atque etiám qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcumque mulierem invitam (praeterquam in casibus in iure expressis) ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere aut professionem emittere quoque modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi, quoque modo, sine iusta causa, impedierint ». Hoc decretum spectat ad foeminas tantum.

Casus in iure expressi, quibus cogere licet mulierem ad monasterium ingrediendum, sunt ex *c. c. 18, 19, De convers. coniugatorum X* (III, 32) quando vel mulier delinquens ad

monasterium ingrediendum cogitur, in criminis poenam, vel ne labatur in crimen incontinentiae, utputa quum consenserit virum assumere ordines sacros et ipsa de incontinentia est suspecta. Sed cogi debet *ad monasterium* ingrediendum, non ad professionem; uti advertit S. Alphons., *VII, n. 212.* - Verum distinguitur triplex casus, nimirum vel *cogere ad monasterium ingrediendum*, vel ad *suscipiendum habitum*, vel *ad professionem emittendam;* sed ex probabili opinione (cf. S. Alphons l. c.) non incurritur censura nisi ab eo qui cogit ad ingrediendum monasterium aut ad suscipiendum habitum ut dein inducat ad vota nuncupanda professionis. Attamen iure merito S. Alphons. *probabiliorem* appellat sententiam Suaresii *(De regul. D. 23, Sect. 7, n. 9)* autumantis censuram incurrere et eos qui cogunt foeminam ad monasterium ingrediendum, dumtaxat ut inibi commoretur, proprio habitu retento. Sed versamur in *dubio iuris*. Verum an solemnia vel simplicia vota ibi comprehendantur, quia agitur in genere de vita religiosa, quaerit De Varceno, *Th. moral.*, Thom. II, p. 517, et opinatur in Decreto Trid. comprehendi quascumque, etiam hodiernas, Congregationes; sed contrariam tenet sententiam Pennacchi *Comm. II*, p. 274 et hunc sequimur quia versamur in odiosis.

Non minus grave crimen patrant impedientes professionem seu *veli accipiendi aut voti emittendi voluntatem.* - At cavetur « *quoquo modo sine iusta causa* » quia legitimae causae adesse possunt impediendi, *veli susceptionem ne votum emittatur.* Sane *longe communior* est DD. sententia, nempe *velum suscipere* vel *votum emittere* idem significare ex mente Concilii, quia intelligitur veli susceptio ad emittendam professionem. Cf. Pennacchi, *l. cit.*, p. 277. - *Impedire* autem illi censentur qui *moralia* quoque ponunt obstacula ne vota emittantur.

64. Matrimonia iniri debent ita ut nupturientes plena fruantur libertate. Inde constitutum impedimentum *raptus* qui fit, *per violentam abductionem mulieris de loco tuto in alium*

ubi sub potestate raptoris detinealur matrimonii ineundi causa. In Concil. Trid. *sess. 24, De ref. matr. cap. 6* ita excomm. nemini reservata decernitur: « *Raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes sint ipso iure excommunicati,* ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces et si clerici fuerint de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare ». Haec sunt perspecta, sufficiat dumtaxat innuere, raptores has poenas incurrere, etiamsi « *rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit* » uti iubet Trid. Conc. *loc. cit.;* quandoquidem impedimentum *ex raptu* dirimens viget tantum quousque rapta est sub raptoris potestate; poenae autem, inito etiam legitime matrimonio, incurruntur.

Huic censurae subsunt *consilium, auxilium et favorem praebentes,* nempe ad raptum; non item si haec praebeant post raptum ut rapta mulier censentiat in matrimonium. Ad haec, in subsequenti cap. 9 sub rubrica: « *Ne domini temporales aut magistratus quidpiam libertati matrimonii contrarium moliantur* », Concil. Trid. decernit seu « *praecipit S. Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant quominus libere matrimonia contrahant* ». Quia sermo est de *dominis temp.* et *magistratibus,* ergo excluduntur *domini spirituales* cuiuscumque gradus; sed reges quoque et imperatores, quia hi *domini temp.*, ex intentione satis expressa Concilii Trid., sunt qui *iure feudali* dominantur in aliquam provinciam. Quinam vero sint *magistratus* clare patet. Porro inibi intelliguntur illae coactiones quae non praecipiuntur per leges sed iubentur per abusum auctoritatis ab illis qui praesunt immediate provinciis. Sed hodie apud nos, hisce abusibus locus ferme amplius haberi non potest.

65. Quae violationes humanae libertatis in tam gravi negotio

equidem magnopere offendunt legem charitatis et iustitiae atque animarum parant aeternam damnationem quia vinculum iniiciunt libertati hominis qui dum se ab iniusto nexu expedire contendit, faciliter transgreditur legem quoque divinam, videlicet constituitur in occasione peccandi seu delinquendi.

Laedit praeterea charitatis legem et iustitiae fidelis qui decimas ipse non solvit aut alienas in rem suam convertere audet, et inde subtrahens Ecclesiis vel eius administris necessarias opes, quantum in se est, impedit divini cultus vel pastoralis ministerii exercitium. Concil. Trid. *sess. 25. cap. 12, De ref.* decrevit: « *Qui vero eas* (decimas) *aut subtrahunt aut impediunt excommunicentur nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta, absolvantur* ». Uti patet ex contextu sed maxime uti authentice interpretata est S. Cong. Concil. in Ariminen. *8 Iun. 1679*, et Ianuen. *9 Feb. 1737*, excommunicatio est *fer. sent.* Ergo non bene opinatur *Thesaurus, l. c.* v. *Decimas, cap. II.*

Patroni qui in fundis beneficialibus tale crimen patraverint convertendo in rem suam fructus, titulo decimarum aut alio quocumque titulo, tribuendos Ecclesiae, praeter hanc excommunicationem *fer. sent., ipso iure* incurrunt privationem *iuris patronatus*. - Nihilominus necessaria est sententia *declaratoria*.

66. Patronus qui scienter praesentat indignum laedit iustitiam distributivam, et quantum in se est efficiens ut indignus administer ingeratur in rerum sacrarum dispensationem, fit animarum fidelium proditor et interemptor, uti monet Trid. *sess. 24, cap. 1, De ref.* - Ex cap. *Cum in cunctis* § *3, De elect. X* (1, 6) patronus praesentans scienter indignum privatur, ea vice, iure praesentandi. - Ast uti refert Bened. XIV in oper. *De Syn. dioec. 12, 7, 6* quaesitum fuit in Auditorio S. Rotae an omnes patroni sive laici sive ecclesiastici hac poena tenerentur; et decisum fuit, dumtaxat patronos eccles. iure praesentandi, ea vice, decidere. Qui patronus praeterea, vi *cit. cap.* incurrebat suspensionem a beneficio, quae hodie tamen obsolevit.

Quoad poenas latas in eligentes indignos, notetur, hodie vigere tantummodo privationem iuris eligendi pro ea vice, et hanc incurrere clericos, quia electionis ius pertinet ad clericos; praesentandi autem ius etiam ad laicos spectat. Cf. *Thesaurus*, P. II, v. *Patronus*, *cap. VI.*

67. In Decretalibus Greg. IX, *lib. V*, *tit. 22* inscribitur: « *De collusione detegendae* ». Iamvero *collusio* crimen est impediens iustitiam *iudicialem* in re aut criminali aut spectante ad bonum publicum, veluti in causa beneficiali; nam exinde crimina redduntur impunita vel iura laeduntur illorum quibus nocere destinata est collusio. Haec ita definiri potest: *latens et fraudolenta conventio inter actorem et reum aut inter istorum procuratores aut advocatos in praeiudicium iustitiae et veritatis* ».

Per se in *civilibus* collusio ne intelligi quidem potest; siquidem in hisce causis huiusmodi conventio censetur esse species transactionis; dummodo tamen conventio non noceat tertiae personae, absque sua culpa, conventionis nesciae. Hoc etiam in casu habetur quaedam species fraudis, utputa *falsi* in re iudiciali, sed *collusio* proprie non admittitur. - In *criminalibus* vero iudiciis et in causis quibus agitur de re obnoxia publicae auctoritati, uti sunt beneficia, vel de re obnoxia legi divinae, uti matrimonia, collusio est crimen (1). Ad collusionem praepediendam constitutus est Procurator fiscalis, cuius species est Defensor matrimonii, in controversiis nimirum iudicialibus de valore vinculi matrimonialis, ex Const. *Dei miseratione* Bened. XIV.

68. In recensendis criminibus quae sive a laicis sive a clericis admitti contingit quaeque violent legem naturalem-eccle-

(1) In cap. 3, *h. t*, statuitur privationis poena *fer. sent.* in clericos qui ita colludunt, ut conventione facta cum illis qui iure merito valent impugnare beneficii collationem, lis instituatur; sed postea eo pacto « ut quaestioni cedatur et iidem clerici beneficia quiete possideant, quasi nomine transactionis, solvunt aliis de ipsis beneficiis annuam pensionem ».

siasticam, omittendum non est crimen obreptionis aut subreptionis in rescriptis impetrandis admissum; cuius criminis *poena* est nullitas rescripti *ipso facto* afficiens rescripta si rescriptum sit *gratiae;* nullitas ex adverso *ope exceptionis* obtinetur si rescriptum sit iustitiae, saltem iuxta veriorem sententiam; arg. *cap. 22, h. t.,* cf. Pirhing *h. t. n. 85* (1), Garzias, *De benef., part. 8, cap. 3.*

Elegans est quaestio an haec nullitas *in poenam* incurratur etiam in rescriptis Episcopalibus seu alterius Praelati Papa inferioris. - Hanc quaestionem agitat Garzias, *De benef., part. 8, cap. 2;* et varias DD. recenset opiniones. Ipse opinatur *poenam* nullitatis non aeque spectare ad rescripta Episcopalia, veluti ad litteras dimissorias, ad dispensationes, ad absolutiones a censuris, ad collationes beneficiorum; et hanc opinionem sequimur, quia haec *poena* in iure satis expressa non est, arg. *Clem. 2, De off. ord.* - Ceterum, (et hoc advertatur quoad praxim), ista sententia considerat *poenam* nullitatis seu nullitatem decretam in *poenam,* non ipsam nullitatem derivantem ob *vitium* intrinsecum, afficiens ipsam voluntatem concedentis; quando nempe obreptio pertinet ad causam *motivam.* - Praeterea advertatur requiri sententiam *declaratoriam,* quotiescumque nullitas edicatur incurri ex *poena;* uti scite notat D'Annibale *I, n. 238;* proinde si ista rescripta iudex edicat laborare nullitate, declarare debet quanam ex causa nulla sint id est aut in *poenam,* aut ob *naturale vitium* obreptionis aut subreptionis, et inde alteri parti via patet impetendi hanc sententiam etiam in iudicio appellationis (2).

(1) Maschat *Inst. Can. h. t., n. 10,* mordicus defendit contrariam sententiam. - Nos locuti sumus de *crimine obreptionis* aut *subreptionis* nam quando obreptio aut subreptio committitur sed ex *ignorantia* aut *simplicitate,* rescripta laborant nullitate si Princeps *cognita veritate* aliter rescripsisset, quoad *substantiam* concessionis.

(2) En verba quibus Garzia *l. c.* enunciat suam sententiam. « *Id*

69. In eodem libro V Decret. Greg. IX agitur de diversis criminibus quae iustitiam offendunt eamdemque pervertunt Religionem. Sane in titulo 17 res est « *De raptoribus, incendiariis et violatoribus Ecclesiarum* »; in tit. 18 « *De furtis* »; in tit. 19 « *De usuris* »; in tit. 20 « *De crimine falsi* »; in tit. 21 « *De sortilegiis* ». Iamvero quoad eiusmodi crimina illud in primis advertatur, haec habere aspectum pure civilem seu subiicienda esse animadversioni potestatis civilis, veluti *furta, incendia, falsi admissio;* iure vero Decretalium fuisse coercita poenis eccles. utpote *peccata* gravissima, poenis externi fori compescenda, pro mensura externae deordinationis inductae in ipsa civili societate; prouti explicavimus Vol. III, n. 49.

Praeterea, si furtum excipias, incendia et rerum non ecclesiasticarum direptionem aut rapinam, alia crimina veluti *falsum* in litteris Apostolicis, *sortilegia* et *usurae,* submittenda sunt poenis ecclesiasticis, quippe vel directe pervertunt exercitium potestatis eccles. veluti *falsum* (de quo iam egimus) et fideles pertrahunt in errorem quoad praecepta morum et fidei; vel honestam vivendi rationem inficiunt, uti sortilegia et aliae divinationes quae superstitionem fovent in populo cum tanto anima-

tamen in Papa et Legato procedit, non in Ordinario, in quo non datur subreptio sed dicitur procedere motu proprio et Ecclesiis non personis providere, sicut Papa et Legatus et sic provisio Ordinarii non potest de subreptione impugnari ». Auctor ipsi Papae comparat eius Legatos qui eius nomine et auctoritate rescribunt. - Ratio iuridica quae *probabilem* reddit hanc doctrinam, est quia, uti habet Thesaurus *v. Gratiae c. VIII,* Ordinarii « *non dicuntur gratiam facere sed ex officio providere* »; siqui dem non moveri debent ex precibus petentis sed ob cognitionem rei, pro suo officio, exploratam. - Papa ex adverso, quippe superior iure communi, censetur etiam gratiam facere contra ius commune seu concedere privilegium. - Quare vitium obreptionis et subreptionis tunc videtur attendi in rescriptis Episcopalibus non secus ac in Pontificiis, quando Episcopus potest concedere privilegia. - Haec quaestio *practica* est, iuxta ea quae docet Sanchez *lib. 8, De mat. Disput. 21.*

rum detrimento, siquidem natae sunt decipere incautos quibus sortilegi homines tum errores propinant et veram in Deum religionem labefactant, tum bona furantur. - Hac ratione, canones vetarunt, electiones fieri *per sortes;* namque caecae fortunae remittenda non est praelatorum et administrorum Ecclesiae electio, arg. *cap. 42 X, De elect.* Sed non prohibentur *sortes divisoriae* ut puta in assignandis portionibus hereditariis. - *Usurae* vero usque damnatae fuerunt ab Ecclesia, quippe quae sunt extrema ruina miserabilium personarum, quarum Ecclesia est tutrix vigilantissima. Verum hoc est gravissimum argumentum de quo aliquid specialius explicare oportet.

Denique advertimus, quaecumque crimina aliquam animadversionem et censuram pati apud Ecclesiam, quatenus criminosi fiunt *infames* vel infamia facti vel infamia iuris: *infamibus autem portae non pateant dignitatum;* arg. *reg. 87, iuris in 6.* Cf. Vol. III, n. 261.

§ 5. *De usuris.*

Summarium. — 70. Usurae notio. — 71. In quo consistat usurarum malitia, quare ab Ecclesia usque fuerunt et sunt damnatae. — 72. Quomodo iure ipso naturali damnatae sint usurae. — 73. Tamen non ex titulo mutui *intrinseco* sed ex *titulo extrinseco* usurae repeti valent, inito mutuo. — 74. De titulo *legali.* — 75. Usuras quomodo iure rom. stipulari fas erat. — 76. Sententia D'Annibale, expenditur at probabilis non videtur. — 77. De poenis in usurarios.

70. De usuris heic agimus ut explicemus crimen quod in exigendis usuris aliquando patratur. Unde in propositum, usura est: *quidquid ob rem mutuo datam expostulatur a debitore ultra sortem.* - In quo consistat malitia usurarum modo dispiciendum est.

71. Sane Ecclesia iam a suo initio insectata est acerrime usuras, prouti docent sententiae SS. Patrum, et has, rationibus

ductis quoque a naturali iure, Theologi, duce Divo Thoma, *(2ª. 2ae. q. 78, art. 2)* explicarunt, adeo districte asserentes esse vetitas usuras ut ne munus quidem *ab obsequio, a lingua*, quod sane est quid minimi valoris (1), solius mutui causa, exigi posse docuerint, comparantes crimen *usurae* crimini *simoniae*. Hanc doctrinam confirmarunt Pontifices quorum sententiam exprimens Alexander III in *cap. 4 h. t.* edixit: « *Respondemus quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur super hoc disputationem aliquam posse fieri non videmus* ». Benedictus XIV perpendens esse concordes Conciliorum et Pontificum sententias, innixas auctoritati

(1) Ballerinus, *De usuris in praef.* advertit Ecclesiam, per duodecim priora saecula, condemnasse usuras, quas exercebant homines mercatores et in mensura omnino immodica, male interpretantes (maxime sub saec. XI, XII) leges iuris romani uti explicat D'Annibale, *II, n. 531, not. 2*; postea vero, saeculo XIII, Ecclesiam condemnasse haereticos uti catharos qui usuras licitas esse asserebant. Hunc errorem instauravit Calvinus quem plures e *reformatoribus* secuti sunt. - Celebris est controversia de usuris a Iansenistis excitata in Belgio occasione editi opusculi: *Mémoire sur l'état présent des refugies François en Hollande au sujet de la religion*, Paris 1828. - Sub saeculo XVIII, aetate Benedicti XIV quia, auctis rerum commerciis, usurae frequentabantur, tamen ob titulos *extrinsecos castrenses* (a Paolo de Castro qui saec. XVI eos probavit et induxit in foro), inter homines etiam catholicos, usurae patronos nactae sunt; ita pro usuris scripsit Nic. Broendersen (Parochus Delphi) *De usuris licitis atque illic.* a. 1743; Scipio Maffei, *Dell'impiego del denaro*, Verona 1744; Mastrofini, *Le usure*, Roma 1831, De Luzerne, *Sur le prêt de Commerc*, Divioni 1823; Genovesi, Tom. IV, *Metaph.*, lib. II, *De off.* cap. X, § 22. - Inter hodiernos, cf. Antoin, *Cours d'Economie sociale*, et Gaggia, *Le usure nelle fonti del diritto canonico*, Riv. internaz. Scienz. soc. Roma, fasc. Dec. 1897, p. 523 et fasc. Genn. 1898, pag. 39 et passim epheme· ides quae disserunt de re oeconomica sociali. Hoc enim argumentum hodie etiam est practicae utilitatis; namque usurae hactenus, malo fato, late opprimunt homines pauperes, praesertim agricolas et omni opere adnitendum est ut usurae *immodicae* vehementer exprobrentur et infamiae nota aspergantur qui illas exigunt, et ne inveniant qui eiusmodi usuras praestent, efficiendum est.

S. Scripturae, concludit *(De Syn. 10, 4, 6):* « Dicere autem summos Pontifices et concilia praedicti textus verum et genuinum sensum non esse assequuta, quod aliquos mussitare non puduit, ut temerarium et haereticum est ». Haec inculcabat Pontifex quia sua aetate non tantum haeretici, uti Calviniani, sed etiam auctores catholici, uti Scipio Maffei, usuras, vi mutui exactas, licitas esse asserere non dubitabant. Proinde sub initio sui Pontificatus idem Pontifex litteras edidit encyclicas « *Vix pervenit* » ad Episcopos Italiae directas quas in opere *De Syn. dioec.* in editione evulgata postquam ille tractanda susceperat Ecclesiae suprema gubernacula, iuxta suam mentem ita explicat *l. cit.*, scilicet: « *primo omne lucrum ex mutuo, ratione mutui, usurarium et illicitum esse; secundo ad usurae labem purgandam nullum accersiri posse subsidium vel ex eo quod id lucrum non excessivum et nimium sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit vel ex eo quod is a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur non pauper sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam sed ad fortunas suas amplificandas vel novis coemendis praediis vel quaestuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus: tertio, quamquam una cum mutui contractu possint quandoque* ALII TITULI, *ut aiunt,* FORTE CONCURRERE IPSI MUTUO EXTRINSECI, E QUIBUS IUSTA ORIATUR CAUSA ALIQUID ULTRA SORTEM EX MUTUO DEBITAM EXIGENDI, *attamen falso et temere affirmari diximus, eiusmodi titulos semper reperiri ac ubique praesto esse ita ut illorum ratione, quotiescumque pecunia, frumentum aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque, recipere* ». Nonnulli dubitarunt an hae litterae auctoritatem haberent pro universa Ecclesia, quippe quae datae sunt tantum ad Episcopos Italiae, at Gregorius XVI, *die 29 Iulii 1836,* approbavit responsum S. Officii edicens, illas litteras *respicere universalem Ecclesiam.* - Quamobrem

nullimode probare possum quae autumat d'Annibale, *II, n. 532* aiens: « *prodiit 1 Nov. 1745 celebris Encyclica Bened. XIV* VIX PERVENIT; *sed cum de genuino eius sensu ultro citroque gravissime disputatum fuerit, lis sub iudice remansit et adhuc remanet* »; videlicet an usurae licite exigi possint vi IPSIUS CONTRACTUS MUTUI.

Etenim posse usuras exigi ex quodam titulo extrinseco *lucri cessantis, damni emergentis, periculi sortis* (1) omnes admittunt, prouti fatetur Pontifex in cit. litteris. Porro S. Cong. de Prop. Fid. a. 1645 (Coll. P. F. n. 2118) respondit, non esse inquietandos christianos Sinenses qui in mutuo recipiebant triginta pro centum, quantitatem nempe legibus patriis taxatam, « *dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis* eiusdem, ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur ». Proinde S. Poenitentiaria, (18 Apr. 1889) monuit, periculosum esse fructum pecuniae per modum regulae taxare, et recurrentes remisit ad « *praxim communem servatam* ab hominibus *timoratae conscientiae* respectivis in locis et temporibus ».

72. Quia de doctrina Ecclesiae constanti et gravissimis documentis explicata nobis nullimode dubitari posse videtur, modo breviter expediemus probationem huius theseos, scilicet, *illicitum, ex ipso naturali iure esse, vi* IPSIUS CONTRACTUS MUTUI, *usuras exigere seu aliquid supra sortem mutuatam.*

Sane mutuum recensetur inter contractus *gratuitos*, quia obiectum mutui sunt illae res quae dicuntur vel *usu consumptibiles*, quae scilicet usui non inserviunt nisi mutentur in earum specie et novam assumant formam, veluti frumentum; vel sunt *fungibiles*, quia eorum valor non consideratur in individuo

(1) Praeterea recenseri solent uti tituli *extrinseci*, *labores insoliti* sustinendi ad sortis recuperationem; et *poena conventionalis* seu pactum quo mutuatarius se obligat ad solvendam certam pecuniae quantitatem, si sortem tempore statuto non solverit. (S. Alphons., *IV, 766*).

sed in *pondere, numero et mensura* uti loquitur *l. 2, § 1, ff. De rebus creditis;* veluti pecuniae valor non aestimatur habita ratione nummi *materialis* seu *concreti* sed eius *ponderis, numeri* et *mensurae;* quare, per se, eumdem obtinent valorem scutata omnia quae conveniunt in *pondere, numero et mensura* (1). Cum tale sit obiectum mutui, mutuum definitur: « *Contractus quo res usu consumptibilis vel fungibilis alicui datur ea lege ut tantumdem eodem genere restituatur* ». Inquam *eodem genere,* quia iuristis *species* est quod philosophis est *individuum* et *genus* quod philosophis est *species.* - Proinde obligatio mutuatarii illa est ut, statuto tempore, restituat mutuanti rem mutuatam in eadem qualitate et quantitate seu frumentum mutuatum restituat pro eadem qualitate et quantitate et summam pecuniae reddat in eadem quantitate.

Consequentia est, (et hoc sedulo advertatur) rem mutuo datam transire *in dominium* mutuatarii qui eamdem consumit aut alienat, quocirca si res fructificat fructificat domino, si perit perit domino, scilicet mutuatario. Inde Divus Thoma apodicticum conficit argumentum in condemnationem usurarum (2^a. 2^{ae}, q. 78, art. 2), probans ex vi mutui usuras non venire, quia in contractibus de iure naturae servanda est aequalitas, quae examussim obtinetur in contractu mutui quando eadem res mutuo accepta in genere restituitur. Nec mutuans, vi mutui, fructus ex usu rei mutuatae exigere valet, quia mutuatarius fit dominus rei mutuatae et res fructificat domino.

73. At deinceps haec advertit Divus Thomas *l. c.*, obiecta enim sibi hac difficultate: « Videtur quod aliquis possit pro pecunia mutuata aliquam aliam commoditatem expetere. Unusquisque enim licite potest suae indemnitati consulere, sed quandoque damnum aliquis patitur ex hoc quod pecuniam mutuat. Ergo etc. »;

(1) Hinc unus nummus adequate repraesentat alterum eiusdem ponderis et mensurae seu unus *fungitur* pro altero; hinc dictae sunt res *fungibiles.*

respondet: « Ad 1um *ergo dicendum quod ille qui mutuum dat, potest absque peccato, in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit recompensationem damni per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere; hoc enim non est vendere usum pecuniae sed damnum vitare* (1) ». Et hoc, iure meritoque, tunc enim non vi mutui, sed pro damno vitando statuitur certa mensura indemnitatis: en fundamentum naturale titulorum qui mutuo dicuntur *extrinseci*, quales *damnum emergens, et*

(1) Equidem non possum approbare quod docet Lehmkuhl, *I, n. 1090* secutus communem dicendi rationem, nempe obiectum mutui esse rem *sterilem* et *infructuosam*, veluti pecuniam; unde celebris quaestio inter DD. quomodo *pecunia sit per se infructuosa;* nam per se, nec antea nec hodie pecunia uti vere *infructuosa* dici potuit nec potest; et D'Annibale scite advertit, *aedes etiam et alia multa*, quae sub annuo censu locantur, *sterilia esse*. Equidem passim scriptores hodierni vehementer reprehendunt doctrinam catholicam de usuris, autumantes hanc inniti principio, pecuniam et alias res mutuo obnoxias, esse *infructuosas* et *steriles*. Cf. Nouvelle Rev. Histor. de droit français et étrang. - Louis Theureau, *Notice historique sur le prêt à l'intérêt* (1893) an. 17, pag. 708; et Angelo Main, *Storia dell'usura nel mondo pagano e nel cristianesimo*. Riv. intern. Scienz. soc. Roma, fasc. Feb. pag. 215, Maii pag. 27, Sept. pag. 24 (1897). - Etenim res mutuatae in genere non debent dici steriles et infructuosae per se, sed quoad mutuantem et hoc profundissime explicat Divus Thomas *in corpore art.*, advertens res mutuo datas non posse ad usum traduci quin consumentur aut distrahantur; unde mutuans non potest dare usum, sibi reservato rei dominio, prouti fit in aedibus locandis. Quare mutuatarius fit dominus mutuatae *pecuniae* quae si fert fructum, domino fert. Hodie pecunia sane habetur ab omnibus uti *fructifera* et tamen non est mutata ratio mutui, sed tantum attenditur ratio damni *extrinseci* ipsi contractui, ex parte mutuantis. Huic sententiae non obstat definitio Concil. Lat. V, sess. 5, ubi cavetur: « *Ea est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum foetusque conquiri studetur* ». Denziger, *enchirid.* n. 623. Nam haec definitio non est doctrinalis sed explicat practice malitiam *peccati usurae* quippe ex *re non germinante* (seu ex pecunia quae opponitur *rebus germinantibus*) absque ullo *labore* et *periculo* vult percipi fructus, *vi mutui*.

lucrum cessans aut periculum sortis. - Rationes autem ex quibus gignuntur hi tituli *extrinseci* nullimode pertinent ad naturam mutui, sed ad temporum et rerum adiuncta, in primis ad commercii conditiones. - Quae hodie sunt eiusmodi ut quisque civis detinens *centum libellas*, pro singulo anno, dummodo velit, potest easdem vel in versuris publicis (nimirum in *litteris crediti ex publico aere alieno)* vel in aliqua *Arca Compendiorum* aut *Parsimoniae* absque aliquo incommodo et omni procul periculo collocare, unde annuum fructum recipit. Proinde si amico expetenti mutuum, dabo mille libellas, ne mihi hoc mutuum in damnum vergat, debeo stipulari usuras quas nempe perciperem si alia ratione mutuam dederim pecuniam. - Inde factum est ut S. Sedes visa sit non amplius prohibere usuras; quippe quae saepies consulta respondit, *non esse inquietandos* eos qui ex mutuo usuras aliunde modicas et pro rerum adiunctis moderatas paciscuntur et exigunt. In Collect. *Lacensi,* Vol. VI, col. 677 habes abunde relatas huiusmodi responsiones quae ceterum passim invenies apud Theologos (cf. Lehmkuhl, *l. c.*): hinc praetereo. Tantum adverto, caute et veluti negative S. Sedem approbasse usurarum stipulationem, ne videatur approbare usuras *vi ipsius mutui*, quas usque damnavit et damnabit, si rerum conditio mutetur quamobrem iubet fideles *paratos* esse *stare mandatis Ecclesiae*, ut pateat diserte, approbationem hodiernam pendere ex mutabilibus rerum adiunctis.

74. Inter DD. acriter disputatum est et adhuc disputationi est locus quia formiter rem S. Sedes nunquam expedire voluit; quomodo nempe *titulus legis Principis* seu *praemium legale* determinans quantitatem usurarum quae, in defectu expressae stipulationis, censendae sunt deberi mutuanti pecuniam aut eius creditori, probari valeat uti ratio legitima pro exigendis usuris. - Iamvero videtur hic legis titulus non posse considerari uti ratio distincta ab aliis titulis sed magis uti legalis determinatio *quantitatis* usurarum quas exigere fas est habita ratione

commercii seu publicae existimationis quoad valorem pecuniae mutuatae (1). Cf. Lehmkuhl, *l. cit.* - S. Officium approbante Papa Pio VIII, *die 18 Aug. 1830* respondit *non esse inquietandos* qui hoc titulo, in exigendis fructibus ex mutuo, utebantur.

75. Item ius positivum Romanorum recognovit, usuras non deberi vi mutui, sed repetendas esse ex adiecta stipulatione; arg. Prol. Inst. *Quibus modis re cont. obl.* et l. 2, *ff. De reb. cred.;* non secus statuitur in Codicibus populorum civilium; Cod. Civ. Gallic. a. 1892. It. 1819, Aust. 983 (2).

(1) Cl. Santi in *h. tit. n. 14 seq.* videtur *titulum legis* velle distinguere ab aliis titulis communibus sed frustra laborat.

(2) Benedict. XIV in litt. « *Vix pervenit* » § 3 advertit: « Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam per alios diverse prorsus a mutui natura contractus recte collocari et impendi sive ad proventus sibi annuos conquirendos sive etiam ad licitam mercaturam..... honestaque itidem lucra percipienda ». Inibi Bened. XIV modos innuit quibus in Ecclesia usque licitum fuit percipere lucrum per honestam pecuniae negotiationem, nimirum per *census*, per *cambia*, per contractum *societatis*. - Census est *realis* aut *personalis* -. Census realis *est ius percipiendi reditus ex praedio aliquo;* et proinde emere hoc ius nullam continet labem simoniae, prouti probatur ex Const. Martini V *Extrav. 1 De emp. et vend. inter commun.* et ex Const. Pii V *Cum onus.* Census est *personalis* qui constituitur non super re aliqua fructifera sed super persona venditoris qui sibi et suis heredibus obligationem imponit solvendi certam pensionem ex industria et labore suo. Acris quaestio inter DD., an hic census, ex iure naturae, esset species mutui sub usuris et hinc prohibitus: cf. Bened. XVI *l. cit.* Quia periculi plenus est hic contractus, proscriptus fuit a Pio V Const. *Cum onus.* - Si vero alicubi haec Const. non est recepta, uti docet Bened. XIV *l. cit.* tunc observandum est ius naturale, quod, iuxta sententiam Bened. XIV *l. cit.*, proscribit hunc contractum, uti mutui, sub usuris larvatis, contractum. Verum non omnes DD. conveniunt, *censum personalem* esse mutuum sub usuris, et hinc prohibitum naturali iure, imo contrarium docet Lehmkuhl *l. c.* - Census est naturâ sua perpetuus, sed ex conventione fit *redimibilis;* si enim ineatur census ad vitam dicitur *vitalitius.* - *Cambium* est permutatio pecuniae cum moderato campsoris lucro quod tribus modis fieri usque permissum fuit; vel scilicet

76. Nihilominus D'Annibale *l. c.* opinatur non posse probari *iure naturali* esse vetitas usuras. Advertit enim (II, 533). « Sane quod hoc iure urget, unum est, dominium rei mutuatae in accipientem transire; dominum autem ob rei suae usum quidvis alii praestare et iniquum et absurdum esse. Ita porro: verum qui rem mutuam alii dat ei procul dubio beneficium praestat, beneficia mercedem recipere naturali iure posse quis neget? » Quod principium explicat exemplis idem Doctor *l. c.* sub n. 439, not. 3, docens posse recipi mercedem seu pretium ob *officium honestum* seu *beneficium quod quis alteri praestat etiam citra omne damnum vel incommodum;* utputa in sequentibus casibus:

permutando pecuniam praesentem cum alia diversae speciei, puta auream cum argentea; vel numerando campsori pecuniam in uno loco, puta Romae, restituendam in alio, puta Parisiis; vel contra accipiendo ab ipso campsore pecuniam Romae ut illa eidem restituatur Parisiis. - In contractu *societatis* impenditur ab una parte pecunia, ex altera labor et industria unde socii lucrum sperant. - Sed societas est contractus *aleatorius;* inde inventus est iampridem *celeber contractus* TRINUS qui tantas excitavit DD. controversias, quique damnatus fuit a Sixto V Const. *Detestabilis avaritiae;* at Const. quaestiones non e medio abstulit quia DD. eam interpretati sunt ut tantummodo istum voluerit damnare quotiescumque fuerit *larvatus contractus usurarius.* Habetur hic *trinus* contractus, quando contractui societatis adiicitur duplex contractus *assecurationis.* In societate enim 1) est dubium lucrum, 2) et periculum sortis apud dominum manet. Ad hanc *aleam* auferendam, quis *a*) pro lucro incerto maiore, certum sed minus lucrum eligebat; *b*) dein ut propulsaret a se periculum sortis ex ipso illo lucro *certo* aliam partem cedebat ut in alium periculum sortis refunderet. Quia in dante pecuniam exinde habentur fructus certi absque periculo sortis non secus ac in mutuante, inde non immerito Canonistae in hoc contractu damnarunt larvatas usuras; quod et tenere videtur Bened. XVI *l. cit.* ubi historiam texit huius quaestionis. Ceterum ex dictis patet, ius canonicum non impediisse rerum commercium et hominum industriam quibus explicandis usque praesto fuit *societas, census realis, cambium.* De mutuis factis *a Montibus pietatis* acerrima fuit quaestio, sed Concil. Lat. V statuit posse exigi quosdam fructus ex mutuis, ob impensas necessarias, in primis pro mercede tribuenda administratoribus *Montium.*

« Si alicuius obligationes in se suscipit vel, favore eius, iure aliquo suo non utatur v. c. si pro te fideiusserim vel expromiserim; si agrum quem incultum habeo tibi promiserim per triennium incultum derelinquere; licet fideiussio haec aut promissio omni molestia aut periculo vacet ». Hanc difficultatem iam sibi obiecerat S. Thomas *l. cit.* advertens: « Sed ille qui alicui in necessitate constituto pecuniam mutuat gratiam facit, unde et gratiarum actio ei debetur. Ergo ille qui recipit, tenetur naturali debito aliquid recompensare » et *ad 2um* ita respondet: « dicendum quod recompensatio alicuius beneficii dupliciter fieri potest; uno quidem modo ex debito iustitiae ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest; et hoc debitum attenditur secundum quantitatem beneficii quod quis accepit. Et ideo ille qui accepit mutuum pecuniae vel cuiuscumque similis rei cuius usus est eius consumptio, non tenetur ad plus recompensandum quam mutuo acceperit; unde contra iustitiam est si ad plus reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompensandum beneficium ex debito amicitiae in quo magis consideratur affectus ex quo aliquis beneficium contulit quam etiam quantitas eius quod fecit; et tali debito non competit civilis obligatio per quam inducitur quaedam necessitas ut non spontanea recompensatio fiat ». Sane mensura iustitiae in contractibus est aequalitas servanda inter datum et acceptum; et in mutuo servatur aequalitas si nihil reddatur ultra sortem rei mutuatae et praeterea mutuans servetur *indemnis* de quacumque possibili iactura ex mutuo ei provenienti. In exemplis autem a D'Annibale allatis obtinetur haec aequalitas si ei praebenti aliquam operam seu impendenti *suam* activitatem aut prohibentem *suam* libertatem in favorem alterius, veluti per expromissionem aut fideiussionem aut permissionem, aliquid rependatur a recipiente iuxta pactum quia promissio, fideiussio, *per se*, est opus *pretio* aestimabile; et tunc attenditur obligatio iustitiae. Aut consideratur speciale *beneficium* afficiens ipsam personam reci-

pientis veluti constituti in gravi necessitate et tunc pro grati animi significatione attenditur debitum amicitiae. Etenim nemo dicet, *pretium* rei aestimari posse a quantitate *beneficii* quod persentit persona emptoris; secus ex pane vel farmaco vendito ei qui in extremo versatur discrimine vitae, exigi posset ingentissima pecuniae summa; quod alienissimum est a quocumque iure divino et humano.

77. In usurarios nempe manifestos et notorios aut sententiâ condemnatos, arg. *cap. 11, De exces. praelat. X* (V, 31) decreta est *infamia iuris*. At haec *infamia iuris* non est satis expressa in textu, quare reducitur ad *infamiam facti*. Cf. Vol. III, n. 261. Eosdem tenebat excommunicatio *l. s.* sed haec exolevit quia in Const. *Ap. Sedis* renovata non fuit. - Clerici usurarii ob infamiam dicuntur fieri irregulares, ita passim apud DD., sed quia magis *facti* quam *iuris* haec infamia habenda est, irregularitas est *impropria*, iuxta sententiam Inn. III in cit. cap. « *cum personis vilibus et indignis portae dignitatis patere non debeant* ».

Praeterea plecti valent usurarii poenis *arbitrariis*.

TITULUS XIII.

DE CRIMINIBUS A CLERICIS IN DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM ADMISSIS.

Summarium. — 78. Diversa remedia quae compescunt clericos delinquentes in ecclesiasticam disciplinam. — 79. De clericis regularibus et de clericis *saecularibus exemptis*. — 80. De excessibus praelatorum et subditorum. De excessibus privilegiatorum.

78. Specialis sermo habendus est de criminibus quae a clericis patrantur violantibus ecclesiasticam disciplinam, quia specialem habent gravitatem et propriis remediis compescuntur. - In primis recolimus poenas *conventionales* quae in officio continent clericos eos privantes fructibus vel ipsa praebenda nisi suo satisfaciant muneri aut alicui ex obligationibus inde susceptis; deinde huc referendae sunt *irregularitates*, quatenus sunt impedimenta quae arcent ab ordinibus suscipiendis atque a iam susceptis ministrandis, quaeque consulunt decori sacri ministerii; denique praeter poenas sive proprie dictas sive censuras a iure communi vel particulari *lat.* vel *fer. sent.* recensendae sunt poenae *arbitrariae*, et hae ad urgendam ecclesiasticae disciplinae observantiam magno usui sunt, prouti docet quotidiana experientia; veluti suspensio a divinis lata *ab homine* est censura quae pro hodiernis adiunctis maxime et prae ceteris inservit ad clericos devios puniendos et corrigendos.

76. Clerici Regulares praeterea, subsunt regulis suorum Ordinum et has infringere grave vel leve est pro subiecta materia; sed crimen, proprio sensu, non habetur nisi laedatur regula vel disciplina regularis in his quae pertinent ad ius commune. Si ordo sit *exemptus* et clericus delinquat *intra* septa monasterii, Praelatus Regularis, imo immediatus Superior domus

exercet potestatem coercitivam quae Episcopo competeret si ageretur de clerico saeculari. Proinde Episcopus ius non habet, quia obstat exemptio, exercendi in clericum regularem potestatem punitivam. Nihilominus si crimen fiat publicum et scandalum patiatur populus christianus, Episcopus ius habet monendi Superiorem Regularem ut subditum suum puniat, prouti expostulat necessitas auferendi scandalum; nisi ducat opportunius, ante ipsam monitionem, statim Rom. Pontificem certiorem reddere seu S. Congregationem EE. et RR. ut ipsa suprema auctoritas immediatius prospiciat casus gravitati. Regulares autem *extra claustra* DEGENTES punit Episcopus, tamquam delegatus Sedis Ap. quos tamen et Superior Regularis punire valet. - Qui vero *degens intra* monasterium EXTRA delinquit, per se remanet subiectus suo Superiori a quo puniendus est, sed Episcopus praefigere valet tempus ad puniendum delinquentem, et certior fieri debet de inflicta punitione. Quod si negligat Superior poenam imponere, ipse Episcopus infligit. Cf. *cap. ult. De statu monach. X* (III, 35). Et si delinquens impunitus transmissus fuerit extra dioecesim, debet revocari ad monasterium in quo degebat quando deliquit et ibi puniri. Hoc statuit Trid. *sess. 25, cap. 14, De regular.;* et magis explicavit Constit. *Suscepti muneris ratio* Clem. VIII, quam confirmavit Innocent. X, *14 Maii 1653.*

Ceterum Praelatus quoque regularis applicare debet in suos subditos violantes ius commune, poenas iure communi statutas.

In clericos autem saeculares *exemptos* Episcopus poenas applicare et inferre potest vi *cap. 4, sess. 14, De ref.* in Concil. Trid. quod iubet ut Episcopi « *quoscumque saeculares clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suae iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus et delictis quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tamquam ad hoc apostolicae sedis delegati, corrigendi et castigandi potestatem habeant* ».

80. In libro V, Decret. Greg. IX, titulus 31 inscribitur: « *De excessibus Praelatorum et Subditorum* ». Cuius tituli intentio est comprehendere sub tali rubrica ea omnia crimina quae Praelati committere possunt per abusum suae legitimae potestatis; nimirum, arg. *cap. 1, h. t.*, vel imponentes indebitas exactiones aut poenas iniustas infligentes; vel, arg. *cap. 2, h. t.*, laedentes iura immunitatis sive Regularium sive aliorum privilegiatorum; vel (quod pertinet ad Praelatos Episcopo inferiores) si nova aedificentur monasteria absque consensu Episcopi; prouti vetuit Conc. Trid. *sess. 25, De reg., cap. 5.* - Subditi, ex adverso, patrant excessus quotiescumque vel poenas contemnunt ab Episcopo legitime inflictas, arg. *cap. ult. h. t.*, vel si alias refragentur iuribus sui Superioris, arg. *c. c. 6, 14, 15, h. t.;* et ita porro. Proinde hoc titulo *generice* comprehenduntur omnia crimina quae a Praelatis committuntur per abusum suae potestatis et a subditis per denegatam legitimam subiectionem et obedientiam in Superiores. - Poenae decernuntur *fer. sent.* et hodie hae sunt ferme *arbitrariae.*

Subsequitur in lib. V, titulus 33, inscriptus: *De privilegiis et excessibus privilegiatorum* » in quo titulo *generice* innuuntur ea crimina quae patrant privilegiati quando isti excedunt limites suorum privilegiorum, iisdemque abutuntur. Privilegium est *ius singulare* et hinc vel *secundum*, vel *praeter* vel *contra* ius *commune*, sed privilegiatus, praetextu sui privilegii, non debet ius commune pervertere. - Qui hos patrat excessus compescendus est poenis *arbitrariis.*

§ 1. *De criminibus quae violant munera vel status clericalis vel specialis officii clericorum.*

Summarium. — 81. De clericis concubinariis. — 82. De sodomia. — 83. De clerico venatore. — 84. De arte ludicra. — 85. Clerici habitum et tonsuram non deferentes. — 86. Sacerdos qui Missam non perficit aut iterum iterumque celebrat in eodem die. — 87. De clerico negotiatore. — 88. Excommunicatio reservata in eccles. et regulares viros missionarios exercentes mercaturam in Indiis Orientalibus. — 89. Absolventes a censuris Const. *Ap. Sedis* reservatis. — 90. Iudex munera accipiens. — 91. Regulares munera impertientes. — 92. Plures poenae quasi *conventionales* in clericos non satisfacientes susceptis muneribus. — 93. Poenae in clericos non residentes. — 94. Admittentes ad regimen Eccles. Cathedralis *praesentatos* aut *nominatos* ante praesentationem litterarum Apostolicarum. — 95. De maledicis. — 96. Denique ob delicta iuris communis norma puniendi decernitur generalis in cap. 10 *De iud.* X (II, 2).

81. De clericis concubinariis hic agimus assumentes *concubinatum* large, prouti significat *habitum fornicandi;* concubinarios enim appellat Trid. Conc. *sess. 25, cap. 14 De ref.* clericos qui *cum contumacia* seu habitualiter *concubinas* aut *alias mulieres « in domo vel extra detinere aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant* (1). - Iure decretalium Greg. IX appositae leges et sanctiones continentur in titulis « *De vita et honestate clericorum* » *lib. III, 1,* et subs. tit. « *De cohabitatione clericorum et mulierum* »; atque in *concubinarios* contumaces cum primis constitutae erant censurae usque ad excommunicationem; arg. *c. c. 3, 4 et 6,* cit. tit. *De cohabit. cleric. et mulier.* - Iure autem Tridentino quo utimur, ob prin-

(1) Quare nullum habet fundamentum opinio Garzias, *P. II, c. 10, n. 186* dum advertit, decretum Conc. Trid. non procedere in *concubinatu vago;* uti notat Giraldi ad opus Thesauri *De poenis,* v. *concubinatus c. 1,* citans auctoritatem De Ameno. *De delictis et poenis, III, tit. 4, § 1, n. 32.*

cipium ab ipso statutum, nostris temporibus adhuc, imo eo magis, accomodatum, videlicet, *parcius utendum esse censuris ne vilescant*, indictum est, ut in primis *privatione* fructuum beneficiorum, aut alia *poena afflictiva*, veluti carcere aut relegatione in monasterium, et dein *privatione* beneficiorum et ad eadem *inhabilitate* concubinarii punirentur. Nihilominus non interdicitur usus censurarum, quae imo, ante alias poenas infligendae essent, quando ex his sperare liceat potiorem effectum.

Diversus vero est ordo poenarum ab hoc Concil. constitutus pro diverso gradu clericorum; qui in quatuor classes censeri possunt et sunt; 1. clerici maiores vel minores non habentes beneficium; 2. clerici maiores vel minores beneficium habentes absque officio curae animarum; 3. clerici habentes beneficium-curatum; 4. Praelati et Episcopi.

1) De *primo* casu Concil. Trid. *sess. 25, cap. 14, De ref.* decernit: « Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes iuxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, et inhabilitate ad beneficia obtinenda aliisque modis iuxta sacros canones puniantur ». Ipsa loquendi ratio aperte docet ordinem et qualitatem poenarum maxime relinqui, in hoc casu, prudenti arbitrio Episcopi. Loco *carceris* hodie in more est, eiusmodi clericis assignare aliquod monasterium in quo per certum tempus ipsi vacet spiritualibus exercitiis. Quae disciplina est apprime conformis iuri Decretalium.

2) De clericis *secundae* classis Conc. Trid. *eod. l.*, statuit: « Quod si a superioribus *moniti* ab iis (mulieribus) se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae Ecclesiae aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi, applicetur ». Advertatur, *monitionem*, prouti non dubie insinuant *cit. capita* tit. *De cohabit. cleric. et mul.* debere esse trinam vel unam *perentoriam*, trinae aequipollentem, uti

docet Garzias et Thesaurus *l. cit.*, quamvis De Ameno contradicat. - Et in praxi puto non recedendum ab illorum DD. opinione. - Monitiones debent esse *personales;* at dandae sunt *edictales* (cf. Vol. I, n. 404) quando reus non reperitur et suspicari prudens sit, reum se occultare ne monitionis libellus ad eum perveniat. - Poena autem executioni demandanda est post *monitionem edictalem*, quando haud dubitari potest reum conscium esse *processus* poenalis, et hunc, data opera, effugere ex contumacia. Fructuum autem privationem censemus non incurri nisi post sententem *declaratoriam*, uti docet ipse Thesaurus et probavimus Vol. III, n. 70 seq. (1).

Prosequitur Conc. Trid.: « Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia foemina perseverantes, *secundae monitioni* adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant qui praedictis locis applicentur sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione quoad Ordinarius, etiam uti Apostolicae Sedis delegatus, arbitrabitur, suspendantur ». *Secunda monitio*, de qua hic fit sermo, est illa quae *secundo* loco indicitur quum in cassum cesserit applicatio primae poenae. - Haec secunda monitio praevia omnium fructuum privationi nec non ab administratione beneficiorum suspensioni, debet esse *trina* aut *peremptoria*, uti explicavimus. Verum ex tenore decreti patet, privationem omnium fructuum esse *lat. sent.* sed suspensionem esse *feren. sent.;* quare privationi antecedit *declaratoria*, suspensioni *condemnatoria* sententia. - Quae *secunda* monitio si irrita cedat adeo ut poenarum fiat executio sed absque exitu emendationis, Conc. Trid. decernit ut hi clerici: « beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac

(1) Fructibus vero quibus indicitur privatio, accensendae non sunt distributiones quotidianae, uti notat Garzias *l. cit.* quia versamur *in odiosis*.

officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum eis, ex causa, visum fuerit dispensandum ». Hae poenae privationis et inhabilitatis sunt *fer. sent.* uti patet ex contextu; et danda non est sententia condemnatoria, nisi praemissa *monitione* quae, non secus ac aliae, aut *trina* aut *una peremptoria* esse debet.

Denique si istae poenae non referant fructum, aut correctioni statim sequatur relapsus in idem crimen, iubet Concilium deveniendum esse censurae excommunicationis, quae est *fer. sent.*, quaeque *monitionibus* et ipsa praenuntiari debet.

Demum advertere praestat, has poenas *fer. sent.* aliquantisper, iuxta principium explicatum Vol. III, n. 75 posse emolliri a iudice ordinario, qui ex. g. in decernenda privatione beneficii potest abstinere a privatione pensionis, ne reus ad extremam inopiam redactus, in profundum malorum labatur cum maiore discrimine societatis religiosae. Item dicendum est, pro indole poenae, relate ad poenam excommunicationis.

3) De *tertia* classe clericorum, nempe in clericos beneficia curata habentes, diversimode seu expeditius, iubet procedi Concil. Trid. *sess. 21, cap. 6, De reform.;* videlicet parochos antea rite praemonitos, coercendos et castigandos esse poenis *arbitrariis*, veluti suspensionibus aut privatione alicuius partis fructuum; quae omnia si reorum emendationem non assequantur, ad privationem beneficiorum deveniendum est, ceu statuit Trid. Conc. *l. c.* « si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis *iuxta sacrorum canonum constitutiones*, exemptione et appellatione quacumque remota, (Episcopi) privandi facultatem habeant ». Nimirum privatio decernenda est praehabitis monitionibus, et exceptis probationibus iudicialibus per processum tamen *summarium*, prouti edicunt *sacrorum canonum constitutiones;* et huc spectat iussum Concil. Trid. *sess. 25 cit. cap. 14*, quo praecipitur Episcopis, ut ipsi procedant « *sine strepitu et figura iudicii, et sola facti veritate inspecta* ».

Sententia quae editur privationis, executioni ab Episcopo demandari potest non obstante appellatione, quae habet effectum *devolutivum*, non *suspensivum*. - Nihilominus advertere praestat, *facultatem habere* Episcopos, exequendi poenam, pendente appellatione, prouti edicit Trid. Concil., sed hoc rigore uti non coguntur, et hodie maxime cum appellari soleat immediate ad S. Sedem, in more est concedere appellationem etiam *in suspensivo*. Cf. *c. c. 13, 14, 15, De vita et honest. cleric. X* (III, 1).

Denique quia hodie praesertim mores sacerdotum, ut plurimum, non foedantur facinore concubinatus, prouti non infrequens erat casus tempore Conc. Trid.; sed ex alia parte etiam suspicio delicti fornicationis in sacerdote, apud laicos solet esse magna scandali et vituperationis occasio, exinde magnopere usui sunt remedia *suspensionis* aut *privationis oeconomicae*, quae remedia explicavimus Vol. III, n. 173.

4) De *quarta* classe seu de Episcopis, Concilium Trid. *sess. 25, cap. 14* iubet, ut si Episcopi, quod absit, ab eiusmodi crimine non abstineant, et a Synodo Provinciali admoniti non se emendaverint, *ipso facto* sint suspensi, et si perseverent, ad SS^mum R. Pontificem deferantur, qui etiam per privationem, si opus fuerit, animadvertat. - Si Synodus Provincialis non celebretur, Metropolitanus admonet Suffraganeum, et in contumacem dat sententiam *declaratoriam;* aut antiquior Suffraganeus ista praestat, si agendum sit in Metropolitanum. - At hodie satius est immediate rem deferre ad Rom. Pontificem (1).

Simplex delictum *fornicationis*, seu seiunctum a *sacrilegio*, vel ab aliis speciebus *delicti venerei* (cf. supra), ab ipso Episcopo, pro suo prudenti arbitrio, mulctandum est poenis arbitrariis.

82. Sodomiae crimen, Const. *Horrendum*, S. Pius V compescuit, praecipiens: « Omnes et quoscumque presbyteros et alios

(1) Hic disserimus de clericis *concubinariis;* de clericis *apostatis* ab ordine aut a religione qui *matrimonium attentant*, diximus, Vol. III, n. 328.

clericos saeculares et regulares, cuiuscumque gradus et conditionis, *tam dirum nefas* exercentes, omni privilegio clericali omnique officio, dignitate, beneficio ecclesiastico, auctoritate ipsius Constitutionis, id est ipso facto, privari, ita ut per iudicem ecclesiasticum degradari, et potestati laicae tradi debeant, et eisdem applicetur poena quae pro laicis de hoc crimine convictis statuta est ». Hae poenae sunt *l. sent.*, dum iure Decretalium cap. 4 *De excessib. Praelat.* statuebantur poenae *fer. sent.* Verum istae poenae latae sunt in *exercentes tam dirum nefas;* scilicet in eos qui habitu, et veluti quadam facti notorietate, isto crimine insimulantur. Praeterea istae poenae expostulant sententiam *declaratoriam.*

83. Insuper ex intentione s. canonum, venationem clericos dedecere, et in genere armorum delationem, comprobatur ex *titulo 24, lib. V* Decret. Greg. IX inscripto: « *De clerico venatore* ». Quia in hoc titulo gravibus indictis poenis prohibetur venatio, DD. interpretantur prohibitionem spectare ad venationem *clamorosam*, prouti fiebat media aetate, nempe cum maximo armorum apparatu, et canum et falconum seu accipitrum, et hae venationes videntur esse quas *illicitas* vocat Trid. Conc. *sess. 24, cap. 12 De ref.* - Proinde ipsum Trid. reprobans *illicitas* venationes, implicite admittit adesse venationem *licitam* seu *quietam*, quam vocant DD., quae fit absque strepitu, et potissimum animi recreandi causa (1). Verum etiam in *illicitas* venationes, uti probat Bened. XIV *De Syn. XI, 10, n. 9*, hodie poenae decernendae sunt ab Episcopis *arbitrariae* pro gravitate adiunctorum, quia poenae veterum canonum obsolevisse dicendae sunt. Episcopi autem cavere debent ne facile contra venatores clericos edant censuras *lat. sent.;* ita censuit S. Cong. Concil. in *Assisiensi, 16 Martii 1622;* in *Eugubina, 16 Ian. 1596;* et in aliis casi-

(1) Nihilominus haec notat Divus Hieronimus in Ps. 90, relato *can. 11, dist. 86:* « Esau venator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis sanctis, sanctum aliquem venatorem: piscatores invenimus sanctos ».

bus relatis a Lucio Ferraris, *Bibl. Can. v. Clericus art. 6, n. 35*, quem tamen utpote indulgentem laxioribus clericorum moribus, carpit Benedictus XIV *l. c.* uti mollioris ethices sectatorem (1). Sed revera hic Doctor, prospiciens moribus suae aetatis, hodie severius agere videtur in clericos venatores.

84. De ludis et arte ludicra clericis prohibita, haec teneantur. Iubet Concil. Trid. *sess. 22, cap. 1, De ref.*, ut clerici abstineant a *luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus;* et *(sess. 24, cap. 12, De ref.)* ab *illicitis venationibus, aucupiis, choreis tabernis, lusibusque.* Poenas reliquit determinandas Ordinariis pro locorum et personarum conditionibus.

In specie advertatur, *de ludis* in *cap. 15, De vita et honest. cleric.* Innocentium III praecipere clericis: « *Ad aleos et taxillos non ludant, nec eiusmodi ludis intersint* ». Hodie in statutis dioecesanis passim prohibentur *ludi aleatorii*, qui magis fortuna quam arte et industria ludentis reguntur, qui laicis etiam prohibiti censentur. Prohibentur vero clerici ne in ludis etiam honestis nimium tempus insumant, vel cum admiratione vel scandalo fidelium hisce ludis publice utantur. Nihilominus DD. notant Episcopis abstinendum esse a nimio rigore, ne honesta solatia clericis interdicantur. Cf. Santi, *De vit. et honest. cleric. n. 19.* Hos ludos, forsan severius, saltem pro nostra aetate increpat Bened. XIV, *De syn., l. XI, cap. 10.*

Comoedias, ludos *theatrales* agere, *choreas* ducere non licet clericis, et planum est; neque *mimis, histrionibus, ioculatoribus* interesse, arg. *cap. 15, De vit. et honest. cleric.* - Clericos quoque dedecet *publicas tabernas* (caffè) frequentare, iisque immorari diutius, more hominum saecularium. At iure communi hodie poenae sive *lat.* sive *fer. sent.* certae non reperiuntur constitutae, et vivitur *iure peculiari* pro singulis regio-

(1) Verum opiniones quas reprehendit hic Doctor, in editione vulgata typis, et impensis Propagand. Fid. expunctae sunt.

nibus. Cf. *Collec. Lacens.*, tom. III, col. 24, 443, 784, 873; tom. V, col. 198, 427; tom. VI, col. 754, 777 (1).

85. Ad nos non pertinet explicare fusius, et probare quaenam sit ecclesiastica disciplina, qua determinatur *habitus clericalis*, et a *saeculari* discriminatur; sed nostrum est agere de poenis, quae tenent clericos leges Ecclesiae, hac de re, violantes. Sufficiat innuere per *tonsuram* laicos homines adscribi militiae clericali, et ita segregari a plebe fideli; quamobrem, iam a tempore, quo Ecclesia *externa* quiete frui potuit, statutum fuit, clericos prouti moribus, ita etiam *vestibus* debere distingui a laicis: verum non tantum ratione *formae* quam *modestiae*. - Post incursiones barbarorum, qui breviorum vestium usum induxerunt, clerici *oblongis vestibus*, Romanorum quasi *togis* utentes, etiam ratione *formae* distingui coeperunt a laicis. - Sed Clemens V eiusmodi morem, tunc non adeo frequentem, lege confirmavit in cap. 2 *De vit. et honest. cleric.*, (*inter Clem.*) corrigens abusus suae aetatis (2); quippe iussit, vestem *clericalem* etiam *quoad formam* distingui debere a laicali, et hanc

(1) S. Congr. Concil. in Vercellen. *1 Oct. 1720*, censuit: *Beneficiatis musicis in theatro canentibus ab Ordinario imponendam esse privationis poenam.* - Celebris est Const. *Extrav. comm. 1, De vit. et honest. cleric.*, qua Ioannis XXII iussit, ut nullus clericus lascivam *musicam* a se descriptam adhibeat in divinis officiis; et qui contrafecerit, statuit ut suspenderetur ab Ordinario per octo dies ab officio. Haec poena in desuetudinem abiit. Hodie de musica sacra attendendae sunt Instructiones editae pro universo orbe *die 7 Iul. 1894;* et pro sola Italia, *die 21 Iul. 1894.* - Denique, inter ludos, recenseri valet usus curriculi seu rotae, vulgo *velocipede* (seu *birotae velocis*) ast de iure communi nihil est statutum; nam S. C. EE. et RR. confirmavit *die 28 Sept. 1894* prohibitionem factam ab Episcopo suis sacerdotibus; ast S. C. Concil. formiter propositam quaestionem *die 15 Decemb. 1894* resolvere non censuit. Cf. *Inst. Eccles. 36, 37*, Benedicti XIV.

(2) Hac de causa praecipue poenae gravissimae *l. s.* in hac Const. editae, non amplius observantur. Eo magis quod Trid. Concil. iussit for-

Const. expresse confirmavit Conc. Trid. *sess. 14, c. 6* statuens poenas suspensionis et privationis ab ordine et officio et beneficio tamen *fer. sent.* - Sixtus V Const. « *Cum sacrosanctum* » *9 Ian. 1589* edixit vestem *talarem* a clericis deferri, editis gravissimis poenis *l. s.*, quas tamen poenas ipse Sixtus V mitigavit alia Const. « *Pastoralis* » *31 Ian. 1589*, et Bened. XIII Const. « *Cath. Ecclesiae* » *2 Maii 1725*. Sed usus hodie pene universalis, et hinc legitimus interpretatus est legem Sixtinam, quare ius commune *non scriptum* praecipit, *vestem talarem* deferendam esse in *publicis* et *sacris* functionibus. Cf. Benedicti XIV *Institutiones Eccles. 21, 34, 71.* In ceteris vero actibus a consuetudine et a legibus dioecesanis vel provincialibus assumenda est certa disciplina, quam clericus sequatur in usu *habitus clericalis.*

Quoad *poenas*, in primis prae oculis habeatur canon. Trid. *loc. cit.* iubens, ut « ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, quae aut *in sacris* fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postea quam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, et *iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint*, per suspensionem ab ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, reditibus et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non si, semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant ».

Sixtus V clericos transgressores etiam *minores beneficiatos* aut *pensionatos*, dummodo reditus pensionis aut praestimonii attingerent, *annua sexaginta ducata de camera*, statuit *ipso*

mam vestium determinari « *iuxta ipsius Episcopi ordinationem* ». Cf. Benedict. XIV *Inst. ecc. 71* et *Coll. Lacen.* T. IV v. *Clerici, n. 32 seq.* et *Acta S. Sedis* IV *p. 394.*

facto privatos esse beneficiis aut pensionibus, *sine ulla monitione, citatione, iudicis decreto* aut *ministerio*. Benedictus XIII *cit. Const.* moderatus est has poenas, decernens eiusmodi beneficiatos *ipso facto* quidem *in conscientia* fructus non facere suos, atque teneri eosdem Fabricae (1) Ecclesiae applicare, sed beneficio non privari, nisi iuris ordine servato post sententiam declaratoriam. Hae poenae incurruntur in sensum explicatum.

Denique clerici minores non beneficiati qui habitum et tonsuram non deferant, privantur *ipso facto* omnibus privilegiis clericalibus, ut docuimus Vol. I, n. 328.

86. Specialis animadversio decreta est in Sacerdotes, qui aut Missam non perficiunt, aut Missas plures celebrant eodem die. - In can. 57 *Nullus Episcopus*, *De consecrat.* Dist. 1 Zacharias Papa in Synodo Romana statuit: « Cum vero ingressus fuerit Episcopus aut Presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur... *Si quis vero praesumpserit praeter quod posuimus agere, a sacro corpore et sanguine Dom. Nostri Iesu Christi sit suspensus* ». Et Can. *Nihil 7, caus. 7, q. 1* ponitur poena excommunicationis, nempe: « *Si quis haec temerarie praesumpserit, excommunicationis poenam sustinebit* ». Benedictus XIV *De Sacrif. Missae III, c. 14, n. 2* docet: « Utrum autem impositae sint eiusmodi poenae *ipso iure*, an latam esse sententiam oporteat, ut quis in eas incurrat; et utrum iis poenis sit locus, quando Sacerdos recedit ab altari post consecrationem, an vero etiam si recedat ante Consecrationem, Doctores disputant: Sacr. Congregatio (Concil.) semel atque iterum respondit, eas poenas non esse impositas *ipso iure*, nec locum iis esse

(1) Ex facultatibus concessis a Bened. XIV Maiori Poenitentiario, hic condonare potest onus restituendi hos fructus. Const. *Pastor bonus* § 24.

si Sacerdos ante Consecrationem ab altari sine legitima causa recesserit, ut si recesserit ex impatientia, quod saepe contingit, ut videre est in resolutione Sacr. Cong. *die 16 Decembris 1719*, et in Iuvenacensi *die 3 Decembr. 1735* ». Exinde eiusmodi censurae, quippe *fer. sent.* a Const. *Apost. Sedis* abolitae non fuerunt.

De Sacerdote qui eadem die plures celebrat Missas, disputant DD. an locus sit irregularitati, uti videre est apud *Thesaurum*, v. *Missa cap. V*, sed irregularitas non satis probatur, quia nullo textu est expressa. Cf. Vol. III, n. 186. - Verum irregularitatem incurri a Sacerdote qui pluries eadem die Missam celebret ex avaritia, seu ex simplici causa lucri, nempe ob crimen simoniae, (cf. Vol. III, n. 258) evincitur ex duplici responsione S. Cong. Concil., altera sub *die 16 Nov. 1686*, altera *die 9 Iun. 1708*, uti videre est apud *Thesaurum loc. cit. in fin.* et Gasparri, *De S. Ordin. n. 311.*

87. Clericis interdicta est negotiatio. Haec iure canonico *propria* est, dum *fit emptio rerum, ut hae* IMMUTATAE *carius vendantur;* est *impropria*, quae consistit in *emptione rerum, ut hae* MUTATAE *industriâ et labore hominum, mercede* CONDUCTORUM, *ex earumdem venditione lucrum fiat.* - Prima negotiationis species clericis usque est prohibita, arg. *c. c. 15, 16, De vit. et honest. cleric. X* (III, 1) et 6, *Ne clerici vel monachi X* (III, 50); altera species eatenus prohibitioni subiiacet, quatenus industria vel artificium exercetur, utpote quaestuosum negotium perficiendum *conductis operariis*, ex lucri percipiendi causa. Nam quod quis exerceat artem vel industriam aliunde honestam, et statui clericali congruentem, et hanc exerceat ipse vel in rebus suis, vel etiam emptis, in ea tamen quantitate quam exercere valet hominis industria, non est negotiationem agere, iure can. prohibitam. Hanc industriam se fecisse fatetur Divus Paulus *in 2 ad Thessalonic. 3* scribens: « *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte et*

die operantes, ne quem vestrum gravaremus ». Bened. XIV, *De Syn. X, cap. 2, n. 2*, cumulat exempla sanctorum virorum quibus, pro exemplo Div. Pauli, *ad ea, quae ipsis opus erant, ministraverunt manus eorum*. Sane prohibitio quae editur cit. cap. 6 *Ne cleric. vel monachi*, hisce verbis enunciatur: *ne monachi vel clerici* CAUSA LUCRI NEGOTIENTUR. - Quia clerici ad evadendas has prohibitiones, coeperunt quaestuosam negotiationem agere per interpositam personam, et potissimum pecuniam impendebant in agendis *cambiis*, Bened. XIV Const. *Apostolicae servitutis* a. 1741, et Clem. XIII Const. a. 1759, *quascumque negotiationes* a clericis, per alios gestas, severe proscripserunt.

Facillimam autem occasionem exercendi negotiationem valde quaestuosam habent Missionarii, qui iampridem hisce incoeptis se implicarunt: quare Urbanus VIII, a. 1633 omne quaestuosum negotium istis prohibuit, et prohibitionem confirmavit, poenis adiectis severioribus Clem. XI a. 1669, atque Pius IX, post editam Const. *Ap. Sedis*, decreto S. Inq. a. 1872 *censuram l. sent.* instauravit.

Nostra aetate negotiationes potissimum aguntur per societates, quae pecuniam mutuantur editis *actionibus* seu *obligationibus*. - Qui has emunt, veluti mutuo dant pecuniam, et fiunt socii negotiationis cuius lucrum percipiunt. Verum diversimode a sociis negotiatio exercetur, et non semel socii seu possessores istarum obligationum, vel saltem ex illis plures, nullam partem habent administrationi. Proinde usus fert communiter non reprobatus ab Ordinariis, ut clerici emant eiusmodi actiones et licite retineant, dummodo *active* non concurrant in negotia administranda (1).

(1) Et S. U. Inq. *die 17 Nov. 1875* respondit, clericos *non esse inquietandos, dummodo parati sint stare mandatis Ecclesiae, et nullum habeant illicitum lucrum, et ipsi* (ecclesiastici) *nullam administrationis partem suscipiant.* (Apud D'Annibale, *III, n. 157, not. 18*). Eadem Cong. S. U. Inq. *die 15 April. 1885* rescripsit: « *Iuxta exposita, et attentis peculia-*

Poenae in clericos negotiatores sunt *a*) excommunicatio et suspensio *fer. sent.* arg. *c. c. 4 et 6 Ne clerici vel monachi. b*) Bona omnia *eiusmodi* negotiatione comparata, post mortem clericorum, censentur *spolia* (cf. Vol. II) et hinc addicenda sunt Camerae Apost. in Const. Pii IV « *Decens* » et Const. *Ap. Servit.* Bened. XIV. Inquam - *addicenda* - quia requiritur iudicis sententia *condemnatoria*, nedum *declaratoria*. Ast hodie passim executioni huius poenae obstant vel leges a Guberniis civilibus cum Ecclesia concordatae, vel aliae politicae difficultates.

88. Censura excommunicationis *iam cit.* iterum edita a Pio IX a. 1872 ita concepta est: « *Excommunicatio adversus ecclesiasticos et Missionarios mercaturam in Indiis Orientalibus exercentes* », iuxta Const. Urb. VIII « *Ex debito* » *22 Feb. 1633*, et Clem. IX « *Sollicitudo* » *6 Iul. 1669.*

In primis haec censura et aliae poenae inflictae in cit. Constitutionibus, respiciunt regna Indiarum Orientalium, Iaponiam, Americam australem et septentrionalem; praeterea S. U. Inq. *17 Ian. 1883* rescripsit etiam - *missionarios sinenses* - comprehendi decreto *4 Dec. 1872*, ut refertur in *Coll. S. C. Prop. Fide n. 351.*

Hisce poenis obnoxii sunt *omnes ecclesiastici tum saeculares quam regulares cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis*, sive in has regiones *missi* sint, nempe a Sancta Sede, vel a S. Cong. Prop. Fidei, vel a suis Superioribus; sive in illis regionibus *quomodolibet morentur*, idest ibi *moram* faciant arbitratu suo; sed his verbis non comprehenduntur indigenae ecclesiastici (cf. *Acta S. Sedis* VII, p. 323), quippe ibi *geniti*,

ribus temporum circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant ACTIONES *seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis, et se abstineant a qualibet negotiatione dictarum actionum seu titulorum, et praesertim ab omni contractu qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, dei giuochi di borsa* ».

non dicuntur *morari* in patria sua, sed huius *cives esse;* et *morari* pertinet ad *incolas* et *advenas*. - Porro sive *missi* sive ibi marte suo *morantes*, poenas committunt qui ibi quaestuosam negotiationem faciunt, vel ei *quovis modo* vel *qualitercumque se ingerunt* vel *immiscent, directe* aut *indirecte, per se* aut *per alios, proprio* aut suae *Religionis, Congregationis, Societatis* nomine, quovis *praetextu, causa, occasione, forma*. Hisce verbis continetur prohibitio in cit. Const. Urbani VIII et Clem. IX.

Poenis mulctantur etiam *Superiores immediati, ac Generales et Provinciales praedictorum Ordinum, Congregationum, Societatum qui in suos subditos, etiam pro una vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem a locis commissi delicti,* non inflixerint statutas poenas, uti cavet Const. Clem. IX, § 3; quod non iubebat Const. Urb. VIII.

Hae poenae sunt *a*) excommunicatio *l. sent.* de qua in relato decreto a. 1872, *b*) privatio vocis activae vel passivae, officiorum, dignitatum, graduum quorumcumque per eos obtentorum, ac *c*) inhabilitatis ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda, *d*) nec non amissionis mercium et lucrorum omnium ipso facto incurrendae (1).

Excommunicatio nulli est reservata, quia nullibi cavetur de reservatione; at Clem. IV, § 3 iubet: *nemo ex* PRAEDICTIS DELINQUENTIBUS *absolvi potest, praeterquam in mortis articulo, nisi lucris huiusmodi prius restitutis.* D'Annibale *(Comm. edit. 4, p. 141)* ita commentatur haec verba: « *Ex praedictis delinquentibus,* id est ex his qui negotiationibus aut mercaturis

(1) Haec *amissio lucrorum et mercium,* non secus ac aliae poenae *positivae,* sane non incurritur nisi praecedat sententia *declaratoria,* in qua edicet iudex cuinam pio operi addicenda sint haec bona. Sed absolutio a censura dari non potest, *nisi lucris prius restitutis;* id est nisi restitutis *mercibus et lucris,* prouti decernet sententia *declaratoria,* quae applicat poenam privationis. Quare pro absolutione obtinenda restitui debent et *lucra* et ipsae merces, quae *lucris* accensentur.

dant operam, vel eis se immiscent, ingerunt: ergo Superiores etiam lucris non restitutis, ceteris paribus, absolvi possunt, nec mora delinquentium eis nocet. Restitutio autem *locorum Ordinariis*, seu *eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seu pro-Vicariis est facienda*, qui restituta in pias causas (non tamen Religionum, Congregationum, Societatum quarum individui deliquerint) erogari necesse habent ».

89. Quia reservatio in censuris *l. s.* naturam induit poenae, ad tuendam huius efficaciam in Const. *Apost. Sedis* excommunicatio decreta fuit in absolvere praesumentes, sine debita facultate a censuris *sp. mod.* Papae reservatis; en decretum: *Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit, quoad absolutos, obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint* ». Quid significet *stare mandatis* Ecclesiae, explicavimus Vol. III, n. 126 (1).

(1) In propositum referre praestat sequens rescriptum S. Off. *diei 19 Decemb. 1900* ita conceptum: « In casibus urgentioribus (Decret. S. Off. *20 Iun. 1886*, cf. Vol. III) dari potest absolutio a reservatis S. Sedi, sub poena tamen reincidentiae, nisi absolutus infra mensem ad S. Sedem recurrat, eius mandata suscepturus. - Ubi tamen Episcopi facultatem habent delegatam absolvendi a praedictis reservatis, qualis solet ipsis concedi per quinquennale folium S. Congr. de Prop. Fide (F. X.) sub n. 10, dubitatur de necessitate recursus immediati ad S. Sedem. - Quaeritur igitur: I. *Utrum sufficiat in casu absolutionis, ut supra concessae, recursus ad Episcopum facultate absolvendi instructum;* et quatenus affirmative: II. *Utrum sufficiat etiam in casu eodem recursus ad Vicarium Generalem Episcopi, tamquam ad Ordinarium facultatum episcopalium absolvendi de iure participem;* III. *Utrum generatim sufficiat recursus ad quemlibet sacerdotem habitualiter subdelegatum ab Ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis, a quibus poenitens fuerit accidentaliter, ut supra vi decreti S. Officii 1886 absolutus,* et rescriptum fuit. *Ad I et II Affirmative, facto verbo cum SSmo;* ad III *Negative* ».

90. Iure Decret. ex cap. *De sent. et re iud. in 6* (II, 14) iudex ordinarius aut delegatus munera accipiens, seu qui (*ibi*) « *contra conscientiam et contra iustitiam in gravamen partis alterius in iudicio quidquam fecerit, per gratiam vel per sordes, ab executione officii, per annum noverit se suspensum, ad aestimationem litis parti quam laeserit nihilominus condemnandus. Sciturus quod si suspensione durante, damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet etc.* ». Haec suspensio *l. s.* est ab ordine et ab officio iudicis; at elegans quaestio est an hodie adhuc vigeat, quum non contineatur Const. *Ap. Sedis.* Nos ex his quae explicavimus Vol. III, tenemus hic, non obstante determinatione temporis *ad annum*, agi de *censura*, at istam cessasse, utpote non renovatam cit. Const. - Nihilominus eiusmodi iudex sententiâ *condemnatoria*, ad aestimationem litis, seu ad indemnitatem praestandam parti laesae condemnandus est.

Ad haec, ex cap. 11 *Statutum*, § *Insuper De rescrip. in 6*, praecipitur iudicibus delegatis, ne quidquam recipiant a partibus, sive munus sive mercedem, at excipiuntur osculenta et poculenta, quae paucis diebus consumi possint, si liberaliter ei offerantur. Transgressores ad *integram restitutionem tenentur*, et DD. communiter tradunt, uti videre est apud *Thesaurum*, II, v. *Munera*, c. VI, poenam restitutionis obligare in conscientia ante omnem sententiam; sed ex iis quae explicavimus Vol. III, n. 70 sq. autumamus, quando laesa iustitia non sit, seu agatur de propria *poena restitutionis*, expectari posse sententiam *declaratoriam*. Ad rem cf. Vol. I, n. 80 sq. - Praeterea *gratis* expediri debent plures actus *administrativi*, veluti dispensationes matr. - In specie iuvat memorare quod statuit Conc. Trid. *sess. 24, c. 3, De ref.;* adversus Episcopos, qui in visitanda dioecesi, praeter procurationes, aliquid recepissent; iussit enim: « *Quod si quispiam, quod absit, aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere praesumpserit, is, praeter dupli restitutionem*

intra mensem faciendam, aliis etiam poenis iuxta Const. concilii gen. Lugdunensis, quae incipit - EXIGIT - *absque ulla spe veniae mulctetur* ». At in hac Const. statutae erant censurae *lat. sent.*, quae hodie exoleverunt.

91. Praeterea prohibitum est, recipere munera a Regularibus, uti sanxit Const. Clem. VIII *Religiosae Congregationis*, nempe ea munera quae Regulares iuxta ius commune, quippe rerum non *domini* sed *administratores*, impertire non valent; et probat *Thesaurus*, *l. cit.* c. X, Clementem VIII novum noluisse ius inducere, sed poenis istud sanxisse; prouti declaravit Const. Urbani VIII « *Nuper a Congreg.* » *16 Oct. 1640.* - Haec autem munera recipere nemini fas est, neque Regi, Imperatori, Cardinali, Episcopo, quantumvis benefactori. - Quod si contra praedictam prohibitionem factum fuerit, statuitur ut dicta munera recipientes, sua non faciant, et ante omnem sententiam tam in externo, quam in interno foro restituere teneantur, neque absolvi possint nisi prius restitutione realiter facta, nulla condonatione seu remissione suffragante. Religiosae autem personae utriusque sexus contravenientes praedictae prohibitioni, incurrant ipso facto privationem omnium dignitatum, graduum, munerum, et ad talia obtinenda inhabilitatem; et privationem vocis activae et passivae, et infamiam iuris, absque alia sententia declaratoria; et furti et simoniae poenis afficiantur. In sua Const. Urbanus VIII iubet Bullam Clementinam, et hoc *Suum Decretum*, legi singulis annis semel, mense Ianuario, in aliqua publica congregatione, vel saltem in publica mensa, sub poena privationis officii, et vocis activae et passivae ipso facto incurrendae.

Huiusmodi donationes censentur adeo graves, ut poenis obnoxiae sint, si summam scutorum decem excedant (Const. Inn. XII *Romanus Pontifex* a. 1692), hodie vero summam libellarum 70 (D'Annibale, *III*, *352*) (1).

(1) Inter poenas recenseri solet *reservatio absolutionis* (S. Alph., VI, 580), sed proprie reservatio, *absoluta*, non habetur. Nam absolutio dari

At hae Constitutiones non tenent Congregationes approbatas cum votis simplicibus; ad has spectat generalis lex servanda in *alienandis rebus Ecclesiae.*

92. Pro conservanda ecclesiastica disciplina admodum iuvant poenae quasi *conventionales* (cf. Vol. III, n. 68) quae clericos privant officio, beneficio, aut fructibus, si aliquid non praestant. Veluti clericus qui beneficium parochiale assecutus est, si intra annum ad ordinem presbyteratus non ascendat, arg. *cap. 14, De elect. in 6* (II, 6) amittit ipsum beneficium. Item decidit episcopatu, qui intra sex menses ab eo adepto, non recipit consecrationem, ex Conc. Trid. *sess. 23, c. 2, De ref.* - Has poenas appellavi, *quasi conventionales,* quia uti probavi (Vol. III, l. cit.), non videntur dicendae *proprie conventionales*, quippe non subaudiunt pactum ne *tacitum* quidem. Proprius sane accedunt poenae *conventionali* illae fructuum privationes, scilicet ademptio distributionum quotidianarum, quas amittunt qui choro non intersunt. - Conc. Trid. *sess. 24, c. 12 De ref.* - Nihilominus *in genere* huiusce privationes, iure sive *communi* sive *particulari* decretae, accenseri possunt, quoad praxim, simpliciter *poenis*, quia incurruntur quin ulla expostuletur apposita cognitio aut deliberatio, et quia in executione, ut plurimum, desiderant *sententiam declaratoriam* Vol. III, n. 70. Ad hanc poenarum speciem referimus privationes aut suspensiones, quas incurrunt beneficiati, veluti canonici, nisi emittant congruo tempore et modo fidei professionem, aut electus

potest a quolibet confessario, si iam facta est restitutio; vel ubi poenitens nequit restituere, si serio promittit se, cum poterit, restituturum esse. Si summa valorem supra dictum libellarum 70 non attingat, et tamen grave peccatum constituit, hoc absolvi potest, dummodo saltem *pars* arbitrio maioris Poenitentiarii restituta fuerit. Nam Poenitentiarius ex Bulla *Pastor Bonus* § 61 habet facultatem absolvendi, condonandi et componendi. - Verum hoc est singulare, ut confessarii absolvere non possint recipientem haec dona, nisi *realiter* restituerit, nempe cum potest; quippe non sufficit, prouti in ceteris simplex promissio. In hoc habetur quaedam *relativa* reservatio, ex Const. Clem. VIII, § 9.

qui differat petere confirmationem infra mensem. Sed singulas conditiones non recolemus quibus determinantur hae privationes, ne actum in tractatu de Personis et de Rebus agere videamur. At nonnulla potiora subiiciemus.

93. Clerici non residentes ad normam tituli 4, Decret. Gregor. IX, lib. III « *De clericis non residentibus in Ecclesia vel Praebenda* » poenis coercentur. Breviter de hisce agamus, quia nostrum non est explicare legem residentiae, sed tantum innuemus supremas sanctiones, quibus ista lex confirmata est.

1) Iure Decretalium beneficiatus quisque qui per *sex menses* residentiam non observavit, postquam per citationem aut *personalem* aut *edictalem* (Vol. I, n. 404) rite monitus, ipse neque redierit ad locum residentiae, neque causas probaverit legitimas absentiae, suo beneficio privari poterat; arg. *c. c. 8 et 11 h. t.* Giraldi, *Exposit. iur. pont. II, s. 88.* - At, arg. § *2 cit. cap. 11*, antequam deveniretur ad privationem, nec non ante lapsum sex mensium, aliae poenae inferri poterant, veluti censurae aut fructuum privationes, quibus magis absentis probabatur contumacia. - Verum prohibitum fuit ne degradarentur clerici ob crimen non *residentiae.*

2) Hanc procedendi rationem, vi cuius non est deveniendum ad privationem beneficii, nisi praemissis fructuum privationibus, induxit, uti communem et ordinariam regulam, Conc. Trid. in *sess. 6, cap. 2, De ref.* et *sess. 23, cap. 1, De ref.*, et alibi idem Concilium.

3) Haec in genere. - In specie vero adversus Cardinales *non residentes*, qui Romae *residere debent* (1), potissimum ex Const. Inn. X « *Cum iuxta* » *19 Feb. 1646* si, non obtenta Papae licentia, se transferant *extra statum ecclesiasticum*, gradatim privantur omnibus iuribus, et ipso cardinalatu. Nempe in *primo*

(1) Siquidem Romae residere non debent qui obtinent Episcopatum, dummodo hic non sit unus ex Suburbicariis.

anno illegitimae absentiae indultis, privilegiis, nec non fructibus beneficiorum et pensionum. Si haec omnia incassum cedant, nempe post *annum*, conceduntur alii tres menses in quibus monitiones canonicae fieri debent, quae si non flectant contumaciam absentis, iste, seu post *quindecim menses* illegitimae absentiae, ipso Cardinalatu privandus est.

4) Episcopi non residentes diversis poenis percelluntur. *a*) Vi decreti Trid. *sess. 23, c. 1, De ref.* (quod caput asperavit praescriptionem *cap. 1, sess. 6*) Episcopus *illegitime* non residens, pro *rata* temporis absentiae *suos* non facit fructus, nec tuta conscientia, etiam alia declaratione non secuta, illos sibi retinere potest; sed hos fructus erogare tenetur vel fabricae Ecclesiae, vel pauperibus loci. *b*) Ex Const. Bened. XIV « *Ad universae* » privationem *ipso facto* incurrit omnium et singulorum *indultorum* quae ipsis competerent, veluti *Assistentibus* solio Pontificio. *c*) Trid. Concil. *sess. 14, cap. 4, De ref.* in poenam non residentium, edixit soli Episcopo residenti concedi facultatem corrigendi clericos *saeculares exemptos*. Cf. supra n. 79. *d*) Non fruuntur gratia *alternativae* super provisione beneficiorum, iuxta reg. IX Cancellariae Apostolicae; quam poenam confirmavit Bened. XIV cit. Const. *e*) Ex Const. « *In Suprema* » Pii IV edita *die 23 Nov. 1564* plecti possunt privatione seu *fer. sent.*, quando aliae poenae non fregerint eorum contumaciam. *f*) Denique *inhabilitatem* incurrunt, seu ipso facto, relate ad maiores Eccles. dignitates obtinendas, ex Const. *Sancta Synodus* Urbani VIII. *g*) Episcopi Cardinales qui Romae *residere non debent*, hisce poenis obnoxii sunt.

5) Parochi seu beneficiati Episcopis inferiores curam animarum agentes, in cit. *sess. 23, cap. 1* edicuntur non secus ac Episcopi, *ipso facto* privati fructibus pro rata temporis absentiae. Dein haec statuuntur: « *Quod si, per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint,* LIBERUM ESSE VULT *Ordinariis per censuras ecclesiasticas et sequestrationem et*

subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam usque ad PRIVATIONEM *compellere, nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam iuramento vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est sive appellatione aut inhibitione etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianae* (cf. Vol. I, n. 338) *Constitutionis, suspendi posse* ». In intelligentiam huius textus advertatur *a*) *liberum* esse Ordinariis experiri censuras, aliaque remedia ante decernendam *privationem*, seu hoc experimentum necessarium non esse: cf. Santi, *h. t. n. 57*; *b*) attamen ad privationem deveniri non posse, nisi praemissa trina vel una peremptoria *personali* aut *edictali* citatione, et *sex menses* dilapsi sint ab ultima citatione, arg. *cap. 11 h. t.*; quam rationem procedendi confirmavit S. Cong. Concil. duabus resolutionibus, altera *die 26 April. 1621* in causa Gerundensi, altera *die 8 Iun. 1624* edita. Cf. quoque *Acta S. Sedis*, VII, p. 676 et XVII, p. 155. - Nihilominus, praesertim pro hodiernis adiunctis, prudentia, ut plurimum, persuadet non deveniendum esse ad privationem, nisi alia remedia aut adhibita sint, aut certe incassum cessura esse praevideantur.

6) Canonici et omnes beneficiati qui in cathedralibus vel collegiatis Ecclesiis, dignitatem, canonicatum, praebendam, portionem obtinent, si statutis horis choro non intersint, distributiones quotidianas pro rata absentiae amittunt. Quas si nihilominus perceperint, ante omnem iudicis sententiam, vel *declaratoriam*, restituere tenentur, quavis collusione aut remissione exclusa (1). - Iidem vero beneficiati, si praeter tempus legitimae absentiae, a choro vacaverint, ex statuto Concil. Trid. *sess. 24, c. 12, De ref., primo anno, privandi sunt* seu per sententiam

(1) Privatio enim harum distributionum *improprie* poena dicitur, quippe refert naturam poenae *conventionalis*.

iudicis, at monitione etiam non praemissa (1), dimidia parte fructuum quos etiam, vi *praebendae* et *residentiae,* fecerant suos. Anno *insequente* si perseverent in crimine absentiae, *privandi sunt omnibus* fructibus eo anno perceptis: « *Crescente vero contumacia* (ait Conc. Trid. *l. c.*) *contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur* ». Quae verba communiter Doctores et potissimum iurisprudentia S. C. Concil. in *Cathacensi 14 Februarii 1671*, et *21 Maii 1672*, et in *Lancianen. 13 Ianuarii 1703*, ita interpretati sunt, ut isti beneficiati privari non possint beneficio nisi post lapsum trium annorum absentiae, nempe *moraliter continuorum*, et postquam poenae subtractionis fructuum incassum cesserint, nec non alia iuris remedia, veluti censurae, quae ab Episcopo inferri possunt, uti rescripsit S. Cong. Concil. in *Parentina 18 Nov. 1673;* et commentatur Bened. XIV *Inst. Eccles. 107, n. 38.* - Lapsis vero tribus annis, privatio decernenda est iuxtà *sacrorum canonum constitutiones*, seu iuxta *c. c. 8, 11 et 17 h. t.;* videlicet facienda est citatio *personalis* trina vel una peremptoria; si vero nullimode pateat locus domicilii, citatio erit *edictalis.* - Post decretum autem citationis contumax expectari debet ad alios *sex menses*, quibus elapsis inutiliter, decernitur beneficii privatio.

94. Graviter delinquunt in disciplinam Ecclesiae qui audent admittere uti legitimos Praelatos, eos quovis modo provisos apud S. Sedem, sed antequam hi exhibuerint literas Apostolicas de sua provisione. Nam hae litterae sunt legitimum testimonium et iuridica probatio collatae auctoritatis, nec aliae sufficiunt probationes; prouti iussit *Extrav. 1, De elect. Iniunctae.* Quare in Const. *Ap. Sedis* sub n. I inter suspensiones *l. s.* S. P. reservatas statuitur: *Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum*

(1) Agitur enim de applicanda poena *proprie dicta f. sent.* iuris communis, non de censura; et praeterea canonicus poena plectendus, ante sententiam *condemnatoriam* per *citationem* non per *monitionem*, fit certior de poena exequenda, ut se defendat si potest.

beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos, de praedictis Ecclesiis aut Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint literas Apostolicas de sua promotione ».

Disciplina quae hic sancitur censurâ, continetur in Extrav. 1, *De elect. inter comm.* ubi firmatur regula: « *Asserenti namque cum mandatis Principis se venisse, credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit* ». Quare in textu editae censurae sermo fit *de provisis quovis modo apud S. Sedem, id est de promotis vel confirmatis, qui titulum* assequuntur alicuius Ecclesiae gubernandae *externa iurisdictione.*

Quia in odiosis versamur, *Episcopos* intelligimus iam *consecratos;* Praelatos autem, eos *pollentes* iurisdictione quasi *episcopali* in *externo* regimine; utrosque vero tunc dici provisos, quando *nomine proprio* iurisdictionem exerceant, non item si quasi *Administratores, Visitatores.* - Isti vero *recipiuntur* quando admittuntur ab iis qui ex munero suo, veluti capitula cathedralia, vel conventus Ecclesiarum Abbatialium, recognoscere debent litteras Apost. *provisionis,* antequam concedant possessionem regiminis ecclesiastici. In textu autem praeter conventus et capitula, recensentur *alii omnes* seu ab istis *distincti,* qui potissimum, ubi non sunt capitula, pro constitutione singularum Ecclesiarum, potestatem admittendi habent. - Iamvero hi omnes, seu *recipientes* incurrunt *suspensionem a suorum beneficiorum* perceptione, videlicet incurrunt suspensionem non *a divinis*, non ab *officio* et ab *administratione beneficii*, sed a *perceptione fructuum.* Capitula vero et conventus a *suorum...*, nimirum a beneficiorum perceptione *communium*, non ab iis beneficiis quae singuli capitulares possident, uti singuli; (cf. D'Annibale *h. l. not. 6*); sed *alii omnes seu distincti* a communitatibus, a bene-

ficiis suspensi sunt, quae uti singuli possident. - Quamobrem capitula, conventus incurrunt suspensionem uti *poenam*. (Vol. III, n. 98) et hanc subeunt etiam non *contumaces; alii omnes* autem uti *singuli*, et hinc qua *censuram*. - Qui fovent, obediunt Praelatis *ita iam receptis*, nulla heic plectuntur poena, prouti fiebat Const. cit. *Iniunctae*.

Sed post editam Const. *Ap. Sedis*, Pius IX Const. *Romanus Pontifex*, data quinto kalendas Sept. 1873, consuluit auctoritati Vicariorum Capitularium qui Ecclesiam administrare debent, quousque Praelatus rite *provisus* ostenderit, uti supra, literas provisionis; ne exinde fiat locus Episcopis intrusis. Quare heic Pontifex compescit alium abusum, inolitum maxime in regionibus valde distantibus a S. Sede, ubi *nominati* et *praesentati* legitime a civili potestate, *audebant* assumere regimen Ecclesiarum antequam litteras institutionis reciperent a S. Sede et Capitulo praesentaverint, sibi, ut plurimum, arrogato titulo seu nomine Vicarii Capitularis aut Generalis. - Equidem in cit. Const. Pontifex lamentatur, § *Hac* « abusum sub quovis titulo vel praetenso et asserto privilegio, quaesito colore et quacumque causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam regnis seu regionibus, praesertim longinquis invectum, quo Capitulum Ecclesiae Cathed. vacantis, obsequens invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremae civilis potestatis, concedere et transferre praesumit ac de facto concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam illius curam, regimen et administrationem, eamque nominatus et praesentatus sub nomine Provisoris, Vicarii Generalis aliove nomine gerendam suscipit ante exhibitionem Litt. Apost.... remoto proinde Vicario Capitulari » vel alio non suffecto, cum defecerit, quacumque legitima causa primus vel alter deputatus, prouti ius commune expostulat, quod hac Const. confirmatur.

Vi huius Const. incurrunt excommunicationem sp. modo Papae reservatam et alias poenas, quas edit textus huius Con-

stitutionis ad § *Confidimus;* nimirum: « Confidimus autem *Dignitates et Canonicos Cathedralium Ecclesiarum vacantium* ac *illos* qui *deficientibus Capitulis, Vicarios deputant,* aut *vacantes Ecclesias legitime administrant,* plane exequuturos quae hisce Nostris Literis declarata et decreta sunt; ubi vero quod Deus avertat, *ea exequi detrectaverint, ac concedere et transferre* in nominatum et praesentatum ad eamdem Ecclesiam, eius curam, regimen, et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore, ausi fuerint, praeter nullitatem iam decretam praedictae concessionis et translationis, praefatos Canonicos et Dignitates excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum, ecclesiasticorum beneficiorum quorumcumque, aliorumque redituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et innodatos fore decernimus et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Rom. Pont. pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

« In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a dignitatibus et canonicis aliisque, de quibus supra in eos peracta, nec non ii qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint cuiusque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint.

« Praeterea nominatos et praesentatos iure quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

« Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione, incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

« Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administratione vacantium Ecclesiarum intrusis fiant, mandentur,

decernantur, et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis modo sequutis et quomodocumque sequuturis omnino nulla, invalida, inania, irrita et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata et de facto praesumpta... esse... decernimus etc. ».

In hanc Const. aliquid advertere praestat, non pro explicanda ecclesiastica disciplina, hac de re, sed ad intelligentiam poenarum quae sanciunt non quaecumque sed nonnulla admissa graviora contra hanc disciplinam. Etenim hac Constitutione declaratur et firmatur ius commune, constituens Vicariorum Capitularium deputationem et officium, in primis, decernens, neque quoad tempus neque quoad iurisdictionem ordinariam Capitulum limites ponere posse, sed poenis plectit crimen in eo admissum ut *Ecclesia vacans concedatur, transferatur in nominatum seu praesentatum a potestate laica, id est a supremis rerum publicarum moderatoribus, antequam ita nominati et praesentati exhibuerint literas Apostolicas.*

Poenas autem incurrunt, *conrei principales* seu *Dignitates* et *canonici* CONCEDENTES et TRANSFERENTES; et ipsi *nominati* et *praesentati* SUSCIPIENTES, sive per se, sive per alium regimen Ecclesiarum; nec non conrei *accessorii*, seu qui intrusis *praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, favorem praestiterint cuiusvis status, praeeminentiae, dignitatis fuerint.* - Iamvero in textu distinguuntur *Dignitates* et *Canonici*, quia revera in capitulis Dignitates a Canonicis distingui solent, sed potissimum quia ubi capitula constituta non sint; secus effugerent poenas illi qui ius habent recipiendi et recognoscendi literas provisionis, quique iure merito Dignitates appellantur. - Hac etiam de causa in textu *suspensionis latae* a Const. *Ap. Sedis* supra expenso n. 90, recensentur Capitula, Monasteria, *aliique omnes.*

Poenae autem feruntur sequentes:

1) Tum delinquentes *principales* tum *accessorii* incurrunt excommunicationem *l. sent. speciali modo Papae reservatam.*

2) Incurrunt ipso iure, Canonici et Dignitates privationem fructuum, beneficiorum aliorumque redituum ecclesiasticorum; et harum poenarum relaxationem speciali modo sibi reservat Pontifex.

3) Nominati et praesentati decernuntur eo ipso privati iure quod per praesentationem aut nominationem forte quaesierint; et nullius valoris edicuntur esse quaecumque ab istis ordinentur, mandentur, fiant.

4) Denique cavetur: « *Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam* ». Quaerunt DD. an hi, *praeter excommunicationem*, has censuras incurrant? Iamvero longe probabilior est sententia D'Annibale, *Com. h. l. not. 11*, et Pennacchi, *h. l. II, p. 532* qui autumant, Episcopos *consecratos* ab excommunicatione esse immunes, quia *speciali* poena plectuntur, et per *speciem derogatur generi*, iuxta *reg. iuris 34 in 6.*

95. In titulo *De maledicis*, 26, Lib. V, Decret. Greg. IX *in cap. 1* sermo habetur de clerico qui coram aliis clericis verba protulerat iniuriosa in ipsam dignitatem Rom. Pontificis, et statuitur clericum puniendum esse *poenis arbitrariis* pro rerum adiunctis. - DD. inferunt, idem servandum esse in clericum maledicum adversus Episcopi dignitatem, aliamque praestantem auctoritatem. - Arg. *can. 27, caus. 23, q. 4*, DD. tradunt, si agatur de iniuria directa in ipsam personam, satius esse poenam remittere, ad exemplum mansuetudinis Christi, quam severe repetere. Secus vero si iniuria lata est in ipsam auctoritatem Praelati. Cf. Reiffenst. *h. t. n. 9.* - Ceterum facile iniuria lata in personam Praelati suffunditur in eius auctoritatem.

Huc referenda est prohibitio *libelli famosi*, cuius antiqua poena erat ut eius auctores excommunicarentur et verberibus caederentur, arg. *c. c. 1, 2, caus. 5, q. 1.* - Verum advertatur,

poenam excommunicationis fuisse *lat. sent.*, et hinc exolevisse; poenam fustigationis *fer. sent.*, et hinc applicandam pro temporum et locorum adiunctis.

Accesserunt statuta S. Pii V, Bulla « *Romani Pontificis* », *17 Martii 1572*, et Greg. XIII Bulla « *Ea est rerum* » *1 Sept. 1572*, quae auctores *libelli famosi* gravissimis poenis subiiciunt, et in primis poenae infamiae *ipso iure* incurrendae. Verum hae constitutiones latae fuerunt pro diticne pontificia civili, quare ius non fecerunt commune, et hodie in maledicos infligendae sunt poenae *arbitrariae*.

96. Denique ob privilegium fori competens clericis, omnia delicta quantumvis civilia deferuntur iudicio Episcopi, compescenda poenis in foro ecclesiastico, quousque ista delicta tam gravia esse, et criminosos clericos adeo incorregibiles esse probetur, ut sit locus degradationi seu traditioni brachio saeculari, prouti edicit *cap. 10, De iud. X* (II, 1); videlicet: « ... si clericus in quocumque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel periurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime atque convictus, ab ecclesiastico iudice deponendus est. Qui, si depositus incorregibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri: postmodum vero si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima poena inferatur ». Hoc caput late exposuimus Vol. III, n. 183.

PARS II.

De iudiciis criminalibus.

TITULUS I.

DE ORDINATIONE IUDICII CRIMINALIS IN GENERE.

Summarium. — 97. Iudicium criminale pertinet ad potestatem punitivam *executivam*. — 98. Differt a iudicio civili potissimum ratione personae *actoris* seu *accusatoris*. — 99. Quare explicanda sunt iudicia criminalia in ea parte qua differunt a civilibus.

97. Iam advertimus in prooemio ad hunc secundum Librum, rem criminalem veluti tribus partibus constare, nempe iis legibus quarum violatio est *crimen; poenis* quibus coercentur crimina; *iudiciis criminalibus* quibus detegitur crimen ut criminis auctor debitas luat poenas. - Modo de hoc tertio momento potestatis coercitivae socialis nostrum est disserere.

98. Iudicia criminalia spectant ad *crimina* et ad *poenas*, veluti necessarium practicum consectarium, ne scilicet inutiliter in codice legum crimina poenis coerceantur; siquidem in societate hominum sive civili sive religiosa crimina non accidit expiari poenis, nisi postquam per cognitionem iudicialem probato crimine eiusque auctore, hic congrua poena, iudicis ministerio, mulctatur (1).

Naturalis autem structura iudicii criminalis, quoad substantiam, eadem est ac ea iudicii civilis; quod advertimus explicantes *prolegomena in iudicia ecclesiastica*, sed plures differentiae

(1) Revera in societate religiosa feruntur poenae *lat. sent.* ipso facto incurrendae, sed suo loco, Vol. III n. 72 sq., advertimus plenam executionem, saltem quoad *forum externum*, has non sortiri nisi post sententiam *declaratoriam*.

promanant tum in *acta causae* tum in *acta iudicii* ex differenti obiecto cui dirigitur iudicium criminale; quandoquidem *actio* seu *accusatio,* ordinata est ad vindicandum non bonum privatum sed bonum publicum. Namque obiectum iudicii *civilis* sunt actiones civiles et hinc iura privatorum civilia; *criminalis* e contra obiectum sunt *poenae* executioni demandandae in criminis auctorem. - Porro haec criminum cognitio et poenarum executio iudicialis non est relinquenda arbitrio iudicis sed hic pro potestate, quam obtinet, legitime procedere debet in cognoscendis criminibus et poenis applicandis, sc. observata, in primis, forma processus per publicas leges constituta. - Quare iudicium criminale ita definiri potest: *complexus actorum certo ordine et forma, vi legum determinatorum, quibus iudices competentes cognoscunt de criminibus eorumque auctoribus ut criminosi homines debitas luant poenas.* - Iudicium crim. ita consideratur *obiective;* nam *subiective* inspectae leges processus criminalis determinant limites qui regunt et moderantur ipsam potestatem accusandi et iudicandi reos.

99. Itaque nostra tractatio eo spectat potissimum ut explicemus ordinem et formam actorum processualium quatenus processus criminalis differt a civili; sed antequam agamus de *speciali forma* processus qui hodie apud curias ecclesiasticas observari debet, praemittimus *genericam* tractationem, in qua diversas evolvemus procedendi formas in Ecclesia adoptatas, at hodie magna ex parte ad *historiam iuris* amandandas. Praeterea de iudicum competentia in hac materia appositas regulas explicabimus, atque disseremus de partibus quibus, necessario seu ad substantiam, constat iudicium criminale nec non de *actione criminali* aliquid dicemus. Quare hac tractatione continentur veluti *prolegomena in iudicia criminalia.*

Verum ab obiecto, veluti a suo fine, hae diversae rationes iudicum et iudiciorum desumendae sunt. Sit itaque,

Caput I.

DE OBIECTO SEU FINE IUDICII CRIMINALIS.

Summarium. — 100. Obiectum iudicii criminalis idem est ac obiectum poenae. — 101. At considerari debet etiam obiectum omnino iudicii *proprium* et *specificum* seu obiectum *immediatum*. — 102. Prouti diversimode consideratum fuit obiectum *mediatum*, diversa habita sunt systemata processualia. — 103. Actor in iudicio criminali fit accusator et inde movet ratio differentiae in diversis methodis processualibus. — 104. Adumbrantur hae diversae procedendi rationes.

100. Disserentes de fundamento cui innititur ratio poenarum infligendarum, probavimus poenis, in genere, obtineri primo, ut restauretur ordo iuridicus in societate laesus per crimen, deinde ut praecaveantur eiusmodi iurium laesiones. - In societate religiosa ordo laesus instauratur, dum criminosus, crimine convictus, poenas luit quibus vel ipse emendat suos mores, vel alios saltem a delinquendo deterret. - Quum vero per iudicium criminale poenae applicentur quae exinde sortiuntur suum effectum, patet non minus iudicium criminale quam ipsam poenam intendere in ordinis restaurationem atque in efficacem iurium defensionem.

101. Nihilominus considerare praestat aliud obiectum veluti, *specifice* proprium, iudicii criminalis, idemque *immediatum*, nimirum crimen detegere in omnibus suis adiunctis ea intentione ut quinam fuerit eius auctor vel etiam an plures extiterint auctores et quanam sub imputatione, liceat comprobare. Quocirca iudicium criminale dicitur assequi suum obiectum quando sententia iudicialis plectit *congrua* poena criminis *auctorem;* eidemque scopo assequendo dicitur processus criminalis congrue esse instructus quum acta processualia apte sunt ordinata unde veritas circa factum criminosum certe detegi valeat. - Quare iudicii criminalis distinguimus obiectum aliud *immediatum*, aliud *mediatum*.

102. Sane historia refert, admodum varia fuisse in suo processu iudicia criminalia; ratio vero diversitatis repetenda est maxime ex diverso obiecto *mediato* quod nempe sibi proponit systema poenale. - Quousque delictum, apud rudiores populos, aestimatur uti laesio iurium privatorum dumtaxtat, poena induit indolem privatae vindictae, cuius executioni praevia est tantum naturalis factorum cognitio et exploratio, atque nulla alia est regula et mensura coercitationis nisi voluntas et potestas punientis. At morum barbariem una vincere nata est religiosa in Deum institutio, et per religiosam institutionem magis in dies evolutam, populi cultum assequuntur humanitatis et crimina detestari discunt uti deordinationes spheram praetergredientes iurium privatorum: tunc poena appellatur *supplicium* et per *sacerdotes* irrogatur. - Progrediente rerum cognitione distinguitur idea iuris ab idea Dei, omnium iurium auctore et fonte; quamobrem tunc ponitur fundamentum poenarum in ipsa iurium defensione; iurium nimirum tum singulorum civium tum universae societatis, et iudiciorum ordo ita componitur ut in persequendis reis et poenarum applicationibus ratio habeatur non minus *accusatoris* quam *accusati*. - Inter populos ethnicos, graeci et potissimum romani excelluerunt in exornando processu accusatorio qui huic legi responderet.

In Ecclesia Christi sicuti diserte ab ipsis praeceptis Apostolicis, *(I Corinth. V, 1 sq., II Corinth. II, 6 sq.)* delineatum fuit systema poenale, ita non obscure adumbrata sunt suprema lineamenta processus criminalis ecclesiastici in illa sententia Matthaei XVIII, 15 sq. « *Si peccaverit in te frater tuus vade et corripe eum inter te et ipsum solum...; si autem te non audierit adhibe tecum adhuc unum vel duos...; quod si non audierit eos dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus* ». Eiusmodi textum, quatenus hic se refert ad animadversionem in Ecclesia faciendam in delinquentes et appositam rationem procedendi, ex suo scopo,

a processu civili romanorum distinctam, dilucide et profunde interpretatur S. Augustinus in celebri *canone 19, caus. 2, q. 1;* Innocentius III practice explicat in cap. *13 De iud.* X (II. 1). Porro, et hoc apprime adverti debet, quia systema poenale ecclesiasticum primo intendit ad *emendationem* reorum, processus poenalis primo incumbere debet ad istam obtinendam per *admoniliones.* Hoc est exordium processus disciplinaris eccles., prouti iussit Inst. S. Cong. EE. et RR. *a. 1880, 11 Iunii.*

Sed finis *immediatus* iudicii poenalis idem est in foro eccles. et laicali; eademque est intima structura iudicii.

103. Equidem in iudicio criminali non secus ac in civili tres personae sunt necessariae ad substantiam, videlicet *actor, reus* et *iudex,* Verum *actor* in iudicio appellatur *accusator* et hic non minus quam ille movet iudicii instantiam. Nam *reus* in *civilibus* est possessor cuiusdam rei a qua deturbari non valet nisi aliquis, idest *actor* hanc rem sibi petat et sibi deberi probet; in *criminalibus, accusatus,* antequam accusatio invicte probata fuerit, fruitur ea *iuris naturalis* praesumptione, nempe *nemo malus nisi probetur;* quocirca quicumque alteri imputari intendit factum criminosum, debet hoc probare evidentibus probationibus apud iudicem competentem. - Qui hoc perficere intendit appellatur *accusator.* - At quisnam erit *accusator* in iudicio criminali?

Ex modo quo definitur haec quaestio oritur ratio fundamentalis cui innititur tota structura iudicii. Nam *accusator* non secus ac *actor* assumit onus probandi suam intentionem; reus e contra *passive* se habet, iuxta effatum: *Reus inficiando* (1)

(1) Quo sub aspectu systema imponens reis necessitatem se *purgandi* ab impacta *accusatione* etsi iudicialiter non probata, pugnat cum iure naturali et haec laus debetur maxima iuri can. quippe ipsum proscripsit purgationem *vulgarem* seu *duella iudicialia* quae assumebant accusati ut accusationis abstergerent quamcumque labem. Purgatio *canonica,* sub alio aspectu, probanda est, uti infra explicabimus.

vincit, siquidem *accusatore non probante reus absolvitur*. - At *hic opus, hic labor*, videlicet determinare methodum qua instauranda est criminalis *accusatio* vi cuius ab accusatore comparantur et evincuntur probationes in processu criminali, adeo ut veritas elucescat et calumniatoribus praecludatur aditus. Siquidem processus criminalis, non minus quam ipsae poenae, prospicere debet *iurium legitimae defensioni* seu defensioni eorum qui per crimen passi sunt laesionem, at insimul consulere debet defensioni *accusati* ne facile et impune *calumnia* praevaleat adversus innocentes cives. - Verum leges processuales, in primis, moderari debent partes *accusatoris*, utpote qui *active* se habet.

104. Sane illius est promovere poenae applicationem qui criminis damnum persentiit. Si enim in civilibus *mensura actionis est interesse*, in criminalibus quoque illius erit accusare cuius interest crimen non manere impunitum. Atqui uti docuimus suo loco, ex crimine damnum promanat *immediatum* in civem qui directe patitur laesionem iuris ex criminoso facinore at una simul damnum patitur *mediatum* universa societas, (1) quae per criminosos cives videt convelli ipsam basim socialis tranquillitatis seu auferri securitatem singulorum civium, quorum iura expostulant a sociali auctoritate efficacem defensionem. - Re sane vera, in societate religiosa si crimina maneant impunita consequetur, fideles longe aberrare a sanctitate morum quibus praestare debent, et universa societas, malo exemplo infecta et impiis moribus, veluti putrida tabe peresa, catholico nomine indigna fiet et suo impar fini. Quamobrem et singulorum fidelium et universae societatis catholicae interest, malos homines compescere. Inde sequitur accusare reos et eos in iudicium rapere, ut de suo crimine convicti praestent

(1) Verum suo loco advertimus (Vol. III n. 24) pertinere ad publicam auctoritatem determinare quando actio laesiva alicuius legis constituat delictum hoc sensu penes Romanos habebantur delicta *privata* et delicta *publica*.

indemnitatem et luant poenam, incumbere sub diverso respectu tum civibus singulis, tum universae societati.

Societas vero, uti persona moralis, non potest agere seu accusare per se, sed constituat oportet accusatorem qui crimina insectetur nomine et auctoritate ipsius societatis. Persona vero accusatoris, quia *utrumque* damnum promanat ex eodem crimine et imputatur eidem criminis auctori, potest, in persequendo crimine, curare et damni privati indemnitatem et publici ordinis restaurationem. Sed in civili societate privatus civis agere non potest personam *publici* accusatoris nisi ex venia aut mandato *tacito* vel *expresso* Reipublicae, et planum est.

Quare fingere possumus duplex systema iudiciale; nempe vel *accusator publicus* est *privatus* civis qui hoc praestat ex venia aut mandato Reipublicae, vel *accusator* est *magistratus*, qui publica auctoritate constitutus crimina persequitur nomine Reipublicae, ad publicam nempe criminum aut vindictam aut reprehensionem, prouti exposcit, respective, intentio potestatis punitivae aut civilis aut eccles. - Verum ad eiusmodi magistratum non pertinet agere de indemnitate, quae spectat ad civem *damno immediato* offensum, sed ipse civis laesus istam actionem instaurare debet, quippe *civilem* et tunc dicitur agere *civiliter* de crimine. - Atqui in uno et altero systemate iudicii criminalis, non eadem methodo et ratione comparantur et explicantur probationes, prouti modo disseremus.

CAPUT II.

DE DIVERSIS PROCEDENDI MODIS SEU DE PROCESSU ACCUSATORIO, INQUISITIVO, MIXTO.

Summarium. — 105. De accusatore in processu accusatorio. — 106. Quomodo hoc systema obtinuerit iure rom. — 107. Istud obtinuit etiam iure eccles. iuxta ordinationem iuris rom. — 108. Iure rom. induci coepit processus inquisitivus qui procedendi modus large evolutus fuit per ius canonicum. — 109. Huc spectat titulus: De *accusationibus, inquisitionibus* et *denunciationibus*. — 110. Quid denunciatio et quinam denunciatores. — 111. Denunciatio non constituit rationem procedendi vere *iudicialem*. — 112. De purgatione canonica. — 113. De processu mixto. — 114. Explicantur et comparantur inter se proprietates processus tum inquisitivi tum accusatorii. — 115. De partibus quibus necessario constare debet quilibet processus.

105. Processus *accusatorius* est in sua forma simplicior et hinc apud populos, qui ad, naturalem civium libertatem tutandam, premere aggrediuntur vestigia socialis et politicae constitutionis, primus obtinere solet. Siquidem ille suscipit onus *accusationis*, qui vel directe laesus fuit per crimen vel saltem criminis habet plenam notitiam et facilem probationum copiam. Namque ille, qui per crimen laesus fuit, ex ipso naturali iure, facultate pollet accusandi suum offensorem ad postulandam poenam atque ab exercitio huius iuris prohiberi non potest, nisi a publica sociali auctoritate, quae sibi vindicat criminum publicam vindictam seu publicam deordinationis restaurationem. Quam ob rem iste civis gerere non valet personam accusatoris in *publicum bonum*, nisi ex venia *tacita* vel *expressa* Reipublicae. Civis vero qui per crimen non fuit directe offensus accusare non potest nisi *ex mandato* ipsius Reipublicae (1).

(1) De *fontibus* iuris eccles. tantum advertam hodie maxime attendendam esse Instructionem datam a S. C. EE. et RR. *die 11 Iun. 1880*

Romani, prouti explanavimus Vol. III n. 24 distinguebant crimina *privata* et *publica*. - *Privata* aestimabantur uti laesiones non egredientes sphaeram iurium privatorum, quorum persecutio

et quoad appellationis instantiam ulterius explicatam, *die 26 Martii 1886* editam - *pro eccles. curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum*. - Uti fert stylus H. S. C. exarata fuit idiomate italico, sed attenta illius competentia et ex subiecta materia, videtur haec Instructio pertinere ad omnes Catholici Orbis curias, ad quas spectat competentia dictae Congregationis. Nihilominus rescripto *die 14 Ian. 1882* expresse eadem Instructio extensa est ad curias Galliae. Sed forsan istud rescriptum est tantummodo *declarativum*. - Certe hodie saltem ex receptis moribus seu iure consuetudinis, omnes curiae, uti normam processus, in hisce causis assumunt istam Instructionem. Ceterum huius intentio fuit non derogare iuri communi sed concedere *facultatem Ordinariis* ut *formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis* super *clericis*, uti expresse cavetur art. 9. - Ad Status Foederatos Americae Sept. haec eadem Instructio, paucis additis extensa fuit a S. Cong. Prop. Fidei *a. 1883;* unde abrogata fuit Inst. quae ab eadem Cong. pro iisdem Statibus edita fuerat *die 20 Iul. 1878*. - Nonnulla decreta data a S. Cong. EE. et RR. quae tamen spectant, ut plurimum, ad ditionem civilem pontificiam, referuntur apud *Acta S. Sedis*, vol. XIX, p. 296 seq.; alia vero decreta de re iudiciali spectantia ad ius can. vel particulare vel commune, prostant in Collect. Lacensi, tom. I, p. 427 seq.; haec citabimus arrepta occasione. Nostra aetate, propter necessitatem apte ordinandi iudicia praecipue disciplinaria, editae sunt particulares Instructiones; ita pro Archidioecesi Colonien. *a. 1848* et Pragensi *a. 1870* et has etiam citabimus, in processu tractationis, ad explicandas practice notiones iudiciales. Sed praecipue rationem habebimus de codice poenali Gregoriano, edito pro ditione pontificia a. 1832, inscripto *Regolamento organico e di procedura criminale*, quem codicem, quippe qui optimam nobis suppeditat normam in ordinandis *actis et probatis*, citabimus redditum in latinam linguam. - Hactenus de *fontibus;* ad *literaturam* autem quod attinet, consulantur celebriores commentatores iuris Decret. veluti Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber in lib. II et V Decretalium; pro hodierna praxi etiam De Angelis et Santi. Praeterea inter veteres cf. Zallinger, *Inst. iur. eccles.*, lib. V; Zech, *De iudiciis criminalibus*, VI; Scaccia, *De iudiciis;* inter hodiernos scriptores, Marx, *De denunciatione iur. can.;*

relicta erat exclusive privato homini laeso. - *Publica* ea sunt quae ipsa societas compescere statuit utpote laedentia, *saltem indirecte*, universam societatem. - *Privata* accusari et probari in iudicio competit tantum civi per crimen *laeso; civi* autem privato etsi *non laeso* fas est crimen iudicialiter persequi. Hic enim, cum cognoscat criminis adiuncta, paratus est crimen probare et eius auctorem reddere crimine convictum. - Simplicior sane est haec forma procedendi, quia in iudicio criminali maximum negotium facessit onus probandi accusationem adversus accusatum civem; et huic necessitati in processu accusatorio satisfacit ipse civis laesus vel saltem ille, qui apprime cognoscit criminis adiuncta eiusque auctorem. Quamobrem statim ac populus adolescere incipit in studio civilitatis et in criminibus percipit laesionem integrae societati irrogatam, ipse iustitiae et publicae tranquillitatis amor excitat cives ut nomine et auctoritate ipsius societatis crimina accusent; quamvis eiusmodi crimina ipsos directe non laedant sed quatenus Reipublicae iniuriam inferunt.

Hoc systema quod prius tempore reperitur apud populos civiliores, tamen quia maximam relinquit libertatem et accusatoribus et accusatis, et privatis civibus committit defensionem iurium Reipublicae, non satisfacit suo instituto, nisi cives sint maxime honesti et solliciti iurium Reipublicae magis quam sui privati commodi.

106. Ius romanum, hac sub ratione, evolvit systema accusatorium et comparavit CUIVIS DE POPULO criminalem *actionem*

Bouix, *De iud. eccles.*; Fournier, *Les officialités*; Pierantonelli, *Praxis Fori ecclesiastici*; Petrus Rota. *Enchiridion confessarii et iudicis eccles.* - Pro historia iuris crim. et institutionibus etiam civilibus, cf. Thonissen, *Histoir de droit crim. des peuples anciens*; Carrara, *Programma*, Vol. II; Meyer, *Institut judiciaire*; Helie, *De l'instruction criminelle*; Bécot, *De l'organisation de la justice répressive*; Huc, *Influence du droit canonique sur le droit pénal.*

popularem (Vol. I, n. 184 et III, n. 24) quam experiebantur ipsi cives, etiam non *laesi* crimine, quum agebatur de *delictis publicis*. Quia in hisce persequendis criminibus cives, veluti partes agebant ipsius Reipublicae (quod apprime perspexerant Romani), proinde civis, etsi criminis offensionem ipse fuerit passus, non admittebatur ad accusandum, nisi a magistratu *veniam* et quasi *mandatum* accepisset. Haec accusator impetrabat per *postulationem* factam apud iudicem, qui aliquem prohibere poterat ab accusando vel quia accusationis nullas habebat comparatas probationes vel quia fide dignus non erat, arg. *l. l. 2, 5, 12, 15, ff. tit. 2, De inscriptionibus et accusationibus lib. XLVIII.* Item cf. *tit. 1, De his qui accusare non possunt*, et *tit. 2, De inscrip. et accusat., in Cod. IX.* Si plures se offerebant accusatores de eodem crimine, fiebat a iudice *divinatio* seu inter *accusatores* electio, unde ille qui utpote magis idoneus censebatur, ad accusandum admittebatur; ex *c. 16 ff. cit. tit. 2. lib. XLVIII* — Dein subsequebatur *inscriptio:* quia accusator debebat in scriptis, solemni et publica forma, edere suum nomen, et nomen accusati et crimen; ait Cicero *pro Client.* 31, 86: *haerebat in tabulis publicis reus et accusator.* - At graves poenae in *calumniatores.* - Nam systema *accusationis* CUIVIS DE POPULO permissae maximum discrimen parere potest insontibus civibus, nisi severe puniantur calumniatores. Diversimode Romani insecuti sunt *calumniatores* qui nempe in iudicio *falsa crimina intendebant;* sed semper severioribus poenis istos mulctarunt, quousque aetate Imperatorum constituta est poena ordinaria *talionis.* Cf. *l. 6, ff. tit. 15, De praevaricat. lib. XLVII.*

Praeterea si accusator modo probationes non habebat paratas, at spondebat se istas comparaturum, dummodo concederetur sibi tempus et facultas habendi *inquisitiones*, videlicet interrogando testes et alia *perquirendo* accusationis argumenta, magistratui integrum erat hanc facultatem concedere, quam obtinuit Cicero

in celebri accusatione adversus Verrem, prouti ipse narrat (Verr. *II, 26, 64; IV, 66*), referens se Siciliam peragrasse, probationes de concussionibus a Verre patratis exquisientem et sedulo colligentem.

Partes iudicis, in processu pure *accusatorio* non secus ac in iudicio civili consistunt *passive*, in excipiendis et pensandis probationibus ab accusatore allatis. - Accusatus autem ordinario, pendente accusationis iudicio, fruebatur *libera custodia* (1) seu liber omnino relinquebatur; sed erat in facultate magistratus eum ponere *sub custodia*, nempe militum (*l. 1, ff. tit. 3, De custodia et exhibitione reorum, lib. XLVIII*). Ex quibus patet systema *accusatorium* penes Romanos sapienter evolutum fuisse ad normam iuris naturalis.

107. Ius ecclesiasticum iam a suis primordiis systema *accusatorium* excepit prouti testantur Const. Apost. *lib. II, 46-55*, et Tertullianus († 215) *Apologet. c. 39;* siquidem ab hisce documentis comperimus, Episcopum suo circumdatum presbyterio audire solitum fuisse accusatorem et accusatum, testes interrogasse et inde sententias absolutionis aut condemnationis pronunciasse. - At illud *primo*, singulare est in hisce iudiciis ut res procederet absque formae solemnitate et iudicii accusatorii servaretur substantia. Devoti *Inst. Can. IV*, § 5. - Nihilominus quo magis Ecclesia explicavit in exteriori foro, progressu aetatum, suam formam externae societatis, maiori diligentia servavit etiam solemnitates processus accusatorii romani, prouti testis est D. Gregorius. (*605*) *in can. 7 caus. 2, q. 1 et c. 38; caus. 11, q. 1.* - Deinde *secundo*, aliud singulare fuit, iam ab origine Ecclesiae, in eius processu, ut (quod expostulat ratio poenarum eccles. *Vol. III, n, 13*) propriae accusationi praecederet monitio *fra-*

(1) Sane pro publicis delictis consueta poena erat exilium seu *aquae et ignis interdictio*, quae poena aeque obtineri valet etiam in transfugas et in contumaces. Sed mos liberae custodiae nec constans fuit nec diu frequentatus. Cf. Padeletti, *Storia del diritto rom.*, pag. 304.

terna aut *charitativa* (iuxta textum Matthei *XVIII, 15 seq.*); non secus ac proprium est Ecclesiae poenas *medicinales* experiri antequam deveniatur ad poenas *vindicativas*. - Verum ratio systematis poenalis eccles. si bene aptatur processui *accusatorio*, tamen excusare non valet Praesules Ecclesiae ab exercenda *inquisitione ex suo officio*, quando ad compescendos criminosos non exoritur accusatio. Sollicitudo enim quae adhiberi debet ab Ecclesia in sanctificationem *singulorum*, quaeque per poenas medicinales medetur hominibus delinquentibus, effecit ut pia mater Ecclesia non tantum expectaret accusatoris querelam sed ipsa *inquireret ex officio* ad detegenda crimina unde ruina procedit spiritualis et singulorum hominum et universae societatis. Hac de causa in Ecclesia maximam applicationem habuit systema *inquisitivum*, praecipue adversus haereticos: cf. *c. c. 46, caus. 2, q. 7* (Greg. M.); *6, caus. 2, q. 5* (Greg. M.); *7, c. 2, q. 5* (Greg. M.); *20, c. 2, q. 1*. - At haec procedendi methodus iam apud Romanos sensim invaluerat.

108. Equidem in processu accusatorio *defensio iuridica* societatis commissa est privatis civibus, at hi grave onus publicae accusationis vel non suscipiunt vel integre non adimplent nisi polleant eximia morum honestate. Quod cito experta est Respublica romana quae, maximo potita imperio, morum honestatem sensim amisit; adeo ut *accusatores* proemiis alliciendi essent constitutis *lege Acilia Repetundarum*. (*cf. Cic. pro Balb. 25, 45, et De off. II, 14, 50*); at exinde accusationis munus effectum est *venale*, nempe abhorrens a nobilissimo publicae accusationis officio. - Sane, pro gravioribus criminibus detegendis et compescendis, iam a remotiore aetate Reipublicae romanae constituti sunt *quaestores* seu *quaesitores*, et antiquissimi sunt *quaestores parricidii*, utpote omnium gravissimi criminis. Varro V, 81, ita eos definit: « *Quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias et maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt; ab his postea, qui quaestionum iudicia exer-*

cent, quaesitores dicti ». Nihilominus apud Romanos usque integrum fuit civibus privatis sibi onus assumere publicae accusationis et *extraordinaria* dicebantur iudicia, quae apud magistratus instaurabantur ab Imperatoribus constitutos ut procederent, non servatis formis et solemnitatibus iudicii *ordinarii*, videlicet *accusatorii* in re criminali. — At iudicia *extraordinaria* pene *ordinaria* evaserunt sub aetate Diocletiani Imperatoris.

Processus *inquisitorii*, utpote instaurati *ex officio* magistratus, fundamentum et ratio exponuntur solidissime, prouti etiam conveniunt iuri ecclesiastico, in lege *13 ff. De off. praesidis* (ibi): « Congruit bono et gravi praesidi curare ut pacata et quieta provincia sit: quod non difficile obtinebit si sollicite agat ut malis hominibus provincia careat *eosque conquirat; nam et sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere* ». Quanto magis vero haec conveniunt Ecclesiae Praesulibus, qui non tantum curare debent ut *externe* pacata sit sua provincia; sed etiam satagere ut, remotis scandalis vel occultis, fideles polleant *interna* morum sanctitate? - Ad haec, in *lege 1, Cod. De custodia reorum* edicitur: « In quacumque causa reo adhibito sive accusator existat *sive eum publicae sollicitudinis cura perduxerit*, statim debet quaestio fieri ut noxius puniatur, innocens absolvatur ».

Verum processus *inquisitivus* plenam applicationem nactus est dumtaxat opera Innocentii III et Bonifacii VIII, qui eiusmodi procedendi formam ordinarunt, potissimum, ad compescendam haereticam pravitatem. A curiis ecclesiasticis hic processus pertransiit ad saeculares curias et iudicia criminalia in Europa, usque ad initium saeculi XVIII, fere ubique, ordinabantur processu pure *inquisitivo* et etiam nostra aetate exerceri solent methodo *inquisitiva*, quamvis temperata, seu *mixta* ex *accusatione*.

Attamen obiici potest, vix intelligi tam sero hunc processum sortitum fuisse normam proprie iudicialem, quum eius initia repetamus ab ipsa epocha classica iuris Romanorum. - Sed reponendum est, usque ad aetatem saeculi XIII, processum *inquisitivum* quippe *extraordinarium*, revera fuisse negotium quasi *extraiudiciale;* tunc vero factum fuisse veluti processum *ordinarium*. Cf. Fagnanum, *Comm. in cap. 24, De accus.* Exinde ita ordinandus erat hic processus, ut responderet necessariis iudicii formis. Cf. *cap. 17, De accus. X* (V, 1). Inquam - *necessariis iudicii formis;* - etenim usque ad aetatem Innocentii III habitus est uti *extraordinarius* iste processus, quia visum est, neminem *posse iudicari et damnari priusquam legitimos habeat praesentes accusatores;* arg. *can. 5, caus. 3, q. 9*, et ita passim in aliis innumeris fragmentis penes Gratianum. Re sane vera ne iudex, *ex officio inquirens*, partes *iudicis* et actoris seu *accusatoris* explere videretur, statuendum erat, quomodo *accusationi* fieret locus in exercenda *inquisitione ex officio*. Innocentius III huc adlaboravit, nimirum ad *inquisitionem ex officio* conciliandam cum *accusatione* et ratus est, processui inquisitivo, se omnem contulisse perfectionem quando in *cap. 24 h. t.* statuit inquisitioni esse locum, quum - *denunciante fama vel deferente clamore* - quasi *accusatore* praeeunte, iudex suum exequitur officium, inquirendo an iste rumor revera criminis accuset auctorem.

109. Nihilominus lex canonica penitus expellere nunquam indendit a suis iudiciis methodum accusatoriam, et sane in Ecclesia adhuc vigent actiones *criminales populares;* ex adverso leges civiles pene omnium populorum processum *accusatorium*, proprie dictum, reiecerunt et magistratui publico scilicet *Promotori Fiscali* privative, seu exclusis privatis civibus, committunt munus accusationis, nempe huius *monopolium*. Cf. Vol. I, n. 134 sq.

Porro *titulus 1, lib. V.* Decret. Gregorii IX et in *Sexto* inscribitur: « *De accusationibus, inquisitionibus et denunciatio-*

nibus »: siquidem systemati poenali Ecclesiae, ordinato in primis, ad correctionem delinquentium, sane magnopere accommodatus est processus *accusatorius*, promovendus ab hominibus privatis satagentibus obtinere, si non correctionem delinquentium per fraternas monitiones, saltem delictorum publicam animadversionem, ne lues mali exempli ceteros inficiat. At non minus congruit processus *inquisitivus*, qui curat detegere crimen, etsi forsan nulla accusatione impetitum, ut delinquenti medeatur. Ast citatus titulus inscribitur etiam - *De denunciationibus* - et modo explicandum est an *per denunciationes* fiat processus iudicialis.

110. Porro ista singularis conditio poenarum ecclesiasticarum explicat ex quo derivetur alia procedendi methodus consistens, ex rubrica *cit. tit.*, in *denunciationibus*. - Denunciatio quae uti vocabulum sonat, in re nostra, est *manifestatio criminis Superiori facta*, succedit, ex ipsa norma in Evangelio Matthaei tradita, *monitioni fraternae* seu *charitativae*, prouti Innocentius III explicat in *cap. Novit. 13, De iud. X* (II, 1) aiens: « Sed cum Dominus dicat in Evangelio: *Si peccaverit in te frater* etc... Et rex Angliae sit paratus sufficienter ostendere quod rex Francorum peccat in ipsum et ipse circa eum in correptione processit secundum regulam evangelicam; et tandem quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiae etc. ». En denunciatio *evangelica* post monitionem *fraternam*. - Denunciatio ergo habetur quando crimen *dicitur Ecclesiae* seu manifestatur Superiori.

Plures sunt *species* denunciationum quarum duas distinguimus *ex fine* cui dirigitur manifestatio Superiori facta; nempe censemus denunciationem aliam *charitativam* seu *evangelicam*, aliam *iudicialem*. Aliam *canonicam* appellamus quia *canonico iure* inducta est.

Ex suo fine, *denunciatio* est *charitativa* seu *evangelica*, quum denunciatio fit ad *correctionem;* est *iudicialis* quando fit ad criminis persequendam poenam. Quae *iudicialis* denunciatio spectat directe ad bonum publicum. At aliquando denuncians

crimen manifestat Superiori cum intentione *querelae* seu ut ipse obtineat quamdam indemnitatem; veluti qui passus est calumniam denunciat calumniatorem ut hic poenam luat calumniatorum, qua ex damnatione calumniatus intendit et restituere in integrum suam famam, et etiam obtinere pecuniariam indemnitatem, si haec expostuletur ad satisfaciendum damno crimine illato. Proinde *querela* est species *denunciationis iud.* quae intendit, praeter *vindictam* publicam, privatam indemnitatem et maxime habet locum cum publica auctoritas non persequatur certa crimina nisi ad instantiam partis laesae. Quare, per se, aliud est agere *civiliter* de crimine, nempe petere damni restaurationem inlati ex facto criminoso, veluti ex homicidio; utputa filius adversus occisorem patris petit quanti sibi intererat patrem non fuisse occisum, seu agit *civiliter* de crimine quod vel ipse vel alius denunciavit iudicialiter; aliud est *querelam* instituere, ex qua querelans repetit sibi indemnitatem, satisfactionem ex ipsa poenae luitione. Hoc sub aspectu specifice *querela* distinguitur a *simplici denunciatione* (1).

(1) Haec adverto quia Bouix *l. c. p. 35*, alios canonistas secutus, putat - agere *civiliter de crimine* - et movere *querelam* de crimine - idem esse; quippe querela sit denunciatio in privatum interesse. Verum, salva conceptuum proprietate hoc admitti non potest, uti demonstravimus. Nam ista delicta etsi compescenda tantum ad *querelam* privatorum non sunt delicta *privata* sensu iuris rom., quippe eiusmodi crimina veluti calumniae, diffamationes, puniuntur etiam in bonum commune, in publicam vindictam sed eorum criminali persecutioni non fit locus nisi ad querelam partis. Horum notio bene traditur in cit. codice poenali Gregoriano *art. 6*: « *Delicta quae expostulant querelam partis instantis pro instaurando iudicio criminali, publica auctoritas iudicialiter persequi non valet nisi praevia eiusmodi instantia. Hac vero promota, officium est publicae auctoritotis instaurare inquisitionem, dummodo instans indicia suppeditet aut argumenta sufficientia* ». Et in *art. 7* subsequenti distinguitur querela ab *actione civili* quae cumulari potest iudicio criminali (ibi):

Quando vero admittimus nonnulla crimina impeti iudicialiter tantum ad querelam *partis laesae*, non inducimus *privata delicta*, quae iure can. non vigere diximus (Vol. I. n. 11) sed distinguimus certa delicta, quae uti talia non sunt persequenda, nisi ad *querelam partis*. Sane calumnia est crimen, item diffamatio, sed nisi in calumniatorem, in diffamatorem exurgat calumniatus, diffamatus, non datur persecutio criminalis: quia non est locus calumniae, diffamationi *criminaliter* et *civiliter* persequendae, nisi istam probet ille, qui eamdem patitur. Item dic de violatione secreti professionalis aut commissi.

Denique denunciatio proprie dicitur *canonica*, quae iubetur iure canonico quaeque non viget in legibus civilibus. Ista denunciatio prospicit aut delictis praeveniendis aut delictis patratis iudicialiter compescendis. Ita denunciari debent qui indigni censentur sacris ordinibus aut praelatura ecclesiastica aut qui

« *Actio civilis exerceri valet cumulative cum actione poenali coram iudice criminali* ». — Idem codex non penitus abolevit systema *accusatorium* sed statuit accusationem semper faciendam esse a Promotore Fiscali cui tamen *adhaerere* valet privatus civis uti accusator; nam statuitur *art. 9:* « *Quacumque ratione instaurata sit inquisitio* (id est praevia denunciatione aut querela aut tantum ex iudicis *officio*) *integrum est parti laesae et damno affectae partem assumere in iudicium se declarando* FISCO ADHAERENTEM, *ante processus publicationem, unde ipsa assumit qualitatem accusatoris* ». *Art. 11:* « *Actio poenalis non suspenditur ex consensu partis neque extinguitur, nisi per mortem delinquentis, poenae luitione, praescriptione a lege constituta et per gratiam a Principe concessa* ». In eodem cod. distinguitur *denunciatio* a *querela* et *de denunciatione* haec statuuntur ». *Art. 135:* « *Quicumque, per suam praesentiam, testis fuerit cuiusdam criminis aut de eodem alias instructus sit, si velit, potest certiorem reddere Cancellariam Iudicis aut tribunalis criminalis loci patrati criminis, aut ipsum Officialem politiae, si inibi reperiatur* ». *Art. 136:* « *Quicumque Magistratus, quicumque Officialis, qui, in exercitio suarum functionum, notitiam habeat aut denunciationem excipiat de crimine admisso,* TENETUR *eiusdem notitiam referre Iudici aut Tribunali*

impedimento etiam non criminoso detinentur quominus aut sacros ordines suscipiant aut matrimonium ineant. Hac denunciatione deteguntur haeretici, coryphaei sectae massonicae et alii prout lex iubet: cf. Pellegrini *l. cit. Sect. I, n. 8 seq.* - Bouix *l. c. p. 35* improbat hanc denominationem, aiens omnem denunciationem esse *canonicam;* et hanc cum Schmalzgrueber appellat *denunciationem iudicialem* sed *delicti patrandi.* At non bene quia haec denunciatio non est *iudicialis.* - Sane denunciandi sunt coryphaei sectae massonicae ut Praelati caveant sibi et fidelibus, etsi nullum subesse possit propositum neque in denunciante neque in Praelato inchoandi iudicialem inquisitionem.

Infra dispiciemus an revera per denunciationem iudicialem, inducta sit nova ratio procedendi, distincta ab *accusatione et inquisitione;* sed modo advertimus denunciationem *iudicialem* iure can. esse speciem accusationis quia est *manifestatio*

Criminali eique omnia indicia suppeditare ad ipsum transmittendo acta relativa, quae forte confecerit ». *Art. 141:* « *Denuntiatio delicti potest esse in genere, contra personam incertam, vel in specie cum determinatione auctoris* ». *Art. 143:* « *Non admittuntur denunciationes quoad delicta, quae iudici persequi non fas est nisi ad querelam partis laesae aut damno affectae* ». Sed praeterea est locus querelae etiam quoad alia crimina quae possunt denunciari a *quovis* sive ad iudicia promovenda; de his enim querelam movere possunt ii omnes qui persenserunt ex crimine damnum *immediatum. Art. 145:* « *Quicumque ex delicto passus est iniuriam, offensionem aut damnum, aut eius nomine pater, tutor aut curator potest certiorem reddere competens tribunal per formalem querelam* ». Tunc scopus querelae est criminis obtinere et publicam vindictam et privatam *indemnitatem*, et unus et alter effectus satisfaciunt civi laeso instituenti querelam. — Iudex vero, praevia aut querela aut denunciatione, inquisitionem instituit, *art. 154, et 155.* — Isti conceptus apud criminalistas antiquos practicos, uti Pellegrini, sunt sufficienter distincti; e contra apud tractatores theoreticos uti Schmalzg., Reiffenst. hae notiones maxima implicantur confusione, quod notat ipse Reiffenst. *h. t. n. 184,* et probat Marx, *op. cit. cap. 1.*

criminis extraiudicialiter facta Superiori ad provocandam iudicialem seu poenalem animadversionem in delinquentem; at differt ab *accusatione*, proprie dicta, quia denunciator non fit *accusator* in iudicio neque probandi onus assumit, arg. *cap. 16, tit. 1, X.* Itaque denunciatio est quaedam *accusatio*, quae tamen ordinatur directe non ad instaurandum iudicium sed ad promovendam *inquisitionem ex officio* a Iudice perficiendam. - Sensim vero invaluit denunciationis disciplina in Ecclesia: quia, inducto processu inquisitivo, hic tamen instaurari non valet, nisi notitia facti criminosi perveniat ad aures Praelati; nempe, ut plurimum, per *denunciationem*. Onus autem denunciandi delinquentes imponunt ipsa praecepta evangelica apud Mattheum *l. cit.* et Lucam *XVII, 3 seq.;* et istud, in primis, ex charitate profluit seu ad fraternam correctionem, quae si ne sperari quidem aut nullimode obtineri potest, secundo ex iustitia repetitur, ne scilicet ob impunita crimina Respublica detrimentum capiat: huc spectant poenae *vindicativae* (1).

At ex dictis patet, denunciationem non constituere novam procedendi formam; siquidem denunciatio, quamvis *iudicialis*, promoveat *inquisitionem*, non directe *iudicium:* quare denunciator non ingreditur iudicium, quasi *actor* seu *accusator;* et denunciatio est *iudicialis*, utpote occasio iudicii, sed non est actus, qui iudicium constituat aut perficiat. - Denunciationis autem *iudicialis* appellatio, prouti hodie intelligitur, iuri Decretalium est incognita et est moribus inducta.

Ratio autem, ob quam in Decretalibus, processus ex *denunciatione* comparatur, quasi proprie iudicialis, processui ex *accusatione* et ex *inquisitione*, uti fert rubrica tituli: *De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus* (V, 1) et signi-

(1) Nam in titulo 1 *De accus.* lib. V, X pro intentione rubricae, non comprehenditur tantum quae a DD. appellatur *evangelica* vel *fraterna* vel *charitativa*, quod patet ex *inscriptione* cap. 13, *De iud.*

ficant textus *c. c. 24, h. t. X* (V, 1.) et *31, De Simonia, X* (V, 3), ratio, inquam, est, quia *denunciatio* quamvis extraiudicialiter, non minus quam *accusatio* et *inquisitio - iudicialiter* -, tendit in eumdem finem, nempe scelere convincere delinquentem, quem Praelatus si admonitionibus in saniorem mentem reducere non valeat, plectere queat per canonicas poenas. Sane in *cit. cap. 31, De Sim.* advertit Innocentius III « ... *sicut accusationem legitimam praecedere debet inscriptio, sic et* DENUNCIATIONEM CHARITATIVA CORRECTIO *et inquisitionem clamosa debet insinuatio praevenire* ». Nam, iuxta regulam evangelicam, qui fratrem suum cognoscit crimine implicari, eum admoneat ut sibi consulat et scandalum removeat; *si te audierit lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit.... dic Ecclesiae* seu illum denuncia suo Praelato qui delinquentem emendare sataget. At si monitiones in cassum cedant, Praelatus *ex officio* inquirit ut criminosum *iudicialiter* de suo delicto convincat eumque poenis mulctet. Quare inferius in eodem capite refertur: « Cum igitur de Abbate Pomposiano.... monachis ad praesentiam nostram accedentibus, *quidam ex ipsis nobis ipsum* de simonia, periurio, dilapidatione ac insufficientia detulerunt. Contra quos cum idem Abbas exciperet, quod denunciationem huiusmodi fraterna correctio secundum regulam evangelicam non praecesserat, et iidem constanter assererent, quod correctionem huiusmodi praemisissent.... ». Verum quia « *super hoc nondum contendere* desistebant, nos, ut praediximus, *frequentibus clamoribus excitati* EX OFFICIO NOSTRO VOLUIMUS INQUIRERE *de praemissis* ». Itaque *denunciationi* non fit locus veluti *processui* iudiciali, sed uti aptae rationi convincendi reum de crimine ad illius obtinendam emendationem per Praelatum et occasionem praebet *inquisitioni iudiciali*, si denunciatus permaneat incorrectus. - Porro huc spectat apprime systema poenale Ecclesiae, delinquentium obtinere emendationem; proindeque denunciatio est, apud Mattheum, primum

accusatus solemniter iurare solebat, veluti super sepulchro martyrum, tactis sacratissimis reliquiis, evangeliis et ita porro.

De hoc more dum meminit Gregorius Papa *can. 6, caus. 2, q. 5*, nempe sub an. 592, nos docet, institutum *purgationis canonicae* habendum esse quasi consequentiam processus *inquisitivi*, videlicet *accusationis* institutae *ex officio* vel reclamante *fama* seu rumore vel praevia *denunciatione* facta a persona admodum fide digna. — Siquidem etsi accusator *publicus* aut denunciator vir, uti ponimus, spectatae fidei invicte non probaverint suam intentionem, tamen quia calumniandi animus in eiusmodi personis nullimode admitti potest, sequitur, accusatum aut denunciatum quamvis iudicialiter non convictum, aliqua aspergi labe gravioris suspicionis; quae potissimum in sacro altaris administro omnimode abstergenda est (1), *purgatione* nempe *extraiudiciali*.

(1) Hinc non iure merito Carrara *Programma*, § 833, carpit, in genere, hanc disciplinam utpote undequaque rationi contrariam et laudi tribuit maxime iuri canonico istam proscripsisse; quia non satis innuit diversam indolem omnino specialem primigeniae *purgationis canonicae*. – Nihilominus, utpote *parum efficax*, purgatio canonica, qua probatio pure *iudicialis etiam* a foro ecclesiastico sensim recessit, exceptis causis matrimonialibus in quibus, uti dicemus, testes septimae manus sunt *coniuratores*, confirmantes iuramentum coniugis aliquid asserentis. Quaestiones de purgatione *canonica* et *vulgari* solide et erudite explicavit Hildenbrand - *Die purgatio canonica und vulgaris*. - De hisce copiose disserit Van-Espen, *l. cit.* et probat ritus superstitiosos in iudiciis *aquae ferventis* aut *frigidae*, non parum fuisse frequentatos in curiis eccles. et in horum confirmationem fuisse confictas etiam litteras Pontificales et solemnes ritus adinventos, veluti Missam cum appositis exorcismis; at duella iudicialia severius semper fuerunt proscripta, prouti a moribus abhorrentia christianorum. Sane prohibitio *Concil. Lat., cap. 9, Ne clerici X* (III, 50) ita concepta fuit: « Nec quisquam purgationi aquae ferventis vel frigidae seu ferri candentis, ritum cuiuslibet benedictionis, consecrationis impendat, *salvis nihilominus prohibitionibus de monomachiis sive duellis ante promulgatis* ». Illud adverti debet per inductum purgationis ritum cessasse morem *torturae* et hunc iterum inolevisse, abolita purgationis probatione.

Purgatio *vulgaris* iure germanico alteri scopo inserviebat et hinc dicta est *iudicium* (Cf. Van-Espen. *l. cit. n. 9*); quippe non intendebat consulere famae accusati sed legalem constituebat probationem ab ipso accusato exhibendam de sua innocentia. At eiusmodi *iudicium purgationis* sane reprehendendum est, quia onus probandi *accusato* magis quam *accusatori* imponit et inde funditus pervertit constitutionem iudiciorum. Sane necessitas *purgationis* persentita tunc est quia defectus probatae accusationis promotae *ex officio* seu a testibus, quasi pubblicis accusatoribus, (*Scabini*, cf. Hildenbrand, *l. c. p. 166 sq.*), ob imperfectam iudiciorum ordinationem, non erat iudici sufficiens argumentum de innocentia accusati et de accusatoris calumnia.

Revera etiam in curiis eccles. institutis testibus synodalibus, et deinceps procuratoribus fiscalibus (cf. Vol. I) qui accusationes instaurant *ex officio*, mos invaluit cogendi accusatum ut se purgaret ab omni suspicione criminis, quamvis non valuerit accusator invicte probare suam accusationem; quamobrem etiam purgatio canonica aliquantisper deflexit a suo instituto et effecta est species *probationis iudicialis*. Inde clericus qui iuramentum vel dicere nolebat vel non adinveniebat coniuratores, vehementer fiebat suspectus de crimine et aliquando ob adiuncta rerum, defectus *purgationis* canonicae ex parte clerici efficiebat ut clericus haberetur *pro confesso; c. c, 12, 13, De Sim. X* (V, 3); et *8, De cohab. cleric. X* (III, 2). Postquam Innocentius III *processum inquisitivum* reddidit ordinarium atque perfecit, *purgatio canonica* evasit probationis medium subsidiarium, donec antea in curiis saecularibus et postea in eccles. sensim desuevit; unde factus est locus systhemati probativo iuris Romani et *purgationi* suffecta est *tortura*. Van Espen. *l. c. n. 1.* - Hac de causa ipsum iuramentum purgatorium institutum iure can. ad protegendam sacerdotum bonam famam, in desuetudinem abiit, et ferme vix hodie intelligitur. - Giraldi, *Exposit. iur. pont. I*, § *894*. - At ista absoluta proscriptio non videtur

laudanda et, infra, huius propositionis explicabimus rationem practicam.

Quocirca ut dispiciatur quid constituerit ius eccles. hac de re, distinguatur iuramentum *a*) *purgatorium extraiudiciale* quod describit Gregorius M.; *b*) *purgatio canonica*, quae e iure germanico mutuatur compurgatores et *c*) *purgatio vulgaris* opposita *canonicae*, utpote illa comprehendit *duella iudicialia*, quae usque damnavit ius can. et solemnius et efficacius in *Concil. Lat. IV, cap. 9, Ne clerici vel monachi, X* (III, 50). - Itaque ius canonicum de civili quoque societate optime meritum est, quum correxerit barbariem purgationis *vulgaris*, et in *canonica* purgatione consuluerit sanctitati morum et bonae famae sacerdotum quin offenderit illud principium, *actore non probante reus absolvitur;* quia purgatio, iuxta conceptum classicum *iuramenti purgatorii extraiudicialis*, non pertinebat ad effugiendam condemnationem *iudicis* sed ad abstergendam maculam non bonae famae, occasione iudicii, contractae apud populum. - Hodie purgatio canonica e curiis exulavit, at vestigium superest in iuramento coniugum in causis de impotentia coeundi et de non secuta matrimonii consummatione, confirmato a testibus sept. manus, quasi a *coniuratoribus* seu *compurgatoribus*. Cf. folium Causae *Varsavien.* agitatae apud S. C. C. mense Iunio 1894.

113. Denique innuenda est quaedam forma processus criminalis, nempe *mixti* ex accusatione et inquisitione, cuius processus nulla habetur mentio in fontibus iuris can. et hactenus etiam apud canonistas ignota fuit, saltem quoad *formam extrinsecam et ordinationem processualem*, quamvis hodie, veluti occulto pede, nempe parum expressa in textu legum et in commentariis DD., haec procedendi ratio irrepserit in curias eccles. per Instructionem editam a Cong. EE. et RR. *die 11 Iunii 1880* (1).

(1) Quia vero non satis perspecta est haec nova qualitas processus *mixti* eiusque substantia, effectum est ut citata Instructio parum aut nihil expeditiorem reddiderit explicationem iudiciorum criminalium *ecclesiast.*

Haec species processus attente dispicienda est; sed modo adumbramus suprema lineamenta. - *Mixtus* dicitur processus criminalis coalescens ex *accusatione* et *inquisitione*, non quia nova resultet procedendi ratio, quae non sit neque accusatio, neque inquisitio; sed *mixtus* processus dicitur quippe constat *successive* tum ex *accusatione* tum ex *inquisitione;* quandoquidem, in successione actorum, praecedit *inquisitio*, succedit *accusatio.* - Inquisitio promovetur ad instantiam *promotoris* aut

Sed inquam, apud canonistas hunc processum *mixtum - ignotum saltem fuisse quoad formam extrinsecam et ordinationem processualem* - nam, quoad *substantiam*, contendit Carmignani, *Teoria delle leggi della sicurezza sociale, lib. 4, cap. 16*, eiusmodi processus primam originem repetendam esse a iure Romanorum. - Sane inquisitio instaurata a Praesidibus provinciarum, vel ab Irenarchis eo spectabat ut aliquis *accusaretur* de admisso crimine et convinceretur per probationes inquisitione collectas. Item inquisitio *specialissima* non alio spectat, nisi ad probandum *accusati* criminis auctorem. Nihilominus in hoc consistit forma *processus mixti* ut statuatur principium, non deveniri ad condemnationem aut absolutionem rei, nisi instauratus sit processus tum *inquisitivus* tum *accusatorius*, servatis nempe requisitis, quae ad unum et ad alterum spectant. Tunc eiusmodi processus certis regitur normis et singula acta facili ratione explicantur et ordinantur: quippe quae inserviunt vel *inquisitioni* vel *accusationi*. Iamvero apud canonistas et, brevitatis causa, recensemus tantum Pellegrini, *Praxis Vicariorum - Praxis criminalis*, et Bouix, *De iudiciis, P. II*, evolvitur tela processus criminalis, sed quia non significatur quaenam acta respondeant *inquisitioni*, quaenam *accusationi*, tractatus caret certis regulis seu principiis et processus construitur totus iuxta *praxim* seu per quamdam successionem *chronologicam*. Porro tum unus, tum alter canonista explicat accuratissime diversas procedendi formas seu per *inquisitionem*, per *accusationem*, et per *denunciationem;* sed dum texitur ordo iudiciarius, in suo complexu, non significatur, an eiusmodi acta tali ordini digesta uni vel alteri formae respondeant, ast omnia repetuntur: *a praxi*. — Quocirca hodie cum penes curias *praxis* iam evanuerit, nemo forsan est qui istos tractatus perlegere cupiat, percipere et executioni demandare valeat, quamvis ad materiam quod attinet, omnia pene contineant necessaria ordinationi hodierni *processus mixti*.

procuratoris fiscalis seu publici *accusatoris ex officio*, qui vel ex simplici notitia curiae vel ex publica fama aut rumore vel praevia denunciatione instat fieri inquisitionem ut detegatur crimen commissum in sua qualitate et quantitate, et a quonam patratum sit probetur. Porro inquisitio diducitur in *generalem*, in *specialem*, in *specialissimam*. - Processus iudicialis instituitur ex inquisitione *specialissima;* nam haec pertinet ad potestatem stricte *iudicialem*, quum intendat *accusationem* iudicialiter probare in praesumptum criminis auctorem; ceterae potius ad *iurisdictionem voluntariam* spectant (1).

Porro inquisitionis *specialissimae* seu *iudicialis* finis est, colligere ea probationum momenta, quibus innitatur *accusatio* instauranda adversus inquisitum per formalem processum iudicialem. Inde postquam iudex, qui inquisitionem instaurat, advigilante et instante promotore fiscali, collegerit probationes aut saltem gravia indicia, quae sufficienter demonstrant factum criminosum eiusque auctorem, promotor fiscalis *accusationem* concipit in quodam libello, ubi congeruntur probationes aut indicia quibus fundata accusatio procul dubio, non est *calumniosa* sed necessario provocat ad censuram publicae potestatis. Processus qui deinceps evolvitur est *accusatorius*, vi accusationis, quam tuetur et explicat promotor fiscalis, eadem ductus intentione ac ratione, qua accusator, iure romano, instaurabat iudicium afferens probationes quibus evincere contendebat prolatam *accusationem*. - In periodo *accusatoria* referendae sunt non tantum probationes collectae vi *inquisitionis*, sed sunt examinandae et veluti iterum

(1) De hisce speciebus inquisitionis redibit sermo, sed modo innuere sufficiat, inquisitionem *generalem* esse assiduam vigilantiam a Praesulibus adhibendam, quae satagit crimina prevenire. - *Specialis inquisitio* dirigitur in factum criminosum iam admissum ut eius adiuncta cognoscantur et via sternatur ad detegendum criminis auctorem. - *Specialissima*, intendit ut crimine *iudicialiter* convincatur qui uti criminis auctor *accusatur* a probationibus et indiciis sedulo collectis ex *speciali inquisitione*.

stabiliendae et expendendae, potissimum habita ratione exceptionum et adversarum probationum, quas *accusatus* in sui defensionem producit. - Haec sunt suprema lineamenta processus *mixti*, sed pene infinita est diversitas, quae vigere potest in ordinatione eiusmodi processus in variis codicibus, ob maiorem aut minorem partem vel auctoritatem attributam *accusationi* aut *inquisitioni* et ob diversum modum, quo probationes colligi debent in inquisitione et explicari in promota accusatione. Quid iubeant leges canonicae dicemus in *parte speciali*.

114. At modo comparare iuvat inter se diversas qualitates, quibus periodus *inquisitoria* distinguitur ab *accusatoria*. - In *inquisitione* servatur absolutum *secretum* circa indicia aut probationes non patefaciendas ipsi inquisito. Inde hic solet, pendente inquisitione, detineri in carcere aut alias segregari ne deturbet inquisitionis tramitem, quando nempe haec iudicia hodie instaurantur a laica potestate; nam in curiis ecclesiasticis obtinet dumtaxat inquisitio *secreta*, et caute curatur, ne inquisitus detorqueat aut impediat iudicis perscrutationes. - Probationes, argumenta ex inquisitione collecta, *scriptis* consignantur. - Verum haec non directe comparari solent ab ipso *promotore fiscali* neque a iudice qui sententiam feret *definitivam* (1), sed a *iudice instructore* qui tamen potissimum agit ad instantiam promotoris. Hac ratione, inquisitio est magis remota a suspicionibus, quibus forte fieret locus ob secretum processum. Nam cum alius sit qui probationes comparat, alius qui probationes collectas obiicit, utpote *accusator*, seu promotor fiscalis, et alius qui ex actis et probatis sententiam edit *condemnatoriam* aut *absolutoriam*, eiusmodi probationum argumenta maiorem sibi conciliant fidem apud honestos cives et magis reddunt

(1) Attamen salva iudicii substantia, ipse iudex, qui sententiam feret, agere posset partes *iudicis instructoris*, quas tamen explere non valet Promotor Fiscalis, quia non habet nec *mixtum imperium*. Cfr. Vol. I, n. 42 seq.

immunem a studio partium animum iudicis. Sed *accusatio* non inchoatur, nisi *inquisitio* satis manifestaverit criminis auctorem. Quamobrem iudex, postquam perpenderit probationes collectas a iudice instructore, decernit an ex *inquisitione* ea prodierint argumenta ut *accusatio* instauranda sit. - An et quomodo huic sententiae, quae editur ad instantiam promotoris fiscalis, praeire debeat defensio inquisiti, pendet a praescriptionibus iuris positivi (1). - Denique processus inquisitivus est eminenter *analiticus*, qui nempe interrumpitur ad breve vel ad longum tempus vel deseritur et iterum reassumitur pro qualitate adiunctorum, seu probationum et indiciorum. Agitur enim de detegenda facti veritate, quae erumpit ex adiunctis saepe occultis sedulo perquirendis, aliquando ex inopinato manifestatis, detectis aut accusati confessione proditis.

Ex adverso, processus *accusatorius* est necessario *syntheticus*, unoque contextu absolvi debet. Nam, instaurata *accusatione*, accusator nisi probet suam intentionem, accusatus dimittendus est absolutus, neque tempus conceditur accusatori ut interim, si fieri possit, sibi comparet probationes. - Nam si forte probationes reperiantur, quibus evinci possit accusatio, instauratur (nisi obstet res iudicata) *novus* processus; inquam *novus processus*, quia non consideratur adhuc durare processus, in quo accusator defecit in probando. - In hac periodo fit locus defensioni tum *scriptae* tum *orali* ex parte *accusati* eiusque defensoris seu advocati, cuius constitutio in genere est necessaria in hisce gravioribus causis: (cf. vol. I, n. 113). Ad processum vero *mixtum* quod spectat,

(1) Hodie magnis animis agitatur, etiam penes nos, quaestio an inquisitus protegi debeat in periodo *inquisitoria* a suo patrono qui limitet arbitrium *iudicis instructoris* et invigilet ne inquisitio facile comparet probationes fundamento destitutas. - In Gallia, certis sub cautelis, conceditur patronus inquisito; in Italia hodie non admittitur et tutela inquisiti commissa est promotori fiscali. Pro curiis eccles. supervacanea est haec quaestio, quia simplicior est forma procedendi et amplior iudicis auctoritas.

cessat *inquisitio* et incipit *accusatio*, dum panduntur inquisito omnia argumenta ex inquisitione collecta, quibus innixus iudex illum *accusat*, veluti *contestati criminis auctorem*.

115. Ex dictis patet quaenam sint iudicii criminalis proprietates; quocirca antequam ulterius procedamus explicantes diversas processuum rationes, praestat enunciare *necessarias conditiones* seu requisita, quae observari *necessario* debent in eiusmodi processu. - Equidem eiusmodi *conditiones* modo sufficit innuere, siquidem eaedem sunt quae in iudicio civili expostulantur. - Sane sive iudicii criminalis perpendatur finis *mediatus* nempe delictorum coercitio, sive finis *immediatus*, nempe crimen et criminis auctorem iudicialiter detegere et scelere convincere, sequitur, ex parte *personarum*, tres personas esse necessarias, nempe *accusatorem*, *reum* seu *accusatum*, et *iudicem*. Ex parte vero *actorum* haec necessaria sunt: 1) accusationis *contestatio;* 2) *probationes* edere quibus accusatio evincatur; 3) accusato *defensionis* copiam concedere; 4) *sententiam definitivam* proferre sive condemnatoriam sive absolutoriam. - De singulis hisce conditionibus illud infra dicemus quod spectat ad praesentem tractatum.

§ 1. *De criminalibus procedendi formis, initis per* VIAM EXCEPTIONIS *aut ex* NOTORIO.

Summarium. — 116. Canonistae communiter memorant *quinque* modos procedendi. — 117. In quo consistat processus *per viam exceptionis*. — 118. Revera haec procedendi ratio reducitur ad processum per accusationem. — 119. Quando procedatur *ex notorio*. — 120. At hi, quatenus sunt modi *iudiciales*, reducuntur vel ad accusationem vel ad inquisitionem. — 121. Quomodo proceditur contra criminis *auctorem repertum in flagrante*. — 122. Quinam processus *ex notorio* sit legitimus.

116. Canonistae innixi *c. c. 16, et 23, De accus. X.* (V, 1), *21, De simonia*, *X* (V, 3) *1, De except. X* (II, 25); *2*, § *1*,

De ord. cognit., *X* (II, 10) communi sententia ponunt quinque iure can. constitui modos procedendi criminales; nempe 1) per viam *accusationis;* 2) per viam *inquisitionis;* 3) per viam *denunciationis;* 4) per viam *exceptionis;* 5) per viam *notorii.* - Has duas postremas modo breviter explicabimus quod ad *notionem generalem;* nam de tribus prioribus iam disseruimus. - Antea agemus de iudicio inito per *viam exceptionis.*

117. Iamvero exceptio *proprie* est *exclusio actionis* seu intentionis actoris; ast in re criminali *latissime* assumitur et excipere est aliquod crimen obiicere alteri sibi adversanti; et potest dupliciter excipi vel *civiliter* vel *criminaliter.* Ita si crimen obiiciatur *actori* aut etiam *testi, iudici* aut cuique alteri in iudicio partem habenti, ut hi excludantur, respective, a sua actione vel a certo actu ponendo, tunc excipitur *civiliter* quia non petitur *poena* sed *exclusio adversarii.* - E contra in iudicio quo patronus sibi vindicat adversus Ecclesiam ius patronatus, si huius rector obiiciat patrono crimen spolii vel furti patrati in ipsas res beneficii, vi Concil. Trid. *Sess. 25, cap. 9, De ref.*, patronus excluditur ab ipso iure patronatus in poenam et hinc exceptio fit *criminaliter.* - Crimen ita obiectum dicitur in iudicium deduci per *viam exceptionis.*

Exceptio in *primo* casu, *proprie* sumeretur, quatenus nempe a reo in actorem moveatur ut hic excludatur ab *actione;* at solet exceptio fieri indiscriminatim in quoscumque adversarios et in hoc *altero* casu sumitur *improprie.*

Verum multiplici sensu assumitur eiusmodi exceptio *impropria* a canonistis seu tripliciter. *Primo* quatenus, uti diximus, opponitur etiam non actori, veluti iudici, ut a iudicio prosequendo arceatur, vel testi ut hic excludatur a testimonio ferendo, eo quod ei obiicitur crimen, unde evadit inhabilis ad testimonium ferendum. - *Secundo* dicitur excipi etiam crimen, et procedi per *exceptionem* quando *extra iudicium*, quis alicui, ut puta candidato ad beneficium, ad dignitatem, ad ss. ordines, crimen impingit

eo consilio ut hic excludatur a beneficio, dignitate etc., quippe indignus aut inhabilis, *arg. cit. cap. 16. h. t.* At exclusio non obtinetur nisi excipiens probet crimen impactum. Verum in uno et altero casu exceptio habetur *civiliter* opposita. De hac specie loquitur Innocentius III in *cap. 2, De ord. cognit.* X (II, 10) decernens: « *Sic in modum exceptionis aliquod crimen testi obiicitur ut a testimonio repellatur; etsi crimen* CONTRA EUM CIVILITER PROBATUM *fuerit, non ideo sibi poena infligitur ordinaria sed eius dumtaxat testimonio non creditur: quod ea ratione contingit quoniam in ipsum accusatio non procedit. Testes enim quorum testimonium reprobatur inter infames quasi ex falso testimonio non habentur* ». - *Tertio* appellatur *exceptio*, sane latissimo sensu, quae instar *accusationis* movetur a reo adversus actorem, nimirum pendente iudicio *civili*, ea intentione ut actor non solum excludatur ab instaurata actione sed etiam ut legitima mulctetur poena. Quare improprie haec rei intentio vocatur *exceptio* sed est *actio criminalis popularis*, ex qua reus fit accusator et actor accusatus. Id significare intendunt canonistae advertentes, hanc exceptionem opponi *criminaliter*. Sed hac ratione instituitur verum iudicium criminale quod tamen enascitur instar *quaestionis incidentis* (cf. Vol. I, n. 536) seu pendente iudicio principali civili. Cf. Schmalzg., *h. t., n. 241 seq.*

118. Itaque ratio procedendi etiam *criminaliter per exceptionem*, quoad substantiam, novam non constituit procedendi methodum. Etenim vel exceptio obiicitur *civiliter* et tunc quia intentio excipientis est excludere adversarium vel ab actione civili vel ab actu iudiciali, non in *poenam* sed in suum *privatum commodum*, processus est ordinarius mere *civilis*. Re sane vera, uti notant canonistae, quia exclusio obtinetur per reum qui excepit accusando et actorem excludit, postquam crimen probaverit, iudex non potest, vi probatae exceptionis, edere sententiam poenalem condemnationis in actorem; siquidem *fatuus est iudex*

qui iudicat ultra petita (Vol. I, n. 75 sq.); sed ipse *ex officio*, pro sua competentia, promovet vel accusationem vel inquisitionem, si necesse sit ampliores exquirere probationes et appositam fert sententiam. Videlicet novus instituendus est processus in quo accusatus sive ex probationibus iam allatis sive ex novis validioribus collectis convincatur de crimine. - Quare in isto casu exceptio *civiliter* instituta non est nisi occasio poenalis condemnationis et planum est.

Quando vero *exceptio* obiiciatur *criminaliter* seu ad repetendam poenae applicationem, tunc *incidenter*, seu pendente iudicio *civili*, instauratur *accusatio criminalis*, quae exceptionis non refert nisi externam formam, utpote quae movetur abs *reo* et ob necessitatem privatae *defensionis*, sed revera processus initur *accusatorius* vi *actionis popularis*. - Illud singulare est, arg. *cit. cap. 16 h. t.*, videlicet accusantem per modum *exceptionis* seu *defensionis* non cogi ad subeundam poenam calumniatorum seu *talionis* si in probando deficiat. Ratio est quia hic videtur accusasse quasi *necessitate* coactus suae defensionis. Verum idem *textus* statuit, non *talionis* poenam sed *extraordinariam poenam* ferendam esse in calumniatorem pro gravitate criminis.

Ex sententia *cit. capitis 16* recensentur *inter accusatores*, vi *exceptionis*, qui promotis vel promovendis crimina obiiciunt ut in obtento officio promotus non confirmetur vel ne altiora obtineat promovendus; et cavetur - « *Cum opponitur ut quis a promotione officii vel beneficii excludatur, si ante confirmationem obiicitur, non cogitur quisquam inscribere, quia crimen hoc modo probatum impedit promovendum, sed non deiicit iam promotum. Post confirmationem vero cum scilicet ordinandus fuerit aliquis aut etiam consecrandus (quia etiam ab obtinendo repellit et deiicit ab obtento) ad extraordinariam poenam secundum arbitrium discreti iudicis, citra vinculum inscriptionis, est excipiens distringendus si defecerit in probando* ». Nam in primo casu non infligitur propria poena;

in secundo casu habetur propria poena seu deiectio a iure quaesito. - Se inscribere autem, uti explicavimus, tenetur ordinario *accusator*, qui exinde se obligat ad poenam talionis veluti calumniator si deficiat in probando.

119. Processui *ex notorio* locus fit, quando res est de *facto criminoso, quod ab eius auctore nulla possit tergiversatione celari, non tantum qua est factum sed etiam qua est factum criminosum.* - Posita hac notione *notorii*, pronum est inferre qua ratione procedendum sit in delinquentem *notorium.* Nam quum criminosus sit poenis compescendus, vel sententia iudicis *condemnatoria* plectendus est si agatur de poenis *fer. sent.* - vel tantum *declaratoria*, si de poenis *lat. sent.* res sit. - At ordinario huic sententiae processus iudicialis praemittendus est, qui suapte natura inservit detegendo facto criminoso eiusque auctori. Verum posita *criminis* eiusque *auctoris notorietate* ad quid processus iudicialis sententiae praevius? - cf. Schmalz. *h. l. n. 7 seq.* - Revera *in factis notoriis* non requiri processum iudicialem iubent *c. c. 10, De fil. presbyt. X* (I. 17); *21 De iureiud. X* (II, 28) *7, 8, 10, De cohabit cleric. X* (III, 2.); *15 De purg. can. X* (V. 34); *1, § 4, De censib. in 6.* (III. 20). Ait divus Augustinus in *cap. 9, De accus. X* (V, 1). « *Evidentia patrati criminis non indiget clamore accusatoris* ». - Hic agitur de *notorietate facti*, non de *notorietate iuris*, quae habetur quum res iudicialiter vel nulla amplius indiget probatione, veluti post rei confessionem in iudicio factam neque revocatam, vel nullam amplius admittit probationem, ut ecce sententia, quae pertransiit *in rem iudicatam.* - Et inter unam et aliam notorietatem illud maxime interest, quod nempe *notorietas facti* nulla possit tergiversatione celari seu probatione impeti; dum e contra *notorietas iuris* aliquando valet impugnari, ut puta confessio etsi antea non revocata, aliquando utiliter ab ipso confitente impugnatur, nec non ipsa *res iudicata* impetitur et revocatur non semel, *querela nullitatis.* Cf. Pirhing, *tit. 39, lib. V, n. 114.*

120. Item *notorietas facti* non est confundenda cum ea specie notorietatis, quae habetur quum quis deprehenditur in ipso delicto patrando seu *in flagrante*. - Equidem factum fit proprie *notorium* si eius auctor istud patrare in loco publico, ab hominum multitudine conspiciatur; secus si duo vel tres homines reum deprehendant *in flagrante*, seu in ipso actu consummationis criminis. Tunc enim facti non habetur notorietas, sed habentur testes, ex certa cognitione, attestantes factum quod ab eius auctore nulla potest tergiversatione celari. Verum ut de *facto* constet iudicialiter, isti advocandi sunt testes in iudicio ad probandum crimen.

Singulare est ut si quis delinquat, utputa si mortem inferre aggrediatur suo adversario dum lis agitatur et iudice pro tribunali sedente, nempe sub oculis ipsius iudicis, sane nullus instaurandus est ordo iudicialis, sed universi adstantes fiunt testes de *facto*, quod ab eius auctore nulla potest tergiversatione celari, quocirca iudex sententiam edicet, nulla interposita mora seu dilatione. Sed haec ratio procedendi non est tantum *ex notorio*, sed iste expeditissimus processus repetitur potissimum *ex loco* ubi crimen patratur nempe ob oculos ipsius iudicis, et *ex necessitate* tutandi ordinem et disciplinam, prouti expostulant legitima exercitatio iudiciorum et iudicum auctoritas.

121. Ad rem supra citavimus plura *capita*, quae referunt ius Decretalium et hoc clarius exprimitur in *cit. cap. 21. De iureiur.* nempe, *in manifestis et notoriis.... non teneri servare* SUBTILITATEM *ordinis iudiciarii, quum in his non servari* PER OMNIA *ipsa iuris ratio postulat et requirit.* - Etenim recoli debet, iure Decretalium, ordinem iudiciarium, etiam in criminalibus, fuisse implicatum pluribus solemnitatibus, quae ad substantiam servari debebant, quaeque sane parum expeditam reddebant iustitiae administrationem; et hac de causa Clemens V in Const. *inter Clem.* - *Dispendiosam* - *De iudiciis* -, *et Saepe contigit* - *De verb. signif.* induxit *iudicia summaria.* - Haec forma procedendi

sapientissime ordinata, in rem nostram magis attendenda est, quippe quae maxime ea de causa inducta fuit, quia experientia compertum erat iudices, ad iudiciorum effugiendas dispendiosas solemnitates, nimis facile quasi notorium aestimare solitos fuisse quod iudiciali probatione indigebat; *arg. cit. cap. 14. De appell.* Dum, ex adverso, hodie *iudicium summarium*, absque dispendio, observari valet etiam in iis quae *notoria* videntur.

Attamen, ut plene explicetur ius Decretalium et status quaestionis, inquiri debet in quo consistat processus *ex notorio*, et an iste processus dicendus sit *iudicialis*. - Equidem DD. explicantes ius Decretalium, uti videre est apud Schmalz. *h. t. n. 8 sq.*, tradunt non requiri in notoriis accusationem aut denunciationem, non requiri citationem, libellum, litis contestationem, proindeque non expostulari, nisi rei citationem, praeviam sententiae condamnatoriae aut declaratoriae. Unde quaeritur an ista ratione dici possit servari ordinem iudiciarium. Iamvero ipse Schmalzg. *l. c. n. 14* asserit « *ratione criminis* NOTORII *iudex procedere adversus reum possit, ordine iudiciario non observato* ». Et huic sententiae assentimur, tum quia asserit eiusmodi processum non esse *iudicialem*, tum quia ponit eiusmodi processum a ratione naturali non esse alienum. Nam iudicium inservit ad detegendum crimen et criminis auctorem, quare iudicialis processus est pene supervacaneus, quando reus cui poena applicanda est, nullo potest argumento se excusare ab impacto crimine; quippe evidentia criminis adversus illum clamat. - Verum haec dicimus - de re *abstracte* perpensa, - quia praeter ea quae advertam de *hodierna praxi*, haec *evidentia* facti est pene hypothetica, et ipse Schmalzg. *l. c.*, monet iudicem, ut testes recipiat referentes de ipsa facti notorietate et reum citet, ne quasi *notorium* assumatur quod probatione indiget quodque exceptione valet refutari.

Post editam condemnationem, ex notorietate criminis, sequitur, non admitti appellationem, quae dicenda esset *frustratoria*.

Sed haec, quae traduntur de exceptionali processu *ex notorio*, hodie parum aut nihil attendi possunt quoad *praxim*. - In *primis* solemnitates ordinis iudicialis hodie non difficilia reddunt iudicia, siquidem proceditur ordine *summario* et *oeconomico;* aliqua vero cognitio *iudicialis* de facto vel *notorio* non est otiosa, quia a iudice non tantum pensari debet factum *materialiter*, sed etiam *moraliter*, seu habita ratione *moralis imputationis*. - *Secundo* hodie (1) haec ratio procedendi *ex notorio*, male audit quia iuristae, experientia duce, severissime exprobrant eiusmodi procedendi rationem. Sane, uti advertit *cap. 14 De appell. X* (II, 28), cum *multa dicantur notoria quae non sunt, providere debes ne quod dubium est, pro notorio videaris habere;* inde faciles irrepunt abusus (2). Quare iudex etiam quoad facta, quae *notoria* habentur, debet per testes eadem iudicialiter comprobare et aestimare, praevia citatione et criminis contestatione; quod esse

(1) Carrara, *op. cit.* § *883*, risu excepit processum *ex notorio*, advertens *notorium*, uti tale, non fieri *iudiciale argumentum* condemnationis nisi probetur in iudicio. At haec obiectio nos minime tangit; quippe advertimus, ex iure Decretalium, in *notoriis* deveniri ad sententiam condemnationis absque processu *iudiciali*. - Alii iuristae damnant hunc processum (sed immerito) veluti consentaneum ipsi doctrinae iudicis - *Lynch* - qui nefandas induxit populares capitales executiones in America.

(2) Quantum sit periculis plena ratio procedendi *ex notorio*, docet haec notio notorii tradita a Schmalzg., *l. c.*, *n. 14:* « Debet ipsum factum, quod in delictum cedit, esse notorium; tale erit, quando crimen patratum est coram decem aut saltem sex hominibus, qui illud certo et per sensum cognoverint; quia, ut ex hactenus dictis constat, ad notorium facti requiritur ut illud patratum sit coram populo aut maiore illius parte: ad populum autem constituendum requiruntur decem saltem homines ». Equidem an isti de populo *decem* aut *sex* sint testes fide digni, ut plurimum, probari debet in iudicio; secus innumeris fallaciis aperitur aditus. Quare factum ita *notorium* ut nulla indigeat probatione, ne iudiciali quidem, saltem quoad *gradum* imputationis moralis, patet esse factum perrarum et pene hypotheticum.

prudentis consilii propositum declaratur in Decretalibus, arg. *cap. 23, De elect. X* (I,6). Quocirca hodie hac ratione, etiam in *notoriis*, procedere debet iudex nempe ut expeditissime explicet negotium per iudicium *summarium*.

122. Ex dictis autem planum est inferre, revera *processum per exceptionem* reduci ad processum *accusatorium*; iudicium autem *ex notorio* prouti accipitur, quasi specialis ratio procedendi, esse processum *extraiudicialem* atque excludere formam *inquisitionis* aut *accusationis* in conspectu *facti notorii*, quod probatione non indiget, quippe *omnibus notum*. Et hoc constituit ius can. quin offenderet iura civilis societatis; quia universitas civium in *notoriis* non expostulat iudicii processum veluti *necessariam* tutelam iurium tum civis privati tum universae civitatis. - Concludimus proinde iudicialem procedendi formam esse aut *inquisitoriam* aut *accusatoriam* aut *mixtam*.

TITULUS II.

DE PERSONIS IN IUDICIO CRIMINALI ECCLESIASTICO PARTEM HABENTIBUS.

Summarium. — 123. Quaedam personae in iudicio sunt *necessariae*. — 124. Quaedam *accessoriae*. — 125. Quoad *accessorias*, quaerendum est an *procuratores* et *advocati* in re *criminali* admittendi sint.

123. Iam advertimus, intimam structuram iudicii criminalis eamdem esse ac eam iudicii civilis; proinde tres personae sunt in isto iudicio *necessariae*, nimirum *accusator*, seu *actor*, *reus* et *iudex*. At de his singulis aliquid specialius infra dicemus, ut significemus speciale officium harum personarum in iudicio criminali. - Sane *actor* in iudicio criminali appellatur *accusator*, qui in sua intentione, tantum distat a scopo cui inservit *actor*, quantum ius et bonum privatum differunt a persecutione poenarum, quem finem intendit *accusator* in iudicio criminali. - Exinde accusator est aut *privatus* civis accusans nomine Reipublicae aut *magistratus*, pro diversa constitutione iuris publici, prouti supra explicavimus. - Ad haec, quia iudicium poenale aliquando initur per *viam denunciationis* seu praevia *denunciatione*, ita recensendi sunt etiam *denunciatores*. - De *accusatoribus* et *denunciatoribus* agemus in sequenti capite.

124. Praeterea aliae personae sunt *accessoriae* seu quae operam dant vel *accusatori* vel *reo* vel *iudici* ut hi, respective, valeant plenius suum munus explicare. Iam in *prolegomenis* Vol. I enumeravimus quaenam sint istae personae, videlicet docuimus *advocatos* et *procuratores* adiuvare actorem et reum; *auditores*, *assessores*, *consiliarios* operam praebere *iudicibus;* demum *cancellarios*, *actuarios*, *notarios*, *apparitores*, tum actori et reo tum iudici suam operam dare.

125. Iamvero his quae tradidimus in *prolegomenis* Vol. I quoad has personas *accessorias*, aliquid addendum est, quippe harum officium quid singulare habet in iudicio criminali, quod explicatione indiget. - Equidem, in primis, pro natura negotii criminalis, dispiciendum est an locus sit *procuratoribus* in eiusmodi iudiciis. - Ratio dubitandi eruitur ex ipso obiecto iudicii criminalis, quod ordinatur ad poenas applicandas, in ipsam nempe personam rei; quippe *poenae suum auctorem tenere debent*. At si admittantur procuratores pro reis in iudicio, hi poenam facile effugient sibi fuga consulentes aut alia ratione. Item perpendi debet an necessario adhibenda sit opera *advocatorum* in defensionem reorum, ne scilicet indefensi damnentur, quod pugnat cum naturali iure. - Inde has quaestiones solvemus in sequenti capite.

CAPUT I.

DE ADVOCATIS ET PROCURATORIBUS.

Summarium. — 126. Utrum *reo pauperi - necessario -* constituendus sit advocatus et procurator. — 127. Quomodo hi constituantur. — 128. De advocatis et procuratoribus accusatoris. — 129. Aliae quaestiones pertinent ad methodum defensionis de quibus infra. — 130. An procuratores in re criminali admittendi sint. Explicatur ius positivum ecclesiasticum.

126. Advocatum constituere, ex iure communi, prouti docuimus *Vol. I, n. 113* est remissum partium arbitrio seu non est necessaria opera advocatorum sive in re civili sive in re criminali. Sane accusatus, si mavult, per se ipsum sui defensionem suscipere valet, et, si est idoneus, a iudice cogi non valet ut sibi comparet advocatum. Inquam - *si sit idoneus*; - nam si velit ipse suae causae patrocinari at hoc praestare non valeat, quippe non idoneus, quacumque ex causa, iudex, ne reo desit defensor, illi constituet advocatum. - Quod principium generale enunciatur in inscriptione *cap. 1, De off. iudicis X* (I, 32) ita concepta: « *Ad officium iudicis etiam delegati spectat providere advocatum parti, quae non potest habere* ». Namque spectat ad ipsum iudicis officium constituere advocatum parti, quae, sive ob inopiam sive ob simplicitatem, advocatum sibi comparare non valuit, scilicet ne indefensa condemnetur. - In re *civili* iudex minus sollicitus est de partium defensione, operâ advocatorum; quia tunc agitur de bono privato, de quo, in genere, litigant personae, ut plurimum si non iuris, saltem prudentiae non omnino expertes. - At in causis criminalibus, rei seu accusati, ut plurimum, sunt personae vulgares, pauperes, cuiusque iuris imperitae; quare, ne in re tanti momenti gravissimum damnum referant aut in bonis patrimonialibus aut in bonis personae,

damnandae non sunt, nisi suam defensionem expertae sint per idoneum et honestum advocatum.

Quod disseruimus de *advocato*, teneatur etiam de *procuratore*, qui personam substituit rei in explendis actibus processualibus. Verum una eademque persona utrumque munus obire valet (cf. Vol. I, n. 98 sq.), nempe advocati et procuratoris, et pro rerum adiunctis vel unum vel alterum tantum praestabit. - Sed, in primis, solet necessaria esse opera defensoris seu advocati.

127. Ad rem docet Pellegrini, *op. cit. Pract. crim., Sect. X*, § *87:* « Est autem notandum in materia defensionum quod iudex interrogare debet reum, num habeat advocatum et procuratorem, et si responderit negative, tenetur ipse *ex officio* de illis eum providere si sit pauper et miserabilis persona, quae alias se defendere non posset, ne quodammodo pereat indefensus; quod omnia iura abhorrent, imo defensionum reorum causam quam plurimum fovent ». Et cit. Instr. EE. et RR. *diei 11 Iunii 1880, art. 31* iubet: « *Qualenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio* ». Qui articulus intelligendus est, non prohibere reum a defensione, quam ipse sibi faciat, si huic muneri idoneus videatur, sed dumtaxat iubere iudicem ut deputet advocatum aut procuratorem *ex officio*, si reus neque idoneus est suae defensioni, neque advocatum aut procuratorem sibi constituat. - Cavetur enim in art. praecedenti 30: « *In die quo causa proponitur*, EST IN FACULTATE *accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore, antea per Ordinarium approbato* ».

Demum Episcopus, praeter suam approbationem, etiam iuramentum exigere valet ab advocato, si hoc expostulet gravitas causae. Iubet enim *art. 32* eiusdem Inst. « *Ipse quoque* (advocatus) *subiicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare* ». Hactenus de *reorum* advocato et procuratore.

128. In re poenali non agitur de *accusatorum* advocatis et procuratoribus, siquidem accusatores sunt *privati cives*. Horum enim munus est *publicum;* et quis ad accusandum non admittitur, nisi ipse tanto muneri idoneus esse pateat. Praeterea non conceditur *accusatori* sibi substituere procuratorem quia, in genere, accusator tenetur poenâ talionis si in probando deficiat: arg. *l. 13, § 1, ff. De publ. iud., et cap. 5, De procurat. X* (I, 38). Hodie vero, quum accusationem instauret promotor fiscalis, magistratus, hic si omnia per se explere non valeat, utitur opere advocati et procuratoris fiscalis qui ipsi, publica auctoritate, adsciscuntur.

129. Haec in *genere* de advocatis et procuratoribus; in *specie* aliquid advertatur. - Munus aut ius advocatorum, quatenus defensionem exercent reorum, modo plene explicare non valemus, quippe ista pertinent ad aliam tractationem, qua dicemus quanam ratione reo defensio concedenda sit, praecipue in adducendis et interrogandis testibus.

130. Constitutioni procuratorum in re poenali obstat ratio, nempe reos respondere debere de criminibus in suam personam. - Verum ipsa dubitandi ratio facilem suppeditat rationem expediendi hanc quaestionem. Namque obiecta difficultas tantum valet pro poenis, quae sunt corporis afflictivae; uti argumentatur Pellegrini, *Pract. criminalis* Part. IV, sect. VI, n. 13 aiens: « Et ratio est quia in criminalibus imponi debet reo poena pro mensura gravitatis delicti, quae cum, ut plurimum, sit corporis afflictiva, non est conveniens ut illam patiatur procurator, alias innocens.... Ubi vero pro crimine non veniret imponenda poena corporalis, sed pecuniaria, utique admitteretur procurator: est communis sententia DD. ». In quod propositum confirmamus conclusionem in quam devenimus Vol. I, n. 117, videlicet: « Iure can. hodierno nullius momenti videtur difficultas, quia in foro eccles. non dantur poenae capitis et carcerationis, quae exigant personalem executionem, sed aliae adhibentur in *bonis*

sive patrimonialibus sive personalibus condemnati, executionem obtinentes etiam adversus contumacem seu absentem, ut sunt poenae suspensionis, privationis beneficii, exilii et separationis quoad torum et cohabitationem in crimine adulterii, uti cavet Pontifex in *cap. 5, De procurat.* » Constitutionem procuratoris expresse permittit Inst. S. Cong. EE. et Reg. in supra *relato art. 30.*

Quocirca iudex prohibere non debet in hisce causis procuratoris constitutionem, nisi aliquod timeat *collusionis* seu alterius *fraudis* periculum aut non levem ordinis iudicialis perversionem. Propterea ista conclusio rite intelligi debet, ita scilicet ut per procuratoris constitutionem iuribus et officio iudicis non fiat praeiudicium; prouti statuit Inn. III in *cap. 14, De iud. X* (II, 1) nempe: « *Statuimus praeterea ut principales personae non per advocatos sed per seipsas factum proponant: nisi forte sint adeo indiscretae ut eorum defectus de iudicis licentia per alias suppleatur* ». - Uti patet ex contextu, ibi *advocatos* Pontifex assumit indiscriminatim pro procuratoribus et advocatis. - Ceterum, non tantum in *criminalibus* sed etiam in *civilibus*, iudici integrum est vocare partes ut ipsae coram, per se, satisfaciant interrogationibus, remoto advocato et procuratore. - Attamen, uti cavet Bonif. VIII *cap. 2, De iud. in 6* (II, 1) si agatur de mulieribus maxime sanctimonialibus, vel de viris principali dignitate praestantibus, iudex per se aut per delegatum, istorum domum accedat responsiones accepturus ex ipso ore eiusmodi personarum, una vel alia ratione, impeditarum, quominus in tribunali respondeant. Siquidem, uti probavimus Vol. I, n. 68 et ut dictat ipsa naturalis ratio, genuina factorum notitia non addiscitur ut plurimum nisi ex orali relatione eorum, quorum interest, sive *actorum* sive *reorum.*

Huc spectat decretum Pontificis; qui, exceptionis ad instar, prudentissime admittit, aliquando per procuratorem ipsa facta

explicari posse vi mandati *specialis*, in primis quando actor aut reus est persona adeo rudis aut timida ut iudicis interrogationibus satisfacere non valeat. Cf. Schmalz. *cit. tit. n. 48*, ubi late explicatur haec iudicis facultas et enumerantur plures casus exceptionis; sed revera ius positivum cit. *capite*, relinquit arbitrio iudicis hos casus aestimare. Diserte hoc praecipit *cap. 1 De iud. in 6.*

Caput II.

DE ACCUSATORE ET DENUNCIATORE.

Summarium. — 131. De *accusatoris* munere iure eccles., prouti distinguitur a *denunciatore*. — 132. De promovente denunciationem aut querelam. — 133. Quinam *accusatores* esse valeant. — 134. Quid expostulet accusatoris *munus*. — 135. Quid importet munus *denunciatoris* et quinam denunciatores esse valeant. — 136. De obligatione denunciandi ex iure positivo.

131. Iam explicavimus, per suprema lineamenta, et ad normam iuris romani, formam processus *accusatorii*, in quo partes actoris agit *accusator*, videlicet privatus civis, vi actionis popularis criminalis, intendens non minus privatam, quam publicam vindicare iniuriam. Ius canonicum premens vestigia legum romanarum, libenter excepit in suum forum eiusmodi procedendi rationem; quamobrem, prouti vetera et illustria documenta referunt (cf. *can. 7, caus. 2, q. 1*, Greg. M.), in causis etiam gravioribus, christianis hominibus, ceterum probis et de re instructis, integrum fuit publicam movere iudicialem accusationem, ut reus accusatus, iudicialiter convictus, debitam lueret poenam. Quare ille est accusator « *qui, vi actionis criminalis, iure publico sibi competentis, aliquem ad publicam vindictam in ius rapit, quem reum esse criminis affirmat, assumpto onere probandi suam accusationem* ».

Et hic agimus de accusatore, vi *actionis criminalis popularis;* nam de criminibus agi potest etiam *civiliter* et tunc accusator persequitur reum criminis non ad *publicam vindictam* sed in *privatum interesse.*

Praeterea *accusator* distinguitur a *denuntiatore* et non uno ex capite; quia denunciator, quando etiam intendit obtinere *publicam criminis* vindictam seu censuram, instituens denun-

ciationem *iudicialem*, (cf. supra *n. 110*) tamen ipse non ingreditur iudicium criminale quasi *actor;* quandoquidem per suam denunciationem excitat, sollicitat ministerium iudicis seu procuratoris fiscalis, atque suppeditat probationum momenta, sed a iudicio instaurando et prosequendo ipse se abstinet, seu non assumit onus probandi. Proinde inter accusationem et denunciationem ea interest *necessaria* differentia, quippe accusatio est actus *iudicialis*, denunciatio *extraiudicialis*. Denunciatio proinde definiri potest: *Alicuius criminis manifestatio Superiori facta, ad publicam criminis censuram aut vindictam, non assumpto probandi onere.*

132. Hanc denunciationis speciem canonistae vocant *iudicialem*, nempe ex suo scopo, quippe haec tendit ad promovendum iudicium inquisitionis, *ex officio* a iudice instaurandum. Ista denunciatio non est confundenda cum *evangelica*, de qua loquuntur Decretales, quam necessario praecedere debet *monitio charitativa* ad normam textus Matthaei (cf. supra *n. 110*) sed dicenda est vel *querela*, vel *delatio* criminis pro notitia curiae eccles. ut haec procedat *iudicialiter* ad applicationem mediorum poenalium.

Quaestio *practica* est, an denunciatio *iudicialis* fieri possit absque *actione iudiciali*. Et distingui debet simplex denunciatio seu *delatio* criminis a *querela*. - Delatio fieri potest quin ulla adsit actio; ita laicus denunciari valet de quocumque crimine apud iudicem eccles. etiam ea intentione ut iudex eccles. vel ipse agat vel rem deferat ad iudicem laicalem. Eo magis potest fieri eiusmodi denunciatio, quando deest, ex praecepto iuris positivi, actio; ita iure rom. servus non poterat accusare dominum, sed poterat denunciare. - Cf. Pellegrini, *Prax. crim.*, *Sect. 1, n. 12.* - *Querela*, prouti distinguitur a *denunciatione*, e contra fieri debet ab eo, qui habet actionem, seu ius sibi recognitum iure positivo conveniendi alterum coram iudice ut sibi de damno et toti societati respondeat de crimine. - Unde

querela facta apud iudicem incompetentem est inefficax; item querelam ille urgere non potest, qui non habet ius agendi aut saltem promovendi iudicium per Fiscum, *publicum accusatorem*. - Quocirca querelans est persona extraiudicialis, prouti ipsa querela est actus extraiudicialis sed indiget fundamento vel actionis vel saltem iuris promovendi instantiam iudicialem. Hac de causa statuit *Codex Gregorianus poenalis, art. 156 - querelam posse promoveri in formam accusationis*, et inde - *art. 158* - querelantem fieri *adhaerentem fisco*. - Hic adhaerens per se, est persona *extraiudicialis*, sed influit in ipsum Fiscum accusatorem, vi actionis, quam ipse habet et per alium seu per Fiscum, exercet. - Hoc pacto *denunciatio iudicialis* distinguitur ab *accusatione*.

133. Hisce positis, evidentius est munus accusatoris. Etenim accusator ille est, qui iudicium instaurat, vi *actionis popularis criminalis*. Quocirca quia haec *cuivis de populo* pertinet, arg. *tit. 23 ff. De popularibus action.* omnes accusare possunt qui expresse non prohibeantur; arg. *l. 8 ff. De accus.*

Iamvero *absolute* accusare prohibentur, *impuberes, mulieres, clerici, mente capti* et alii naturâ inhabiles. Item *monachi*, qui irregulares fiunt si in iudicio sanguinis partem habeant; minime vero si *civiliter* de crimine agant, quod iudicium his non prohibetur instaurare, prouti exposuimus Vol. III, n. 318. - Praeterea ab accusando repelluntur magistratus et milites, ne a suo munere abstrahantur; *criminosi* et in genere *infames* et alii omnes qui de calumnia sunt merito suspecti, veluti haeretici, iudaei in causis catholicorum, item pauperiores et viliores personae. Cf. Schmalz. *h. t.* n. 42 seq.

Sed istae inhabilitates sunt *demonstratitive* non *taxative* enunciatae, non secus ac explicavimus agentes de *testibus* Vol. I, n. 469 seq.: quamobrem hi omnes, quos recensuimus, nisi sint naturâ inhabiles, veluti infantes, ceteri, *iure positivo*, non adeo sunt inidonei ut aliquo in casu admitti non possint. Quare si age-

retur de persequendo adulterio, admittitur etiam mulier vel filius impubes ad accusandum.

Relative prohibentur ab accusatione ineunda, filii in parentes, fratres in fratres, et familiares adversus eos, cuius familiaritate usi sunt arg. *l. 20*, Cod. *Qui accus. non possunt* (1); item laici adversus clericos, arg. *cap. 10, h. t. X*, quia isti praesumuntur accusare ex odio, quod sacerdotes sibi parere solent ob censuram ministerii sacerdotalis. Sed haec est simplex praesumptio et pluribus in casibus discretus iudex admittere potest laicos sive *accusatores* sive *denunciatores* iudiciales adversus clericos.

(1) At excipiuntur Episcoporum aliorumque Praelatorum familiares. Hi enim admittuntur ad accusandum Praelatos, quorum fuerunt familiares arg. *cap. 5 h. t. X*; (*ibi*): « *Nulli Episcoporum ab accusatione sua repellere liceat quos, antequam se ab eis impetendum cognosceret, a sua communi familiaritate neglexerit separare* ». Videlicet in Praelatorum mores censuram exercent etiam familiares, quia Episcopi in familiares adhibere debent personas probas; et tales praesumuntur quousque ipse Episcopus eos non repulerit. Si enim repellat tantum occasione accusationis, Episcopus est suspectus. - Verum uti advertit Schmalzgr. *h. t. n. 54* istos repellere valet *iudex* ordinarius, seu alius iudex, apud quem accusatio movetur. - Item adnotatione est dignum *cap. 11, h. t. X*, ubi decernitur: « *Monachi* (nisi alia rationabilis causa impediat) eo quod de obedientia et subiectione Abbatis esse noscuntur, ab *eius accusatione sunt nullatenus repellendi, licet alios accusare non possint.* Quibus (siquidem cum proprium non habeant) de rebus monasterii expensae debent necessariae, donec causa debitum finem accipiet, ministrari ». Certe Monachi abstinere deberent ab accusatione, si ageretur de iudicio sanguinis, sed in aliis accusationibus integrum est monachis tueri bona patrimonialia et disciplinam regularem adversus ipsos Praelatos. - In *cit. Cod. Greg. poenali, art. 144* iubetur: « *Non admittuntur denunciationes in cognatos comprehensos in gradibus expressis art. 146* ». Isto articulo continentur cognati vel in linea ascendentali et descendentali, vel in linea transversali in 1° gradu. Sed de *familiaribus* nihil cavetur in hoc codice; quia inhabilitates et exclusiones ibi statutae sunt *taxativae*; iure rom. prohibitiones erant *relativae* et *demonstrativae*, seu arbitrio iudicis remissae. Cf. vol. I, n. 473.

Nihilominus crimina adsunt graviora, veluti haeresis, simonia, quae accusare valent hi qui *ordinario* sive *absolute* sive *relative* prohibentur, ut tantum discrimen a societate catholica faciliore ratione arceatur.

Verum hodie, quum accusationis forma non adhiberi soleat in foro eccles., hae regulae parvam habent practicam utilitatem et has ulterius explicare non vacat, prouti notat Schmalzgr. *h. l. n. 37 seq.* abunde citans *fontes* eiusmodi praescriptionum, et docet Bouix *De iud.* vol. II, p. 11. - Attamen expresse forma processus *accusatorii* nunquam abolita fuit, quamquam hodie magis in usu sit *querela* vel *denunciatio iudicialis:* sed denunciare *iudicialiter* prohibentur, in genere, qui ab *accusando* repelluntur. Verum haec regula nullo iuris textu diserte significatur, ast continetur ipso naturali iure, uti infra explicabimus. - Interim istud advertatur magno in pretio habenda esse criteria eiusmodi prohibitionum veluti prudentiae et aequitatis normas, uti patet ex capitibus, quae commentati sumus in *not. 1, pag. 188.*

134. Porro has regulas *inhabilitatis* quae magis *demonstrative* quam *taxative* enunciantur, iudex pro singulo casu, quo aliquis se offerat accusatorem, probare debet an qui accusat ad accusandum sit habilis, et accusator non censetur legitime accusationem instaurare quousque a iudice probatus non sit; quod iam caverat ius romanum. Nam ab eo qui accusare intendebat, facienda erat *postulatio;* cui si annueret iudex, postea fiebat formalis *nominis* vel *criminis delatio*, id est *accusatio*, arg. *l. 12, ff. De accus.* - Accusator legitime admissus libellum exarare debet *scriptis*, quo contineatur et criminis et criminosi sufficiens notitia. - Inquam *scriptis*, quia arg. *can. 1, q. 8, c. 2:* « *Accusatorum personae nunquam recipiantur sine scripto* » ad normam legis *3 ff. De accus.* - At scriptura confici valet *opera notarii vel actuarii publici*, uti notat Reiffenst. *h. l. n. 6.* - Solemnitas vero scripturae non exigitur in

causis levioribus quibus agitur *de plano;* siquidem « *leviora crimina audire et discutere de* PLANO *proconsulem oportere* » statuit *l. 6, ff. h. t.*

Libello apponenda est accusatoris *subscriptio*, cuius gravissimus est effectus; quandoquidem accusator, vi huius *subscriptionis* seu *inscriptionis*, nempe ipsius libelli, arg. *l. 3, ff. h. t.* spondet, se in iudicio probaturum esse crimen ad congruae poenae applicationem in accusatum, sub poena *talionis* seu *reciproci*, nempe sub conditione non dissimilis subeundae poenae ab accusatore, si hic in probando deficiat: arg. *ll. 3*, § *2*, et *7*, § *1, ff. h. t.* Quam legem *talionis*, seu *reciproci* in propositum, excepit ius canonicum; arg. *c. c. 5, De procurat. X* (I, 38) et *14, 16, 24 h. t. X* (V. I), sed morali modo, non materialiter haec poena *talionis* executioni data fuit foro eccles. uti late probat Bouix *l. cit. p. 20 seq.* - Verum haec persequi non praestat quippe ad historiam pertinent.

Ceterum ad arcendos calumniatores, concessa *actione populari criminali*, severius agendum erat in eos, qui de crimine alterum civem postulant quod probare non valent. - Huc spectat titulus *De calumniatoribus* subsequens in Decret. Greg. IX titulo *De accusationibus.*

Nihilo secius accusator in probando deficiens habetur uti calumniator et poenae est obnoxius ex *praesumptione* iuris, quae cedit veritati, arg. *cap. 2 h. t.* - Quare si accusator probare valeat invicte, se accusasse bona fide, et non ex culpa, iudex eiusmodi accusatorem ab omni poena immunem declarare debet et etiam ab expensis reficiendis in accusatum, uti probat Schmalzgr. *tit. De calumn.* n. 10.

135. Progressu temporis factum est, ut cives effugientes gravissimum munus *accusatoris*, tum suae conscientiae tum privatae ac publicae utilitati consuluerint *denunciantes* crimina et *criminosos*. Quae mutatio inducta est magis ex receptis *moribus* quam *lege;* cf. Bouix *l. c. p. 40.* - *Denunciatio* vero

viam aperit processui instituendo *ex officio* seu *inquisitioni;* uti conveniunt omnes Canonistae et probat Reiffenstuel, *h. t. n. 125;* et eruitur *in iure rom.* ex Novella *17, cap. 13.* - In *iure eccles. denunciatio* habet fundamentum et scopum omnino sibi proprium. Etenim *fundamentum*, uti iam advertimus, est in Evangelio Matt. XVIII, 15 sq.; *scopus* vero in primis est correctio; quia uti expresse iubet Innocentius III in *cap. 24, De accus. X, denunciationem charitativa monitio praevenire debet.* - Denunciatio autem, quamvis *iudicialis*, non constituit normam procedendi iudicialem ab aliis distinctam, uti docuimus. Sane *capita 20, et 2 h. t. X* (V, 1) nullam inducere valuerunt distinctionem inter processum *accusationis* et processum *denunciationis*, et DD. quaerunt an ibi de *accusatione* vel potius de *denunciatione* agatur.

Ceterum una tantum assignatur distinctio a DD. et haec est substantialis; nimirum *accusator* assumit onus probandi *iudicialiter accusationem; denunciator* non assumit onus probandi *iudicialiter denunciationem.* Siquidem, uti iam innuimus, accusatio est actus *iudicialis*, denunciatio *extraiudicialis.* Dumtaxat ex *scopo immediato* cui dirigitur denunciatio, passim apud DD. appellatur *iudicialis*, utpote quae ordinatur ad provocandum iudicium vel simpliciter *inquisitorium* vel *mixtum.* - Nihilominus, iure Decretalium, factum est ut processus *ex denunciatione iudiciali*, aliquam obtineret formam *iudicialem;* at huc maxime adlaborarunt Commentatores, sed non conformi sententia neque exitu felici, uti iam advertimus supra n. 110.

Quamobrem si quaeratur quinam possint esse *denunciatores*, ex iure positivo certa responsio dari non potest eiusmodi quaestioni; quandoquidem deest expressus iuris textus. - Reiffenst. *tit. 1, lib. V* hanc ponit regulam: « *Inhabilis ad accusandum est etiam inhabilis ad faciendam denunciationem publicam seu criminalem ad publicam nempe vindictam* ». Et quia, uti diximus, non adest legis textus expressus, regulam enunciatam hoc fundat argumento: « *Quia haec denunciatio*

habet eumdem finem et principalem effectum cum accusatione publica, nempe vindictam ob bonum communitatis in exemplum aliorum agitque VICES ACCUSATORIS. *Hinc valet argumentum ab accusatione ad denunciationem et vice versa* ». Revera huic regulae adhaeremus, quatenus verum est *denunciatorem agere vices accusatoris*, quando nempe iudex assumit argumenta *extraiudicialiter* a denunciatore deducta eaque habet adeo probata et gravia ut, suapte vi, inducant moralem persuasionem de criminis patrati qualitate et de eius auctore. Tunc iudex ita instructus a denunciatore, *vices accusatoris* agente, procedit ex *officio nobili* ad conveniendum in iudicium reum et hunc de crimine convincit, ob probationes collectas ex ore denunciatoris. Hac ratione iudex dicitur procedere ex *inquisitione;* quum enim permaneat denunciator extra processum iudicialem, iudex ipse ex *suo officio* audit denunciatorem, ab eo *exquirit* criminis probationes sufficientes et ex hisce instruit actum *accusationis;* quam si refutare non valeat reus, ex eisdem denunciationis argumentis, iudex sibi comparat moralem persuasionem, atque sententiam edit condemnationis in reum. Cui tamen, (et hoc sedulo adverti debet), ne omnis auferatur copia defensionis, ante sententiam condemnationis solent manifestari graviora probationum momenta, collecta ex inquisitione, reticito tamen, ut plurimum, nomine denunciatoris. Nam in processu pure *inquisitivo* solet secreto celari fons, saltem praecipuus, ex quo haustae sunt probationes.

Proinde regula, quam tradit Reiffenstuel, quamque communi sententia probant Canonistae, est vera, si assumatur eo sensu quo denunciator agit (quamvis *extraiudicialiter*) *vices accusatoris*, suppeditans iudici procedenti *ex inquisitione*, argumenta probationum.

Verum quia denunciator est persona *extraiudicialis*, inserviens *inquisitioni* iudicis, casus est perrarus quo quis iudicem adeat denuncians delictum et delinquentem adeo probationibus

instructus ut iudici utrumque persuadere valeat, absque alio probationum subsidio a iudice *ex officio* inquirendo. Quocirca in praxi rem ita se habere testatus est Reiffenst. *l. c.* « *Notat tamen Ludovicus Ameno* (*Praxis crim. tit. 9, § 3, n. 15*) *ex communi tribunalium praxi ac recepta consuetudine, hodie quemvis, licet alias inhabilem, admitti ad denunciationem iudicialem etiam publicam seu criminalem, eo quod per denunciationem solum sternatur via ad inquirendum* ». Ad haec, advertatur denunciationem apud canonistas antiquos *practicos*, uti Pellegrini, consideratam fuisse prouti haec sternit viam *inquisitioni*, quae remanet secreta ipsi inquisito, quousque curia de crimine et criminoso talem notitiam non acquisierit, ut dare valeat libellum *citationis*. Notitiae curiae praeter eiusmodi denunciatores inserviunt - *testes pro curiae informatione audiendi* - de quibus disserit Pellegrini, *Prax. crim., Sect. 4*. Et in cit. Inst. EE. et RR. *art. 11* statuitur: « *Processus instruitur* EX OFFICIO, *aut in sequelam supplicis libelli et querelae aut notitiae alio modo a curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur* ».

136. Naturali iure nulla urget obligatio *accusandi*, videlicet instituendi *accusatorium iudicium;* et planum est. - Ast naturali iure sunt obligati ad *denuncianda* crimina *iudici* seu *iudicialiter* ii, qui sine gravi incommodo, per denunciationem, valent a communitate vel a proximo suo avertere grave damnum. Cf. Bouix. *l. c., p. 51, seq.* - Sed de hac morali obligatione, non secus ac de obligatione denunciationis evangelicae et appositae monitionis charitativae viderint Theologi; ad nos spectat obligatio *iure positivo* inducta quoad denunciationem *canonicam*, seu lege *canonica* constitutam; (cf. supra *n.* 111). Verum istam innuere dumtaxat sufficiat pro nostro instituto.

Porro inest obbligatio denunciandi impedimenta sive ad s. ordines, arg. *cap. unic., X, De scrut.* (I, 12), sive ad matrimonium, arg. *cap. 3, De cland. desp. X* (IV, 3); item graviores

inhabilitates arcentes ab ecclesiasticis officiis aut dignitatibus. Confessarii sollicitantes ad turpia, denunciari debent vi Const. *Sacramentum Poenit.* Bened. XIV; item confessarii exigentes a poenitentibus revelationem nominis complicis, ex Const. *Apost. muneris.* Bened. XIV; et coryphaei sectae massonicae etc. cf. supra *n.* 49.

Quotiescumque *canonice* denuntiandum est aliquod crimen et hoc iam est patratum, idemque poenis compescere praestat, denunciatio *canonica* fit *iudicialiter*, seu in finem provocandi iudicium criminale. Aliquando enim denunciatio *canonica* non est efficax, nisi sit etiam *iudicialis.*

§ 1. *De promotore seu procuratore fiscali.*

Summarium. — 137. Necessario supplenda est opera accusatoris in processu pure inquisitivo, secus non habentur tres personae quocumque in iudicio necessariae, *iudex accusator, reus.* — 138. Quia haec distinctio potest esse tantum *moralis*, munus accusatoris, ex praescripto legis, supplet publica notoria infamia. — 139. De necessitate constituendi personam actoris seu *accusatoris* in processu inquisitivo. - De huius historia (*remissive*). — 140. In iure can. non habet *monopolium accusationis.* — 141. An munus inquirendi pertineat *iudici* aut *promotori fiscali.* - Ad rem distinguuntur variae species inquisitionis. — 142. De ratione et origine tum substitutorum seu adiutorum fisci, tum iudicis instructoris seu *commissarii.* — 143. An et quomodo determinari possit munus *promotoris fiscalis* ex iure positivo. — 144. De accusatoribus *adhaerentibus fisco.*

137. Differentia substantialis denunciatorem inter et accusatorem consistit in utriusque relatione ad *iudicium*, quia accusator fit actor in iudicio, dum promovens *denunciationem*, vel *iudicialem*, remanet persona *extraiudicialis;* eiusque denunciatio eatenus est *iudicialis*, quatenus excitat iudicem ad processum instaurandum, ut reus, de crimine convictus, per argumenta potissimum a denunciatore allata, poenam luat.

Verum haec ratio procedendi per *denunciationem* substantiali videtur laborare defectu; siquidem deest persona *actoris* seu *accusatoris*. Qui defectus adeo fit gravior, quando argumenta a denunciatore suppeditata cum sint imparia pronunciationi *sententiae iudicialis condemnatoriae*, iudex per suam inquisitionem, supplere debet deficientes probationes, subtilius rem examinans, ut detegat an revera crimen a *denunciato* auctore patratum sit. Itaque quando iudex procedit *ex officio* sive praevia *denunciatione*, sive tantum ope *inquisitionis*, quaeritur, quinam in eiusmodi iudicio partes expleat *actoris* seu *accusatoris*.

Revera *iudicem* distinctum esse oportere ab *actore* iubent ipsi Sancti Patres, statuentes aliquem non posse *iudicialiter* seu in foro externo damnari nisi instante *accusatore*. - S. Augustinus in *can. 18, caus. 2, q. 1,* ait: « *Quis enim sibi utrumque audeat assumere ut cuiquam ipse sit accusator et iudex?* et in *can. 1, caus. 4, q. 1,* attributo Fabiano Papae, statuitur: *Nullus unquam praesumat accusator simul esse et iudex et testis* ». Hanc eamdem regulam sibi obiicit Innocentius III, instaurator *processus inquisitivi*, in cap. 24, *h. t.* et rem ita expedit « *non tamquam idem sit accusator et iudex, sed quasi denunciante fama vel deferente clamore, officii sui* (iudex) *debitum exequatur* ». - Quamobrem, ait Pontifex, iudex non ipse accusat sed excipit clamorem famae, quasi vocem accusatoris, sive fama ad eius aures pervenerit per suum clamorem, sive per vocem denunciatoris. Inde *ex officio* iudex explicat in iudicio argumenta, quibus fama alitur et fovetur; et quando reus ita diffamatus non valeat probare suam innocentiam, veluti crimine convictus, condemnatur.

138. Proinde quum desit *clamor denunciantis*, notoria *infamia* partes explet *accusatoris*, eademque requiritur expresse a *iure positivo*, arg. *cit. cap. 24*, uti elementum necessarium iudicii *inquisitivi*. - Huius autem responsionis redditae a Pontifice Inn. III valor, duplici sub aspectu considerari potest, nempe

relate 1) ad ius *naturale;* 2) ad ius *positivum ecclesiasticum.* Perpendi enim debet an exinde rite satisfactum sit regulae, quae expostulat tres personas, *iudicis* nempe, *actoris* seu *accusatoris* et *rei*, in iudicio habendas esse distinctas pro suo distincto munere. Cfr. vol. I, n. 50.

1) Ius *naturale* quod spectat, salva manet substantia ordinis iudicialis, quia in persona iudicis revera distinguendae sunt duae personae, altera iudicis, altera accusatoris; quippe in una persona physica haberi possunt distinctae duae personae iuridicae seu morales, uti considerat De Luca *De iud. Disc. I, n. 27 seq.* Quare in processu pure *inquisitivo*, qui exerceatur adversus nonnulla graviora crimina, utputa haeresim, non instante infamia, aut publico denunciatore, revera *iudex* fit etiam *accusator*, et distinctio habetur tantummodo *moralis* inter unam et aliam personam.

Nihilominus ordo iudiciorum, quo melius respondeat suae functioni, expostulat personas iudicis et actoris distinctas esse non tantum *morali* modo sed *physice;* quod probavimus Vol. I, n. 51. - Sane ipse Pontifex, recognoscens in iudicio inquisitivo fieri exceptionem regulae ordinariae, advertit, ipsum iudicem quasi fieri ministrum *publicae famae*, quae aliquem uti reum accuset, proindeque ipsam famam munere fungi *accusatoris*. Ratio enim ob quam nemo audeat assumere, (tradit Augustinus) *ut cuiquam ipse sit accusator et iudex*, est quia humana imbecillitas nos docet, *neminem iudicem esse debere in causa propria*. Causa autem iudicis *propria* illa dicenda est in qua ipse iudex est accusator. Sed quum fertur sententia in accusatum per *clamorem* famae, vel per argumenta deducta a *denunciatore*, iudex revera non ipse est accusator, sed iudicialiter expendit probationes *extraiudicialiter* allatas, ut inferat an accusatus a publica fama vel voce denunciatoris, revera sit criminis auctor: quare *processus* pure *inquisitivus*, ut supra, *habetur instar exceptionis*. — Hac de ratione in crimine *notorio* non exquirebatur

accusator, quia ipsa *notorietas* seu *fama* vices supplet accusatoris; neque adversus *reum confessum* exquirebatur accusatio; uti advertit Augustinus in cit. *can. 18, caus. 2, quaest. 1.* « *Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum* ».

2) *Ius* vero *positivum* commendavit hanc rationem procedendi uti *necessariam* ne, deficientibus accusatoribus, crimina evaderent impunita, atque certam regulam constituit, nempe « *inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui praecesserunt* » ex *cap. 21, § 1 h. t.*; et « *si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit (non quidem a malevolis et maledicis sed a providis et honestis), nec semel sed saepe, quod* CLAMOR *innuit* et *diffamatio manifestat, debet* (iudex) *coram Ecclesiae senioribus veritatem diligentius perscrutari; ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis; non tamquam idem sit accusator et iudex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore officii sui debitum exequatur* » ex *cap. 24, h. t. X.*

Etenim forma *positiva* huius processus *inquisitivi* expostulat, praerequiri infamiam notoriam eamdemque assumendam esse uti fundamentum cui innitur hic processus, arg. *cap. 2. h. t. in. 6.* Hanc regulam autem late probant canonistae communi sententia, uti recolit Bouix *op. cit. II. p. 62.*

Ipsum vero officium *famae* supplet denunciatio *iudicialis*, quae non minus *exquirit iudicis officium* quam ipse clamor famae, quippe inquiri debet an denunciator sit fide dignus eiusque argumenta veritatem manifestent.

Verum *ipso iure positivo* statutae sunt exceptiones huic regulae generali, nempe ut posset procedi etiam non praecedente infamia vel *iudiciali denunciatione* in nonnullis casibus supremae gravitatis ad tuendam rempublicam, in primis, adversus haereticos. Tunc patet hanc procedendi rationem habitam esse

uti *maxime* utilem ad detegendam haereticam pravitatem, quae serpens in populo adnititur populos occulto inficere veneno. Quam pessimam luem detegere eiusque propagatores poenis compescere, pertinet ad officium Pastorum, quin nimis subtiliter observetur rigor processus iudicialis ordinarii inquisitivi.

139. Nihilominus regula, tres personas *physice distinctas* constituere iudicium, magnopere est connexa cum ordinatione *positiva* iudiciorum, quatenus haec exterius exhibere se debet comparatam ad subditorum sibi conciliandam fiduciam et reverentiam. Proinde ratio adinvenienda erat satisfaciendi huic intimae necessitati actionis iudicialis. — Ob rationes autem historicas satis explicatas factum est ut civi accusatori privato substitutus fuerit magistratus, publicus accusator; et processus *pure* inquisitivus, seu qui institueretur nec praeviâ *infamiâ* nec *iudiciali denunciatione*, remaneret uti processus veluti *extraordinarius* adversus gravissima crimina veluti haeresim, quae nocet universae Reipublicae etsi occulta. Tunc praetermissa quacumque solemnitate vel positiva ordinatione iudiciorum, fit processus et fertur sententia *rerum tantum veritate inspecta*.

Hic magistratus est *promotor fiscalis* de quo locuti sumus in Vol. I, n. 132 et modo tantum recolimus praeceptum in Inst. EE. et RR. *11 Iun. 1880.* editum art. 13, nempe, « *in quacumque curia adesse debere promotorem fiscalem ad iustitiae legisque tutelam* » (1). At huius officii iura et obligationes iure comm. non determinantur.

(1) Munus promotoris fiscalis iure communi non determinatur sed iuvat eiusmodi officii suprema lineamenta describere. Istud munus, ex antiqua praxi curiae Parisiensis, quum in Gallia maxime ordinatum sit hodiernum officium promotoris fiscalis, desumit Van-Espen *Iur. eccles., P. 3, tit. 6* et refert n. 5: « Nomen *promotoris* derivatur a verbo promovere, eo quod officii eius sit invigilare abusibus, et insolentiis delictisque, quae in dioecesi committuntur, atque de iis Episcopum et iudicem informare, quin et opportunum remedium etiam *iudicialiter contra delinquentes ogendo experiri*, uti notat Claudius Horry in tractatu Gallico,

140. Praeterea advertere praestat, in *iure eccles.* quia nunquam abolita fuit ratio procedendi per *accusationem*, neque *actiones populares* criminales expunctae fuerunt a codice

De procuratore curiae ecclesiasticae, qui habetur ad calcem libri eiusdem Auctoris cui titulus: « *Le parfait Notaire Apostolique* ». — Divus Carolus Borromaeus in ordinanda curia Mediolanensi specialem sollicitudinem et prudentiam impendit in determinando *Officio* Promotoris Fisci et Substitutorum - in *Actis Eccles. Mediolanen. part. 4, h. tituli* - adeo ut abstinere non possum a referendo eiusmodi titulo, unde patet gravitas huius muneris.

« *De officio Promotoris Fisci et Substitutorum.* - Sit unus Promotor Fisci, clericus, et iuris utriusque doctor, qui habeat unum aut plures socios, vel Substitutos, ut Archiepiscopus opus esse censuerit, cum congruo stipendio. — Omnes autem ab eodem Archiepiscopo deligantur. — Meminerint vero illi, se esse procuratores veritatis, et non debere sub eius clypeo innocentes opprimere, vel alias esse in causa, ut quis calumniis fatigetur. — Nullam causam promoveant super quocumque crimine, quam iudicaverint esse calumniosam; sed cum primum de calumnia constiterit, vel de rei innocentia, ab illa desistant. — Eorum curae sit promotio omnium causarum criminalium; in quibus cum diligentia dent operam, ut crimina publice vindicentur ad praescriptum sacrorum canonum. — Ante omnia promoveant omni vigilantia causas fidei. — Causas inconfessorum, et non communicatorum in tempore Paschatis. — Causas ad cultum divinum spectantes ut de inobservatione, aut violatione dierum festorum, de mala versandi ratione in ecclesiis contra praescriptum Constitutionis Pii V (Calend. Aprilis 1566), et decreta Provincialia, Dioecesanave, et edicta Archiepiscopalia. — Causas item simoniae, sodomiae, blasphemiae, ac concubinatus ad praescriptum sacrorum canonum, et Constitutionis praesertim Pii Quinti (Calend. Aprilis 1566). — Causas eorum, qui beneficia incompatibilia retinent. — Tum eorum, qui a beneficiis residentiam personalem requirentibus absunt; praesertim a parochialibus et canonicatibus. — Ad illos etiam spectat, assistendi causis, tueri libertatem ecclesiarum ab his, qui contendunt ius patronatus in illis habere. — Illorum itidem officium erit, cum sollicitudine promovere causas omnes, etiam civiles, quae ex officio tractantur, quamvis etiam assistat pars, praesertim pro executione piorum relictorum et bonorum ecclesiasticorum, piorumve locorum usurpatorum recuperatione. — Itidem de causis quo-

legum eccles., proinde promotor fiscalis non habet *monopolium* accusationis. Quandoquidem iste prohibere non posset, vi legis communis, fidelem, qui accusatoris munus assumeret in iudicio,

modolibet spectantibus ad mensam Archiepiscopalem, iurave spiritualia, vel temporalia Archiepiscopatus. — Itidem de causis, ubi de ecclesiastica iurisdictione, vel libertate tuenda agitur. — Invigilent simul cum Vicario criminali. ac etiam seorsum ab eo, ne Collateralis careat debito numero satellitum; neve tam ipse, quam satellites (apparitores) extorsionem aliquam faciant; ne item loco satellitum alii ducantur. — Liceat Procuratoribus Fisci testes pro informatione curiae, et Sancti Officii, a seipso, etiam citra praesentiam Iudicis, de illius tamen mandato, recipere, et examinare quorumcumque testium in causis etiam ad defensionem producendorum, in praesentiam tamen Iudicis, interesse, ac interrogatoria ad causas ipsas facientia Iudici subministrare, vel etiam si Iudici placuerit, ipsos testes interrogare. — Quoscumque etiam reos similiter interrogare, non secus, ac Vicarius ipse in criminalibus, cum ipsius tamen Iudicis praesentia. — Habeant librum, in quo haec describantur, non secus ac Vicarius criminalis; — Nomina carceratorum; — Diem carcerationis: — Causas pro quibus detinentur; — Tum qua die ad publicam custodiam ducuntur; — Itemque, cum decernitur, copiam iudiciorum; — Cum fertur sententia contra illos; — Dum relaxantur, quibus conditionibus relaxantur; — Indicem testium habeant nominatorum in testes, et socios criminum. — Hos libros singulis hebdomadis legant ut iam praescriptum est Vicario criminali. — Alium librum habeant, in quo summarie notent reos condemnatos poena, seu mulcta pecuniaria, qui usui sit illis, cum intersunt calculis Depositarii mulctarum. — Item habeant indicem omnium causarum pendentium, quae ad suam promotionem spectent, sive civiles sive criminales sint. — Habeantque a cancellario indicem notificationum quorumcumque legatorum relictorumve piorum, quae in dies fiunt. *Huic titulo antecedit titulus inscriptus: — De Officio Advocati Fisci.* - « Advocatus Fisci, cum in causis vel criminalibus vel ad promotionem Procuratorum, Promotorumve Fisci quomodolibet spectantibus articulus iuris emerserit, intersit: prius a Promotoribus Fisci de meritis ipsorum certiofactus tam voce quam scriptis eas causas pro veritate et iustitia apud ipsos Vicarios, ac etiam Archiepiscopum, et quoscumque alios, apud quos opus erit, tueatur; et illorum patrocinium suscipiat, memorque sit in calumniis cavendis etc. ».

paratus luere *calumniatorum* poenam si in probando deficeret. Verumtamen nihil vetat quominus ipse promotor fiscalis, annuente iudice, partem sibi arroget in accusatione, quo melius iustitia et legis fieret tutela. Tunc enim *promotor fiscalis* proprius appellatur *advocatus* fiscalis, quia partes adiuvat accusatoris, ne iste in probando deficiat ex sua imperitia aut ex collusione, cum maximo legum et iustitiae detrimento; et haec explicavimus in Vol. I, n. 134. - Praeterea, si iudex parum confidat in *accusatorem privatum*, potest accusationem committere promotori fiscali, et civem privatum habere uti *fisco adhaerentem*. Inde iudex facit veluti *divinationem* in plures accusatores ut eligat idoniorem; cf. supra num. 106.

141. Officium *promotoris* fisc. non efficit ut processus evadat simpliciter *accusatorius*, sed processus est revera *inquisitivus* in suo initio, et fit *accusatorius* dumtaxat post absolutam inquisitionem; nimirum processus est *mixtus*, prouti explicavimus.

Sed triplex est inquisitio, videlicet *generalis*, *specialis* (1) *specialissima*, iuxta ea quae tradidimus supra. - Generalis *inquisitio* exercetur per *assiduam vigilantiam*, *quae curat praevenire crimina*, et hinc competit *privative* iudici ordinario seu Episcopis, et ipsis competit vi iurisdictionis *voluntariae*, quam potissimum exercent in sacra dioecesis visitatione; quamque partim delegare possunt, et planum est. - *Specialis* vero et *specialissima*, nimirum inquisitio directa ad crimen detegendum eiusque auctorem, competit per se, *cumulative* tum iudici tum promotori fiscali, quippe nullus textus in iure habetur adiudicans *privative* promotori eiusmodi inquisitionem; eo magis

(1) Nonnulli DD. *specialem* vocant *mixtam*; et *specialissimam* vocant *specialem*: cf. Bouix *l. c. p. 60* ubi citatur Lessius qui *mixtam* ita definit: « *Tertia est* MIXTA *quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona: ut, quis fecerit istud homicidium: an Petrus servet statuta vel ordinationes synodales* ».

quod haec inquisitio potest esse aut *iudicialis*, aut *paterna* seu *charitativa*, nempe *directa* ad obtinendam delinquentis emendationem; et haec sane apprime competit, suapte natura, iudici ordinario. Cf. Pellegrini *Prax. criminal. Sect. I, n. 18 seq.* qui *n. 19* docet: « *Quod cum possit* (fiscalis prom.) *facere quidquid potest iudex in inquisitione, propterea potest petere quod detur terminus ad probandum delictum... potest petere* CITARI, CARCERARI ». Nimirum acta quae secumferunt exercitium iurisdictionis, aut *mixtum imperium*, non ipse promotor ponit sed petit fieri a iudice. Quare ea quae pertinent ad inquisitionem vel explet per se, pro sua potestate, vel instat fieri a iudice ea nempe quae per se non valet praestare.

Specialissima inquisitio IUDICIALIS proprie et quasi *privative* (1) exercenda est a *promotore*, scil. quando iam instaurata est criminalis instantia, ita tamen ut promotoris sit instare quoad omnia acta in inquisitum explenda, quamvis ex his nonnulla, veluti poenae coercitio, a promotore ipso fieri non possint.

142. Inde patet maximi ponderis esse officium a promotore obeundum, quod maius detrimentum inferre valet in negotia poenalia, nisi religiosissime expleatur. Van-Espen. *Ius eccl. P. III, tit. 6, n. 10*, refert ex Concilio Noviomensi celebrato a. 1344 a Ioanne Rhemensi Archiepiscopo querelas quae iam movebantur in *curiarum ecclesiasticarum promotores ac etiam procuratores, ad excessus citantes eorum homines subditos et Burgenses varia et diversa crimina et excessus coloribus fictis exquisitos eisdem imponentes.* - Ad faciles abusus compescendos plura excogitata sunt media; in primis ut promotores adstrin-

(1) Inquam - *quasi privative* - quia promotor fiscalis, instaurato semel iudicio, partes agit actoris seu accusatoris, et iudex huius partes sibi vindicare non debet, ne penitus subvertatur ordo iudiciarius. Nihilominus in ipsum *interesse legis et iustitiae* iudex invigilare debet operam promotoris eamque moderari, ne a recto tramite aberret, illiusque negligentiam supplere.

gerentur solemni iuramento de suo munere fideliter obeundo, quod iuramentum S. Carolus in *Actis Eccles. Mediolanen. part. 4, tit. De officio Promot. Fisc. et Subst.* exhornat hac admonitione: « Meminerint se esse procuratores veritatis et non debere sub eius clypeo innocentes opprimere, vel alias esse in causa ut quis calumniis fatigetur ». Praeterea refert Van-Espen., *l. cit. n. 17.*, promotori seu *advocato* fiscali adiunctum fuisse *procuratorem* fiscalem, ut alter alterius operam et compleret et moderaretur. -

Sed, postquam invaluit systhema *mixtum accusatorium*, quo melius distingueretur munus accusatoris seu promotoris a munere iudicis, actorum instructio in processu inquisitivo commissa fuit *iudici instructori* seu *commissario;* qui nempe potissimum ad instantiam promotoris fisc. acta processus conficit. - Iste iudex instructor est officialis distinctus tum a iudice qui sententiam ferre debet, tum a promotore; et ita acta iudicialia, maxime inquisitiva, videntur omnino aliena a quacumque praeoccupata opinione, vel a quovis studio partium, quum non instruantur neque a iudice neque ab accusatore. In *Instr. EE. et RR. art. 12* cavetur: « *Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante actuario* ». Iste officialis vocatur *iudex instructor* seu *commissarius*, cuius tamen *constitutio*, ne iudiciorum expeditio redderetur difficilior, consulitur sed non praecipitur.

143. Quamobrem, ex iure positivo, quo hodie uti debent curiae, expressa lex facta fuit constituendi promotorem *fiscalem* (arg. cit. Inst. EE. et RR.), at examussim non fuerunt explicati actus, obligationes et iura quibus promotoris potestas continetur; proinde eiusmodi munus potissimum determinari valet habita ratione officii accusatoris in iudicio criminali. Siquidem promotor, sive inquirat sive accuset, explet partes illius, qui instaurat criminalem delictorum insecutionem, ut rei iudicialiter convicti debitas luant poenas.

144. Sed promotor fiscalis non habet iure, quo utimur, (Vol, I, n. 136) *monopolium* accusationis; unde conclusimus fidelem posse sibi assumere onus *accusationis*. Ad haec, etsi accusatio sit iam instaurata a promotore fiscali, quia integrum est fidelibus urgere non tantum *civiliter accusationem* seu ad repetendam *indemnitatem*, sed etiam *criminaliter* seu ad publicam *vindictam*, inde habentur in foro eccles. *adhaerentes fisco*, seu illi qui accusationem a promotore instauratam suam faciunt. et magis urgere contendunt. Codex crim. iud. *cit.* editus a Greg. XVI a quo desumemus, uti normam utillimam processus. plures praescriptiones ordinantes actus processuales, ita definit partes adhaerentium fisco Art. 156 « *Querela potest esse simplex aut in forma accusationis.* - 157. *Est simplex quando querelans relinquit fisco inquisitionem* ». - 158. *Est in forma accusationis quando querelans intervenit iudicio uti adhaerens fisco.* - 159. *Cum velit interesse iudicio, utpote adhaerens fisco, illius est formalem edere declarationem una simul cum promota querela, sed etiam postea hoc praestare valet ad normam art. 9.* - 160. *Declaratio debet exarari a cancellario et subscribi ab adhaerente. Qui si est illiteratus, declaratio* CRUCE *signari debet coram duobus testibus.* - 161. *Nemo potest se praebere fisco adhaerentem, ad hoc constituto procuratore sine speciali venia praesidis tribunalis.* - 162. *Adhaerens fisco in processu iudicii usque admittitur ad suppeditandas declarationes et ulteriores probationes* ».

CAPUT III.

DE ACCUSATIS, DENUNCIATIS, INQUISITIS.

Summarium. — 145. Hac tractatione agitur de *reo*. — 146. Distinguuntur *accusati*, *denunciati*, *inquisiti*, quia hi diversimode in iudicium rapiuntur. Ponitur fundamentum distinctionis. — 147. Quinam accusari possint. — 148. Utrum accusationi praemittenda sit ab accusatore *monitio charitativa*. — 149. Quinam denunciari possint. - Habenda est ratio tum diversae speciei *denunciationis*, tum criminis, quod si est occultum, *iudicialiter* non denunciatur, at aliquando denunciandum est *canonice*. — 150. Quinam subiici possint inquisitioni. - Distinguendae sunt diversae species *inquisitionis*.

145. Tractationem de accusatore seu de *actore* excipit tractatio de accusato, denunciato, aut inquisito, nimirum de *reo*. Et hic quacumque via, nempe accusationis, denunciationis, aut inquisitionis pertrahatur in iudicium, est *reus conventus*, a momento quo iudex, per citationis decretum, eumdem convocat ad suum tribunal ut audiat se condemnari in certam poenam, nisi se defendat ab argumentis accusationis in eum collectis vel per ipsum accusatorem, vel per denunciatorem, vel per iudicem inquisitorem.

146. Ex persona *accusatoris* desumitur differentia inter diversas methodos procedendi. quod iam probavimus. Ius ecclesiasticum adoptare non dubitavit systema *accusatorium* rom. nullo facto discrimine ex parte accusatoris, siquidem admisit *actiones criminales populares* competentes *cuique de populo*. Verum habita ratione personarum in iudicium conveniendarum, quibus applicari debent remedia poenalia eccles., statim suborta est necessitas inflectendi processum rom. in methodum magis accomodatam systemati poenali eccles., cuius est quaerere, in primis emendationem delinquentis, prouti iam attigimus. Cf. Vol. III,

n. 13-14. - Equidem iuvat iterum recolere regulam fundamentalem huius systematis positam in illo textu Matthaei (XVIII. 15). « *Si peccaverit in te frater tuus vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos;... quod si non audierit eos, dic Ecclesiae* ». Cf. *c. c. 13 De iud. X; 31, De Sim. X* et *12 De haeret. X.* Commentatores communi sententia textum ita interpretantur ut comprehendat omnem speciem delictorum. Cf. Schmalz. *h. l. n. 131.* - Quare in Ecclesia non fit locus accusationi ad expetendam *publicam vindictam*, si obtineri possit emendatio per poenam *medicinalem;* quamobrem ante accusationem fit locus *monitioni evangelicae* seu *charitativae.*

Quandoquidem nemo potest *accusari* nisi antea factum sit *experimentum* emendationis, si haec saltem sperari possit. Quod experimentum fit vel a singulis fidelibus antequam denuncient aut accusent, vel fit ab ipso iudice eccles., et hodie mos est ut sive praevia habita sit *monitio* fraterna seu *privata*, sive non, tamen fiat locus *monitioni canonicae* semper, quando nempe salutarem effectum sperare liceat. Sane cit. Inst. Cong. EE. et RR. Art. 1 iubet: « Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando; *remediisque utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes* ». Art. 2: « *Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam efferunt. Priora... impediant quominus malum adveniat... Altera finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias* ». Art. 7: « *Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit curiae* etc. ». nempe ut haec progrediatur ulterius ad applicanda *iudicialiter* media poenalia.

147. Verumtamen quia systhema pure accusatorium in Ecclesia instaurare fas est, postquam videlicet incassum cesserint moni-

tiones et consilia ad rei correctionem et voluntariam damnorum emendationem inita, oportet satisfacere alteri quaestioni; unde quaerimus quinam accusari possint.

Canonistae, uti videre est apud Schmalz. *h. t. n. 72 seq.* singulos enumerant casus prohibitae accusationis, ad normam legum rom. quia in genere, *omnes accusari possunt, qui expresse a iure non excipiuntur.* - At non vacat heic longum elenchum retexere, quippe res est ad praxim non pertinens; et quia iidem casus in legibus romanis expressi non sunt *taxative* sed *demonstrative;* nimirum fluunt a quibusdam regulis generalioribus quibus continentur. Has regulas proinde innuere sufficiat, nimirum:

1) Accusari non posse illos, qui propter defectum aut aetatis aut actualis consensus delinquere posse non censentur, nempe infantes, amentes et alii id genus.

2) Item accusationi locus non est quando amplius instaurari non possit *actio criminalis*, vel quia post temporis lapsum praescripta, vel quia iam est expedita per sententiam iudicialem. Equidem, favore *accusati* ABSOLUTI, sententiae criminales transeunt in rem iudicatam, quamvis, item favore *accusati* CONDEMNATI, dicantur istae non transire in rem iudicatam; quia hic audiendus est si probare velit evidentibus argumentis suam innocentiam, saltem in via recursus ad Principem. Cf. Vol. I, n. 658 et Reiff. *De sent. n. 129.* Ex adverso *accusator*, nisi probet nullitatem sententiae, repellitur ab iterum accusando exceptione *rei iudicatae.*

3) Iure rom. accusari non poterant minores viginti quinque annis, nisi ipsis a iudice tutores aut curatores deputentur. Sed, quoad causas criminales spirituales, haec regula non valet, arg. *cap. 3 De iud. n. 6.* (II. 1.) Cf. Vol. I, n. 67.

148. Demum DD. quaestionem instituunt de natura obligationis, qua forsan teneatur *accusator* antea *monere accusatum;* nempe quaerunt an accusatus debeat antea moneri ab

accusatore *monitione charitativa*. - Iamvero DD. respondent *ex iustitia* seu ex positiva iuris praescriptione eiusmodi monitionem non requiri; nimirum nullibi neque iure antiquo caveri neque iure Decretalium. At *ex charitate* haec monitio facienda est si speretur bonus effectus, ut tradit Schmalz. *h. t. n. 88.* - Hodie vero possumus addere etiam ex *iure scripto can.* monitionem requiri, seu ex Inst. cit. EE. et RR. et ex *receptis moribus*, quatenus sperare liceat, rei emendationem inde facile secuturam esse. Ast receptus mos hodie ita obtinet ut *monitiones* potius fiant iuxta *canonicam formam* a iudice, quam ab accusatore vel a denunciatore, uti patet ex recitato textu Inst. S. C. EE. et RR. a. 1-6.

149. Praeterea quaeritur *quinam denunciari possint.*

1) Si agatur de denunciatione *evangelica*, natura sua, *extra-iudiciali*, denunciandus est *delinquens postquam monitus* fuit, nempe monitione *charitativa*, quotiescumque hanc fratri utilem esse coniicimus prudenter.

Ad rem, celebris est sententia D. Augustini *in can. 19, caus. 2, q. 1.* « Quid est, *in te peccavit?* Tu scis quia peccavit.... Si solus nosti et vis coram omnibus arguere, non es corrector sed proditor.... Sed forte quod scis et ego scio: sed non coram te corripio, quia curare volo, non accusare. Sicut homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant: aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus. Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus: ubi contigit malum, ibi moriatur malum ». Attendenda in primis sunt postrema verba quibus satis aperte innuitur, *charitativam monitionem* fieri posse aut per se, aut per Praelatum, aut aliam personam sanctitate, dignitate conspicuam, cui fiat *denunciatio evangelica* in hunc scopum.

2) Denunciatio autem *iudicialis* est instituta ut procedatur adversus denunciatum *iudicialiter ex* INQUISITIONE, nimirum EX OFFICIO *iudicis*, quatenus hic assumit probationes a denun-

ciante productas et hisce atque aliis indiciis et argumentis a se collectis, instituit iudicium in denunciatum, postquam frustra usus sit admonitionibus, ad normam *cit. Inst. art. 11.* Inde hae fluunt regulae:

a) Eiusmodi denunciatio fieri potest sive denunciandus sit clericus sive laicus, quotiescumque crimen non sit adeo *occultum* ut nullimode in iudicio probari possit. Hoc intellige, sive denunciatio sit *iudicialis* ad publicam vindictam, sive ad *querelam* partis laesae. - At dum *querelam* in clericum laicus movere potest, itemque de crimine clerici ad iudicem eccles. *delationem* facere; *denunciationem* autem *iudicialem*, in genere, laico instaurare adversus clericum non est integrum, ob eamdem rationem suspicionis, qua laicus repellitur ab accusando clerico.

b) Nihilominus si ex crimine occulto, veluti ex *haeresi* aut ex secretis machinationibus, grave damnum immineat reipublicae christianae, crimen non proprie *iudicialiter* sed *canonice* denunciandum est, seu ad iudicis notitiam simpliciter deferendum est ut publico bono invigilet. Nam, etsi crimen est occultum, attamen iudici seu promotori fiscali suggeri possunt ea indicia, quae inquisitioni *speciali* sternunt viam; at certe denunciationi proprie *iudiciali* non est locus. Cf. Reiffenst. *h. t. 93.*

c) Ad haec, quia in curiis constituitur promotor fiscalis in legis et iustitiae tutelam, hic denunciat iudici crimina etiam *occulta* eademque aut iudicialiter persequitur, nempe si exquisitis probationibus de crimine reus convinci valeat ut poenam luat, quum hoc expostulat bonum reipublicae; aut saltem curat ne exinde respublica quid detrimenti capiat. Hac sub ratione crimina etiam occulta, quae iudicialiter probari non possunt, utiliter denunciantur, denunciatione *canonica*, ut ait Pellegrini, *loc. cit. Sect. I. De Denunc. n. 9.* Ratio autem ob quam crimina *occulta*, indiscriminatim, non possunt denunciari et iudicialiter persequi, est quia laeditur fama hominis, si quis de crimine postuletur, quod est occultum neque probari potest.

Cf. Div. Thomas *2ª 2ae quaest. 33, art. 6 et 7, et quaest. 68, art. 1.* Quamobrem ipse promotor fiscalis ex simplici denunciatione, nullo innixa argumento aut ex levibus indiciis, non potest promovere *specialissimam* inquisitionem, unde fama laedatur inquisiti.

Verum, in hoc propositum, recedendum est a regulis nimis abstractis, quas concinnarunt canonistae et recolendum est principium diserte explicatum a Div. Thoma *l. cit.* et in *Quaest. Disp. De correct. fraterna* in *corp. art. 2* ita arguente de ipso delicto *(peccato)* occulto « *Deinde quia* CONSCIENTIA EST FAMAE PRAEFERENDA, *si aliter frater emendari non potest quam cum dispendio famae, finaliter Dominus ordinavit* (nempe in textu Matthaei) *ut publice denuntietur, ut obiurgatio, quae fit a pluribus ei sit remedium salutare* ». Emendatio autem delinquentis est ratio et fundamentum systhematis poen. eccles. (cf. Vol. III, n. 13) et huc adlaborare debet potestas Praelatorum poenalis, nempe ut obtineatur, si fieri possit, emendatio; et praeterea arceatur scandalum, si crimen est publicum. Quando autem hoc est *occultum*, tantum emendationi studendum est et etiam ab admonitionibus publicis abstinendum - *si* (ait D. Th. *l. cit. ad 2.m*) *ex publicatione fiat deterior* - delinquens. Hodie enim denunciatio proprie *iudicialis* in desuetudinem abiit, et in more est denunciatio *evangelica* et *canonica.*

Equidem denunciatio *iudicialis* expostulat omnes conditiones, quas requirit accusatio, excepta tamen, *inscriptione;* ita communiter DD.: cf. Schmalzg. h. t. 170. - Item illud est singulare in denunciatione, ut denuncians debeat in actu denunciationis pandere argumenta, testes, instrumenta; dum accusator ista evolvit et explicat in progressu accusationis; et planum est.

Ceterum non vacat singulas quaestiones heic perpendere a canonistis agitatas, uti videre est apud Reiffenst. *h. l. n. 89 seq.*, et Bouix *p. 44 sq.* At ipsi canonistae, utpote nulli certo iuri innixi, in contrarias sententias abeunt et infinitis impli-

cantur quaestionibus. Nam isti DD. subtiliter de hisce dubiis disserunt ut determinent specialem processum *per viam denunciationis;* sed hodie exploratum est denunciationes non efformare specialem processum, sed viam aperire inquisitioni, prouti expresse statutum est cit. Inst. S. C. EE. et RR. et in cit. codice Gregoriano iud. poenali lib. II, tit. IV.

150. In cap. 24 h. t. *X*, celebris est sententia, qua ita diversae procedendi rationes significantur. « *Sicut accusationem legitima debet praecedere inscriptio, sic et denunciationem* (nempe evangelicam) *charitativa monitio et inquisitionem clamosa insinuatio* ». Iamvero *inquisitionem* intelligimus *specialissimam*, institutam in certum civem, qui de certo crimine accusari iudicialiter et criminaliter intenditur. - *Clamosa insinuatio* ex mente Pontificis Inn. III, expostulatur quia, uti iam advertimus, ista supplet vices *actoris* seu *accusatoris*, quapropter « *quasi denunciante fama vel deferente clamore officii sui* (iudex) *debitum exequatur* ». Revera non potest aliquis in iudicium rapi, uti criminis auctor, nisi graviora hoc suadeant argumenta; secus laeditur charitas seu ius, quod quisque habet in bonam famam et laeditur ordo iuridicus societatis consistens in sollicita iurium defensione, et ius naturae clamat: *nemo praesumitur reus nisi probetur.*

Ista *clamosa insinuatio* distinguenda est a simplici fama vel notitia, qua oritur suspicio de crimine; unde fit initium inquisitioni *speciali*, per se occultae, ex parte iudicis aut promotoris fiscalis. Hac de causa, iure Decretalium, procedere non fas est ad inquisitionem *specialissimam*, nisi prius constet de diffamatione; secus processus *inquisitivus* est nullius valoris, ita Fagnanus, Comm. *in hunc tit. n. 60* sq. et arg. *c. c. 21* § *1 h. t. et 31 De Simon. X.* Inquam - ad inquisitionem *specialissimam* - seu directam in certam personam: siquidem non fas est *publice* et *iudicialiter* impingere crimen, nisi qui *accusatur* iam sit *diffamatus*. Quare inquisitio *specialis* quae fit, in genere, ad

inquirendam veritatem patrati criminis, non requirit praeviam infamiam et planum est, uti notat Fagnanus *l. c.* concilians, hac distinctione, diversas DD. opiniones, tantum specie tenus contrarias (1).

Praeterea notat Fagnanus *l. c. n. 45*, (et hoc apprime

(1) Sane Iulius Clarus apud Fagnanum *l. cit.* ait, requisitam conditionem *diffamationis* recessisse ab aula, quia iudex, constito de delicto, assumit informationes in genere, testes interrogando an sciant, quis maleficium patraverit; et si hoc negent, interrogantur an saltem sciant, quisnam sit diffamatus; et si dicant aliquem diffamatum, tunc iudex contra illum procedit seu inquisitione *specialissima*. - Sed Prosper Farinaccius observat, (item *l. c.* apud Fagnanum) in *hac* procedendi ratione, inquisitionem *specialissimam* praeviam habere *infamiam*, nempe per aliquos testes comprobatam. - Casu vero quo testes interrogati (prosequitur Iulius Clarus in exponenda *praxi tunc* vigente in Mediolanensi curia etiam saeculari) attestentur, se scire criminis auctorem, quem manifestant; tunc via patet inquisitioni *specialissimae* veluti *praevia denunciatione*, quia testes sunt quasi *denunciatores*, uti interpretatur Fagnanus *l. cit. n. 57*, et ait, hanc praxim revera servare *totum mundum*. - Haec refero quia inde patet quomodo *in praxi* explicata sit regula, nempe *specialissimae* inquisitioni debere *praeviam* esse *infamiam* seu *clamosam insinuationem* - Sane ipse Pellegrini *op. cit. Sect. II, n. 19* ait. « Iudex non potest contra aliquem procedere ad condemnationem, nisi adsit accusator. Sed quando iudex procedit per inquisitionem, nullus est *accusator formalis; ergo debet esse saltem virtualis, prout est infamia seu clamorosa insinuatio* (n. 20). Unde DD. concludunt quod ad inquisitionem particularem faciendam contra aliquem requiritur ex necessitate ut praecedant indicia; levia tamen sufficiunt ad assumendas informationes ex delicto, quia semper ex illis oritur apud multos infamatio. Ad citandum vero reum pro delicto, debent omnino praecedere indicia legitima et sic gravia ». Haec autem ratio procedendi inquisitione *specialissima*, praevia *diffamatione*, accusatore *virtuali*, quam diffamationem probabant testes collecti ex inquisitione *speciali*, seu *pro informatione curiae* obtinuit, uti ait Fagnanus, per *totum mundum*, postquam systhema pure *accusatorium* pene in desuetudinem abiit, et antequam formaliter constitueretur promotor fiscalis. - Ita resolvenda videtur quaestio, quam Carrara *l. cit.* § *845 sq.* fatetur se non invenisse expeditam.

advertatur, quippe quadrat in hodiernam praxim), aliquando fieri talem inquisitionem in certam personam, non ad poenam imponendam sed extraiudicialiter ex debito *officii pastoralis*, veluti ut matrimonium non contrahatur propter aliquod impedimentum, vel ne promoveatur aliquis ad Praelaturam seu non confirmetur electus, si reperiatur indignus vel. in genere, ut removeatur a fidelibus periculum delinquendi aut scandali occasio; et in tali inquisitione, quamvis directa in certam personam, non requiri diffamationem patet ex cap. *ult. De cland. desp. (IV. 3)*; cap. *Cum dilectus 32*, et *c. Nihil. 44. De elect. X (I, 6)*.

Quum conditio *praeviae infamiae* sit omnino necessaria processui instaurando ex inquisitione *specialissima*, proinde sub initio huius processus debet probari infamia adeo ut, si inquisitus excipiat - de infamia non constare; - et revera haec probari non valeat, processus ulterius non possit deduci. Haec conclusio deducitur etiam ex textu expresso cap. *2 h. t. in 6;* et ex communi sententia DD. quam exponit Fagnanus *l. c. n. 85*, aiens testes interrogandos esse an revera inquisitus sit diffamatus et quosnam apud viros, ut pateat an hi sint probi et fide digni, non vero *malevoli* et *improbi*. - Verum si reus praesens, in quem *specialissima* est instituta inquisitio, non praemissa *probatione* de infamia, taceat seu non excipiat de hac omissa praeiudiciali quaestione, intelligitur renunciasse iuri suo, uti arguit Bonif. VIII in cit. *cap. 2 h. t. n. 6*. - Praeterea DD. ita interpretati sunt necessitatem praemittendae probationis de infamia, ut iudicem eximerent ab hac necessitate, quando iste agit ex suo officio; et Bouix *l. c. p. 91* statuit hanc regulam « *Necesse non est infamiam probari, quando iudex ex mero officio procedit* ». Nullus textus legis affertur in confirmationem huius regulae, quae a Doctoribus traditur, ne videatur nimis cohiberi potestas iudicis ordinarii inquirentis. - At notant DD., revera in isto casu non requiri *solemnitatem probationis*, nihilominus necessariam *esse praeviam infamiam;* quare si reus inquisitus

excipiat infamiam non praecessisse, « ... *tunc* (ait Fagnanus in h. l. n. 64) *coram iudice appellationis teneretur primus iudex de infamia facere plenam fidem* ». Equidem canonistae suum ingenium torserunt ut cum processu *inquisitive* conciliarent conditionem *praeviae clamosae insinuationes*, seu *diffamationis*, non satis distinguentes *litteram* legis ab eius *intentione*. Porro Inn. III adhibet illam rationem loquendi ut ostenderet in *processu inquisitivo* non deesse, reapse, *accusatorem* et hunc esse *clamosam insinuationem*. Ita servata est elegantia *dictionis iuridicae* in exprimendo quodam *instituto iuridico*, quod obtinebatur per evolutionem notionum iuridicarum et hoc pacto processus inquisitivus in mores facilius pertransiit; ast in sua substantia *clamosa insinuatio* nil est aliud nisi necessitas colligendi indicia et probationes satis graves, antequam aliquis de crimine in iudicio postuletur. Cf. Inst. S. C. EE. et RR. aa. V et XXI.

Deinde, uti ab ista consequentem, Bouix *l. c.* ponit aliam regulam « *Quando superior procedit ad instantiam alicuius inquisitionem procurantis debet praemitti probatio infamiae* ». Haec est doctrina communis, quia tunc iudex procedit ad instantiam alicuius *denunciantis*, qui cum non velit fieri *accusator* seu actor, debet probare infamiam veluti, clamorem populi christiani excitantis officium iudicis. Et Bouix exprobrat Reiffenstuel, qui h. t. *n. 177 sq.* ponit conclusionem, *specie tenus*, contrariam. Inquam *specie tenus* contrariam, quia requisitum *infamiae* non probe intelligitur si ita assumitur ut probatio expostuletur necessario *de facto publicae amissae famae* ex parte denunciati, dum vero sufficit a denunciante iudicialiter talia praeberi indicia, et argumenta, quibus innixus iudex prudenter agit instituens inquisitionem *specialissimam;* non secus ac diximus *in nota* disserentes de *speciali* inquisitione, unde fit transitus ad *specialissimam*, si testes referant quinam sit auctor criminis. Tunc enim ex parte delinquentis amissum est *ius famae* quando

delictum patravit, quod *iudicialiter* probari potest. At quotiescumque iudex procedat ex *mero officio* censetur iam a publica fama vel aliunde a sufficienti facti notitia excitatum fuisse; unde supervacanea videtur probatio, (de eiusmodi infamia) per specialem actum iudicialem in periodo *accusatoria* exquirenda.

Haec sunt subtiliter dicta a Doctoribus, qui potissimum *abstracte* explicarunt has methodos iudiciales, uti Pirhing. Schmalzgrueber, Reiffenstuel: sed quantum ista distent a simplicitate et perspicuitate ordinis iudicialis nemo est qui non videat; quod fatetur ipse Reiffenstuel *h. t. n. 184.* Hodie vero veluti e medio ablata est occasio subtiliter distinguendi varias procedendi rationes; posteaquam promotor fiscalis explere coepit in iudicio partes veri *accusatoris;* quamobrem processus est aut pure *inquisitivus* aut mixtus *inquisitione* et *accusatione*, sed processus non inchoatur nisi praevia fuerit infamia vel denunciatio vel querela, vel simplex inquisitio specialis. - Ceterum promotor fisc. est publicus officialis, qui *pro iustitia et legis tutela* agit, neque huic muneri addicitur nisi dignus et probus reperiatur atque spondeat iuramento se officium expleturum non in calumniam bonorum sed in malorum hominum legitimam animadversionem. - Inde in *art. 119 Cod. cit. Gregor.* iubetur: « *Nisi lex statuat, processum instituendum esse tantum ad instantiam partis laesae, quicumque processus instauratur... ex officio, nimirum aut ob notitiam a fisco comparatam aut ob denunciationem aut querelam aut accusationem* ». Crimina, quae tantum impetiantur criminaliter *ad instantiam partis laesae* seu crimina pure *privata*, iure can. non habentur sed nonnulla crimina uti diffamatio, calumnia, etiam in foro eccles., non accusantur nisi *instante parte laesa* (Vol. III, n. 24).

CAPUT IV.

DE IUDICE.

Summarium. — 151. Utrum iudicum ordinatio in re civili et criminali eadem sit. — 152. De iudicis competentia. — 153. De personis accessoriis quae iudicem adiuvant. — 154. Actuarius necessario requiritur. — 155. Iudex instructor est *iure posit.* inhabilis nisi sit *clericus coelebs.*

151. De iudice, quatenus est persona necessaria in iudicio pollens publica auctoritate *ordinaria* vel *delegata*, vi cuius distinguitur ab *arbitris*, iam disseruimus in Proleg. Vol. I, n. 72 sq. Modo explicare debemus quae singularia sunt in *iudice*, attenta iudiciorum criminalium natura.

In primis quaeritur an, iure communi, iudex *ordinarius*, qui constitutus est pro causis civilibus expediendis, idem constitutus censeatur etiam pro criminalibus causis definiendis. -

Porro, quia diversum est obiectum, nihil prohibet quominus iudex in causas criminales competens non aeque competens sit in civiles, prouti observatur apud nonnullos populos ex eorum politica constitutione. Sed passim, non solet distingui iudex *civilis* a iudice *criminali;* et hoc obtinet iure canonico. Quamobrem huc referenda sunt quae explicavimus *de officio iudicis* in Proleg. Vol. I, *l. c.* ubi explicavimus iudicis *officium* etiam in iis, quae pertinent ad causas ex *nobili officio* instaurandas, quales sunt causae criminales: item huc spectant quae in *genere* de ordinatione iudicum seu de competentia *ratione gradus hierarchici* disseruimus agentes de *appellationibus* n. 617 sq.

152. Equidem competentia, in re *criminali* non secus ac in *civili*, discriminatur, 1° *ratione obiecti*, siquidem iudices ecclesiastici iudicialiter compescunt crimina *obnoxia* potestati coercitivae Ecclesiae, uti docuimus Vol. III, n. 44 sq.; 2° determinatur *ratione gradus*, quatenus iudices hierarchice ordinati in Ecclesia, pro qualitate sui *gradus*, obtinent potestatem iudicandi

respondentem eidem gradui hierarchico, veluti Episcopus causas cognoscit in prima instantia, dum Metropolitanus causas definitas in tribunalibus Suffraganeorum cognoscere valet in secunda instantia et ita porro. Demum 3° *ratione territorii* iudex sortitur, *ordinarie*, competentiam iudicialem in certas personas, in eos nempe, qui domicilium aut quasi domicilium habent in *territorio;* et *extraordinarie*, in eos, qui vel inibi aliquam habent commorationem, veluti *vagos* vel inibi patrant aliquod factum.

Isti *tres* tituli competentiae iidem habentur in re *criminali* ac in re *civili*, sed spectant ad diversum obiectum, nempe ad negotia *criminalia*. Exinde in competentia *criminali* aliquid singulare habetur et *primo, ratione ipsius obiecti;* et hoc explicavimus in Vol. III, *l. cit.*; vidimus scilicet, quomodo et quaenam delicta coerceat potestas ecclesiastica. *Secundo* etiam *ratione gradus*, aliquid speciale est, quia ob gravitatem harum causarum, potissimum quarundam, *dumtaxat* iudices *gradu* potiores eiusmodi causas dirimunt vel in prima vel in ulteriori instantia. *Tertio, ratione territorii* aliquid est singulare nempe iudex, in suo territorio, sortitur competentiam etiam in peregrinos aut vagos *ratione delicti*, quem titulum competentiae territorialis *negotiis criminalibus proprium* hoc loco explicare debemus, quod infra praestabimus.

153. Iudici autem operam dant plures personae, in iudicio accessoriae, veluti apparitor, notarius, item assessores. Et de his iam disseruimus in Proleg. n. 143 sq.

154. Attamen adverti debet personam notarii seu actuarii esse utique iudicio *accessoriam*, utpote naturali iure non requisitam, neque spectantem ad eius substantiam, sed hodie iure positivo, postquam capite 11 *De prob. X* (II, 19) inductus est processus *scriptus*, iudex procedere non valet sine actuario. Instruct. S. C. EE. et RR. id iubet art. 12 et 34. - Etenim non fas est iudici partes quoque explere actuarii, quoniam actuarius fidem facere debet publicam de *actis* tum a

iudice tum a partibus litigantibus confectis, et *nemo testis in causa propria.*

Assessores autem, consiliarii, auditores, iure communi et regula generali, iudici non assignantur, sed nihil prohibet quominus, aut ex delegatione, aut ex peculiari decreto, eiusmodi vel adiutores vel coniudices destinentur.

155. Illud adverti debet, nempe quemcumque, sive assessoris sive auditoris sive iudicis *instructoris* aut *commissarii* nomine in *foro eccles.* deputatum, aut ad processum instruendum, aut ad singularem indicialem actum explendum, repelli a tali munere obeundo, praesertim in causis criminalibus clericorum, nisi sit *clericus coelebs*, quum hominem laicum aut clericum coniugatum inhabilem huic officio, ex iure communi, declaraverit S. Congregatio EE. RR. in Inst. *11 Iun. 1880* art. 13; et expresse rescripserit S. Cong. Imm. Encycl. *3 Oct. 1832.* Cf. Bizzarri - *Collect. pag. 168.* - Haec ut plenius explicentur, sermo habendus est de *iudice collegiali* et in genere *de officio iudicis.*

§ 1. *De officio iudicis.*

Summarium. — 156. De iudice collegiali. Quomodo tribunal collegiale veluti *ordinarium* constitui possit ab Episcopo per iudices seu assessores adiunctos ipsi Vicario Generali quando hic agit ex mandato vel *generali* vel *speciali.* — 157. De tribunalibus collegialibus ordinatis in provinciis ditionis pontificiae. — 158. De sententiae valore latae in eiusmodi tribunalibus. — 159 De iudice instructore.

156. Equidem iudici singulari sive *ordinario* veluti Vicario Generali, sive iudici *delegato*, Episcopus adiungere valet assessores vel auditores quorum consilio uti debeat iste iudex in definiendis causis; prouti explicavimus Vol. 1, n. 150. - Verum tribunal non constituitur *collegiale,* quousque causa *pluribus* non committatur expedienda, nempe ex illorum deliberatione collegiali, adeo ut illud habeatur iudicialiter edictum, quod

maiori parti placuit. Verum quia Vicarius Generalis, vi mandati, est iudex ordinarius, in causis comprehensis in eiusmodi mandato, integrum non est Episcopo, assessores vel auditores assignare suo Vicario sub conditione ut hic *in omnibus* eorum votum sequi teneatur; quandoquidem ita destitueretur facultate iudicandi *iure comm.* ipsi concessa; dummodo tamen causa, quae ordinario non est gravis, gravissima non fiat ex specialibus adiunctis. Etenim in causis gravioribus, veluti in gravioribus causis criminalibus (cf. vol. II, n. 340) non comprehensis in *generali* mandato, potest Episcopus easdem committere Vicario Generali sub expressa conditione ut votum seu consilium assessorum aut auditorum non tantum exquirere debeat sed etiam necessario sequi (1).

Hoc advertatur. Quoties eiusmodi causa *ex mandato speciali* committatur Vicario Generali, eique adiugantur iudices, Vicarius Generalis non est index *delegatus* et tribunal collegiale inde constitutum est veluti *ordinarium;* quia coniudices adiuvant iudicem *ordinarium*, non *delegatum;* secus vero si Episcopus causam committit Vicario tamquam *iudici delegato* cui alios adiungit coniudices quasi conditionem sub qua explendum est mandatum delegationis. Cf. Leurenius *De Vicariis*, q. 73 seq. etc.; Bouix *De iud. I, p. 372.* - Differentia unius

(1) Ex iure communi, praescribitur constitutio tribunalis collegialis quando procedi debeat contra capitula exempta; adhiberi enim debent iudices *adiuncti* ex *cap. 6, sess. 25 De ref.* Concil. Trid.; item clerici. degradatione mulctandi sunt a tribunali collegiali, prouti iubet Concil. Trid. *sess. 13, cap. 4*, quamvis non conveniat apud DD. an Praelati adsistentes sint veri iudices vel potius sint testes solemnitatis. Esse iudices tenet Bened. XIV *De Syn. IX, cap. 6, n. 4* contra Fagnanum. Item in cit. *cap. 24. De accus.* Innocentius III in Concil. Lat. IV - a. 1216 - constituit normas processus *inquisitivi*, et unâ simul iubet Episcopum debere « *coram Ecclesiae senioribus veritatem diligentius perscrutari* » Et in *cap. 21 De off. iud. deleg.* X (1. 29) inculcatur regula « Cum (sicut canones attestantur) integrum sit iudicium quod plurimorum sententiis confirmatur ».

casus ab altero est maxime attendenda quoad effectum *appellationis.*

Praeterea in hisce causis potissimum, quae, utpote graviores, expostulant *speciale mandatum*, Vicario Generali ita adiungi solent ab Episcopo alii coniudices ut hi, Praeside Vicario Generali, collegialiter dirimant, quod in mandatis habent contentiosum negotium; quam methodum commendavimus et probavimus Vol. II, n. 315 seq.

Huiusmodi tribunalia collegialia, quae constituuntur ex iudicibus Vicario Generali adiunctis, censenda sunt *ordinaria* sensu veluti *improprio*, quia revera non potiuntur quodam stabili officio seu gradu hierarchico *iure communi* ordinato, sed *ordinària* appellari possunt, quia exercent ipsam Vicarii Generalis potestatem et unum idemque auditorium Episcopi constituunt; quare appellatio interponenda est non apud ipsum Episcopum, sed apud iudicem respective superiorem. Equidem Episcopi potestatem non habent instituendi iudicem *ordinarium* sive singularem sive collegialem prouti patet ex principiis iuris communis late explicatis in libello: *Responsio Pii VI ad Metropolitanos Maguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem super nunciaturis apostolicis.*

157. Collegiale tribunal *ordinarium* constitutum fuit ad causas criminales non pro universa Ecclesia, sed pro provinciis Status Pontificii a Gregorio XVI in *decreto diei 5 Nov. 1831 et 24 April. 1832.* Nihilominus haec decreta certam efformant regulam, quam prudenter sequi valent Episcopi universi. Iuvat proinde referre latine *redditos* articulos, qui huc spectant. - In cit. Decreto *diei 5 Nov. 1831* art. 4 statuitur « *Tribunal Ecclesiasticum cuiuscumque dioecesis constat e iudice ordinario nec non e quatuor iudicibus ab eodem delectis* ». Iudex autem ordinarius est ipse Episcopus aut Vicarius Generalis et quia alii iudices adhibentur veluti assessores, sed cum voto deliberativo, tribunal inde constitutum, uti supra innuimus, recte

appellatur *ordinarium*. - Verum Episcopi non parvam nacti sunt difficultatem in constituendis hisce tribunalibus, quia non facile in dioecesi praesto erant quatuor *ecclesiastici* viri tanto muneri idonei; quare ad eorum instantiam Rom. Pontifex, rescripto *diei 24 April. 1832*, indulsit ut *duo* tantum iudices adsciscerentur assessores, ubi *quatuor* difficile inveniri poterant ad opus parati.

158. Iudices collegiales arg. *l. 33, ff. De re iud.* edicunt collegialiter sententiam *absolutoriam* aut *condemnatoriam* prouti in unam aut in alteram sententiam descendit maior pars. - Quotiescumque vero maior pars nihil statuat, quia iudices in diversas abeunt sententias aequalibus suffragiis innixas, attendendum est caput 26. *De sent. et re iud.* X (II, 27) decernens. « Duobus iudicibus (ut accepimus) diversas sententias proferentibus, si ex iurisdictione *ordinaria* processerunt, tenet pro *reo* non pro *actore* sententia, nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote seu testamento, pro ipso (pro actore) fuerit promulgata. Si vero ex *delegata* potestate, utraque pendet sententia ex arbitrio delegantis. Quod si ex *compromisso*, neutra debet habere vigorem ». Sane iudices *ordinarii* potestatem habent *in solidum* et hinc etiam sententia *unius* vim habet definiendi quaestionem; pro *parte* vero habent iudices *delegati*, quare sententia unius non viget nisi accedat aut suffragium aliorum iudicum *delegatorum* aut auctoritas *delegantis;* item *pro parte* habent *arbitri*, quare discordibus ceteris arbitris, ex compromisso sententia non habet vigorem. Quod si compromittentes unam vel alteram sententiam ratam habeant, tunc ex novo pacto sententia vim desumit. Cf. Vol. I, n. 604.

Adnotatione dignum est sequens decretum a S. Cong. EE. et RR. editum *die 27 Aug. 1852* - super voto *ferendo* in tribunalibus criminalibus curiarum Episcopalium in ditione pontificia: - « *SSmus declaravit, Episcopum etsi Cardinalitia dignitate fulgeat et etiamsi dioecesim suburbicariam regat, qui*

praesit Congregationi seu tribunali criminali suae curiae, iuxta appendicem - al Regolamento di proced. crim. *die 5 Novemb. 1831 - debere votum dare et sententiam subscribere uti caeteri iudices eiusdem tribunalis, idemque observandum esse a Vicario Gen., quando ipse Congregationi seu tribunali criminali praesideat* ». Nam in genere iudices *relatores, instructores* a suffragio dando eximuntur, ex cit. decr. *diei 5 Nov. 1831* art. 2 et ex rescripto S. C. EE. et RR. *18 Iun. 1855:* sed haec regula non spectat ad praesidem tribunalis.

Sed *cit. caput 26* iuvat ulterius explicare ut pateat quid dicendum sit de valore sententiae maioritati votorum non suffultae, ob discordiam iudicum, qui constituunt collegium, improprie *ordinarium*, quale ordinari valet ab Episcopo, uti supra explicavimus. - Ratio dubitandi est decisio *cit. capitis 26*, qua statuitur regula, scilicet, ut, iudicibus *ordinariis* utputa tribus, « diversas sententias proferentibus, teneat pro *reo* non pro *actore* sententia ». - Hanc quaestionem non reperii resolutam apud canonistas, hinc proferam quod mihi videtur magis conforme certis iuris regulis. In cit. capite loquitur Pontifex de *duobus* iudicibus *ordinariis*, nempe potestatem habentibus *in solidum*, hinc excludit hypothesim de iudicibus, vel ordinariis, qui tamen *collegialiter* (non in *solidum*) suam iurisdictionem exercere debeant. Quare si, ex constitutione tribunalis legitima, ea censenda sit iudicum sententia in quam, veluti in actum collegialem, maior pars conveniat, sententia *unius* neque pro *reo* neque pro *actore* tenet, quia *iudicialis* non est cum non sit *collegialis*. Ita constituta fuerunt tribunalia collegialia in ditione pontificia. - Eadem conclusio quadrat in nostram quaestionem, tum quia praesumpta voluntas Praesulis videtur ex iisdem iudicibus in collegium adscitis expostulare sententiam *collegialiter iudicialem*, tum eo magis quia tribunal collegiale ab Episcopo ordinatum improprie est *ordinarium* et iudicem continet ordinarium, aut ipsum Episcopum aut Vicarium Generalem; sed alii iudices,

quasi *adsessores*, censentur *propriam* iurisdictionem non habere: quamobrem, re intimius perpensa, verius dicendum est, tunc sententiam iudicis ordinarii, tribunalis Praesidis, huic subesse legitimae conditioni, nempe ut nullum ista habeat valorem nisi ei suffragentur vota adsessorum seu consultorum ad constituendam saltem maioritatem votorum.

Quia vero praesidis tribunalis et iudicum sententiae aliquando sunt discordes, ne exinde irritum evaderet iudicium cum magna temporis et iustitiae iactura, in cit. Cod. Greg. art. 443 cautum fuit. « *Deliberationes tum secundae tum accusato adversae constituuntur ex maioritate votorum. - Si paria sint vota, locus est sententiae miliori. Si iudices in diversas sententias abeunt, ii qui suffragium dederunt in poenam graviorem accedunt aliis, qui poenam minorem, gradatim proximiorem severiori, decernere arbitrati sunt, unde hac ratione, scilicet per descensum ad miliorem poenam, obtineatur maioritas votorum* ». Hic articulus dictatus fuisse videtur ad normam *cap. I De arbit. in 6 (I, 22)* ita concepti: « *Si ex tribus arbitris te duo in decem, et tertius in quinque condemnet, debet sententia praevalere duorum: licet cum unus in XV, alius in X tertius vero in V pronunciant, illius qui dixit de summa minori (cum in illa omnes concordes existant) sententia efficax censeatur* ». - Quum haec regula repetatur a iure communi, etsi directe edita ad res civiles, nihil prohibet quominus curiae eccles. eidem regulae obtemperent prouti ista exprimitur ad *rem criminalem* in citato articulo Cod. iud. poen. Greg. - Grotius *De iure belli et pacis* lib. II, cap. 5, § 19 hanc regulam explicat et tuetur, cui concinit lex 38 ff. *De re iud.* (1).

Haec dicta sunt de tribunali collegiali, quod appellavimus

(1) Vix credibile est quot diversae sententiae DD. prodierint hac de re; quam late et docte prosequitur Carrara op. cit. § 1009 et sq.

improprie *ordinarium*, sensu explicato; nam tribunali *collegiali delegato* ad unguem applicanda est responsio citati *capitis 26.* Modo aliquid distinctius dicamus de iudice *instructore.*

159. Equidem memorari debet *iudex instructor* seu *iudex processans*, prouti appellatur passim in cit. Decreto Gregoriano pro criminali ordinando processu edito *ann. 1831,* qui iudex in processu criminali habet specialem gravitatem. Munus *iudicis instructoris* iam invenimus explicatum in Decretalibus et commissum *auditoribus*, arg. *c. c. 13 De renunciat. X* (I, 9); *27. § 2, De off. iud. deleg. X* (I, 29), et auditores appellati sunt a testibus *audiendis* et partium *allegationibus.* Revera potissimum in curia romana partem habebant auditores (Vol. II, n. 42); in curiis autem dioecesanis reperiuntur *assessores* seu *officiales.* Ex hisce officialibus prodiit Vicarius Generalis qui et *Officialis* adhuc nuncupatur (Vol. II, n. 337). Verum in agitandis causis criminalibus, quia forma pure *accusatoria* in more non est et forma pure *inquisitiva* est veluti *extraordinaria,* frequentatur forma *mixta* ex accusatione et inquisitione; in qua *iudex instructor* est magistratus praebens operam tum iudici tum promotori fiscali. Etenim *instructor*, instante aut iudice ordinario aut promotore fiscali, instituit inquisitionem etiam *specialissimam* ut colligat probationum momenta, quibus reus crimine convincatur. Nam ex una parte promotor fiscalis, quamvis et ipse inquirat, tamen non habet iurisdictionem seu mixtum imperium interponendum in colligendis eiusmodi probationibus, (cf. Vol. I, n. 41 sq.), quocirca, pro eiusmodi interponendis actibus, recurrat oportet ad iudicis ministerium; ex alia parte iudex, qui sententiam ferre debet definitivam, posset haberi quasi suspectus quum ipse iudicare debeat de *actis et probatis* a se confectis. Exinde peropportune constituitur *iudex instructor* qui incumbit, instante et advigilante promotore fiscali, in probationes colligendas. Revera Inst. cit. EE. et RR. in art. 13 cavet « *Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo viro ecclesiastico, adstante*

actuario » et in art. 29 « *Expleto processu actorum, instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem* ». Attamen, quia haec Instructio edita fuit pro causis *summarie* et *oeconomice* agitandis, constitutio *iudicis instructoris* tantum consulitur, dum in cit. Codice Gregoriano inscripto: - *Regula processus criminalis* - expresse iubetur art. 53. « *Apud singulum tribunal aderunt duo aut plures iudices processantes... et unus aut plures substituti deputati ad processus ordinandos et ad causas instruendas* ». Et deinde *art. 54* subs. cavetur: « *Eiusmodi processus remittendi sunt ad procuratores fiscales quibus ius est expostulandi ut iidem processus ampliori inquisitione augeantur, explenda per ipsos iudices processantes* ».

§ 2. *De iudicis competentia.*

Summarium. — 160. De competentia *ratione obiecti*. — 161. De privilegio *fori* in re criminali. In hisce causis aeque viget principium: *Actor sequitur forum rei*. — 162. De competentia *ratione gradus* seu de *ordinatione iudicum* quoad causas criminales iudicialiter cognoscendas. — 163. De iud. ordinario delegato. — 164. De competentia *ratione territorii*. — 165. In primis de competentia *ratione domicilii*. — 166. De competentia *ratione delicti*. — 167. Episcopi, quorum causae criminales sunt *maiores*, huic titulo competentiae non subsunt. Pro regularibus aliquid speciale cautum est. — 168. De vagis. — 169. An sit locus *prorogationi competentiae* in criminalibus. — 170. De *reconventione*. — 171. De *continentia* causarum. — 172. De dubia competentia et de conflictu inter plures iudices aeque competentes.

160. Quodnam sit obiectum criminalis competentiae ecclesiasticae iam enucleavimus in prima parte tractactionis. - Competentia autem iudicialis, veluti effectus, consequitur a potestate coercitiva qua pollet Ecclesia. Siquidem Ecclesia in eos qui, delinquentes in suam legem, perturbant ordinem socialem, iudicia exercet ut iidem delinquentes, sive per resipiscentiam sive per luitionem poenarum, restaurent ordinem laesum in societate reli-

giosa. Quamobrem sive *clerici* sive *laici*, eiusmodi crimina patrantes obnoxia potestati coercitivae Ecclesiae, subsunt eius competentiae iudiciali determinatae *ratione obiecti* (1). Cf. Vol. I, n. 319 sq.

At in re criminali ob relativam gravitatem, nonnullae *causae criminales* recensentur inter *maiores;* eiusmodi sunt *causae criminales* Episcoporum C. T. quae nempe *depositione* aut *privatione* dignae sunt, ex *sess. 24, cap. 5 De ref.;* et hae omnes sunt immunes ab ordinaria iudicum inferiorum competentia quippe attributae iudicio Rom. Pontificis. - Reliquae enim causae criminales Episcoporum aestimantur inter *minores* criminales causas atque in Concilio tantum provinciali definiri debent ex eodem decreto Conc. Trid. *sess. 24, c. 5 De ref.* Hodie vero omnes eiusmodi causae Episcopales censentur *maiores* et sunt reservatae iudicio S. Pontificis (2).

161. Praeterea clerici, per privilegium *fori*, seu *ratione personarum* sortiuntur forum Ecclesiae etiam in criminibus subiectis potestati *civili* coercitivae. Equidem in hoc consistit *privilegium fori* ut clerici in criminalibus negotiis ad *civilem* potestatem spectantibus, sortiantur forum *eccles.*, et hoc per privilegium seu *ratione personarum*; nam dum, ex communi regula, in determinando foro attenditur ipsum *obiectum* controversiae et non qualitas *personae* contendentis, per exceptionem seu *privilegium* in clericis, ob dignitatem ordinis clericalis, attenditur

(1) Sane competentia determinatur *ratione obiecti;* sed haec competentia exerceri potest tantum *in subditos* seu in fideles *baptizatos*, quare Ecclesia *directe* compescere non valet crimina infidelium vel *catechumenorum*. Attamen in *cap. unic. De iudaeis et sarrac.* in Clem. (V. 2) Ecclesia etiam in sarracenos poenas decernit, seu in infideles, sed potestate *indirecta*, nimirum quatenus ius habet tutandi populum christianum.

(2) De excessibus Cardinalium qui, suapte natura, *privative* obnoxii sunt auctoritati Rom. Pontificis statuit cap. unicum. *De schismat. in 6* (V, 3); et cf. *Acta S. Sedis* III, p. 322.

qualitas personarum ad sortiendum forum. Sed hodie potissimum per *leges concordatas*, Ecclesia patitur clericos criminum *civilium* reos compesci per potestatem laicalem; et sibi tantum reservat animadversionem in crimina, quae clerici patrant in disciplinam ecclesiasticam. Haec crimina, explicavimus supra in tit. XIII. - Pro Italia cum non vigeant concordata, speciales facultates concedi solent Ordinariis, uti innuimus Vol. I, n. 333.

162. Ratione *gradus* hierarchici, iudices fiunt respective competentes vel in primam vel in secundam vel in ulteriorem instantiam.

Revera ordinatio iudicum in Ecclesia non alia est pro causis civilibus, alia pro criminalibus; attamen aliquid singulare habetur in re poenali modo explicandum.

1) Interim advertimus iudices eiusdem *gradus* seu inter se non *subordinatos*, veluti Episcopos inter se, et inter se metropolitas esse tamen *coordinatos*, prouti disseruimus Vol, II n. 319 sq., non minus in civilibus quam in poenalibus; videlicet *coordinatos*, ut sibi invicem praestent *subsidium iuris*, in expediendis causis, maxime in audiendis testibus extra territorium iudicis attestationes exquirentis commorantibus, et in aliis.

2) Porro causae criminales ex iis sunt quas Concil. Trid. *sess. 24, cap. 20* iussit, in *prima instantia* cognosci et definiri in tribunali Episcopi: « *Ad haec* (praecipit Concil. Trid. *l. c.*) *causae matrimoniales et criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquantur* » (1). Modo ad causas *criminales* coarctamus sermonem, quia de *matrimonialibus* agemus evolventes specialem rationem procedendi. Equidem in primis quaeritur an *ex cit. textu* examini et iudicio

(1) In editione Richter Concil. Trid. *p. 444* invenies abunde relatas declarationes Cong. Concil. in hanc rem.

Episcopi reserventur *causae criminales* etiam ad exclusionem Vicarii Generalis. - Verum quia Episcopi et Vicarii Generalis unum idemque est tribunal, nempe tribunal *episcopale*, patet textum non satis significare eiusmodi exclusionem. Mentem vero Concilii non fuisse Vicarios Generales prohibere ab hisce iudiciis, uti prohibuit Decanos, Archidiaconos, non obscure arguitur ex *cap. 2, sess. 13 De ref.*, ita concepto: « *A sententia Episcopi vel ipsius in spiritualibus Vicarii Generalis in criminalibus appellationis causa, ubi appellationi locus fuerit, si apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, metropolitano seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali aut si ille aliqua ex causa suspectus foret vel ultra duas legales diaetas distet seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis seu* ILLORUM VICARIIS, NON AUTEM INFERIORIBUS IUDICIBUS *committatur* ». Hi textus confirmant adamussim, ni fallimur, conclusionem, in quam devenimus in Vol. II, n. 340, nimirum Vicarium Generalem posse cognoscere causas criminales sed non *graviores*, quae nimirum *generali mandato* comprehendi non censentur. Et ita interpretamur *caput Licet. De off. Vic. in 6* (I, 13) decernens « Licet in Officialem Episcopi, per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur, potestatem tamen *inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus seu aliquos a suis beneficiis, officiis vel administrationibus amovendi*, transferri nolumus, nisi *sibi specialiter haec committantur* ». Patet enim hic agi de *excessibus* qui merentur *amotionem* seu *privationem* et agi de poenis *fer. sent.*, non de poenis *lat. sent.* quae ab Ordinario expostulant tantummodo sententiam *declaratoriam*. Inde firmamus sententiam *practicam*, quam posuimus *l. cit.*, nempe: *Proinde quando causa instituenda sit criminalis, in qua de crimine agitur mulctando vel excommunicatione vel interdicto vel suspensione vel privatione vel alia graviori poena, dummodo non res sit de simplici et non dubia applicatione legis communis, maxime*

Tridentinae (seu non res sit de sententia *declaratoria*), *ad praecavendas reorum cavillationes et exceptionum ambages, Vicarius muniatur speciali mandato* ». Idem eruitur ex *sess. 13, cap. 1 De ref.*, ubi Concil. Trid. decrevit: « In causis visitationis... nec non criminalibus ab *Episcopo* seu *illius in spiritualibus Vicario generali...* non appelletur; neque *Episcopus* seu *Vicarius* appellationi *deferre* teneatur ». - Haec, quam exposuimus, est certe opinio probabilior et communior; at contradicit Bouix *De iud.* I p. 429; et alii.

3) Praeterea Concil. Trid. *sess. 24, cap. 20 De ref.* iussit; « Causae omnes ad forum eccles. quomodolibet pertinentes IN PRIMA INSTANTIA coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem intra biennium a die motae litis terminentur ». Et hoc statutum est *privative* quoad ipsos *Legatos Pontificios*, nimirum: « *Legati quoque etiam de latere, nuncii, gubernatores ecclesiastici aut alii, quarumcumque facultatum vigore non solum Episcopos in praedictis causis impedire aut aliquo modo eorum iurisdictionem iis praeripere aut turbare non praesumant, sed nec contra clericos aliasque personas eccles. nisi Episcopo prius requisito eoque negligente, procedant* » ita Concil. Trid. in eadem *sess. 24, cap. 20 De ref.* - Inde correctum fuit ius Decretalium seu *cap. 1 De off. leg. X* (I. 30), sed attendenda est Declaratio Greg. XIII in Const. *Ad Romani - 10 Iul. 1574.* Nam cum C. Trid. in *cit. loc.* exceperit causas - *quae, iuxta canonicas sanctiones, apud Sedem Apost. sunt tractandae* - Greg. XIII, in cit. Const. ampliavit et declaravit decretum Tridentinum, quod cum in causis exceptis potissimum visum sit continere *causas* possessionis *beneficiorum reservatorum seu a Pontifice concessorum*, idem Pontifex declaravit ab Ordinariis instituendam esse cognitionem litterarum Apostolicarum de capienda possessione beneficiorum.

4) Praelati, seu Abbates *nullius dioeceseos* in causis cri-

minalibus (1) cognoscendis et expediendis nihil distant ab Episcopis, prouti desumitur ex resolutione diei *21 Ian. 1721* Cong. particularis deputatae a Pontifice. Hoc et probat Bened. XIV *De syn. II, c. 11, n. 4.*

5) Metropolitani eorumque Vicarii Generales in spiritualibus, iuxta decretum cit. Concil. Trid. *Sess. 13. cap. 1* et *2*, et pro horum competentia seu iuxta limitationem supra expositam quoad potestatem Vicarii Generalis, sunt iudices secundae instantiae. Cf. *Sess. 24. cap. 20 De ref.* Concil. Trid. et declarationes S. C. C. in edit. Richter p. 389. - Competentia autem Patriarcharum, Primatum exolevit. - A metropolitanis, qui iudicaverint in prima instantia, fit appellatio ad Rom. Pont. nisi, iure speciali, vigeat ut appelletur ad alium metropolitanum. Cf. vol. I, n. 622.

6) Quia semper, omisso medio, appellari potest ad Romanum Pontificem, ita per se, nihil prohibet quominus appelletur ad Eius Legatos vel Nuncios, prouti cavetur in decretis Clem. VIII a. 1600, art. 7; et exponitur in nuperrima epistola data ad Nuntium Apost. Matriten. die *15 ap. 1885* (*Acta S. Sedis* Vol. 17, p. 561) (2).

7) Romanus Pontifex, iure Primatus, in universo orbe catholico, suam exercere valet competentiam in causas criminales, prae omnibus iudicibus ordinariis; nihilominus ex communi iure, sibi *privative* reservat causas *maiores* criminales; quas deferre solet iudicandas tribunalibus seu congregationibus

(1) Verum a matrimonialibus cognoscendis expresse prohibiti sunt. Cf. *Inst. S. C. C. 24 Aug. 1840.*

(2) Quinam sint iudices Regularium exemptorum in causis criminalibus, dicemus infra cum agemus de *ratione procedendi* in eiusmodi causis. Modo tantum innuimus Regulares exemptos alios habere iudices in causis, quae agitantur et definiuntur tantum *intra claustra*; et alios in causis, quae praeter Superiorem Regularem cognoscuntur etiam a iudice *Ordinario loci.*

in Urbe statutis sive *communibus* sive *particularibus*. Cf. Vol. II, n. 13 sq.

163. Gradus modo explicati pertinent ad hierarchiam jurisdictionis *ordinariam*. Verum ipsi *iudices ordinarii* aliquando procedunt *potestate delegata*, et tunc fit locus principio quod spectat ad omnes iudices *delegatos*; nempe, a delegato appellari ad delegantem et a subdelegato ad subdelegantem, nisi subdelegans *integram* demandaverit iurisdictionem, arg. *c. 27, § Porro - De off. deleg. X (I, 29)*, adeo ut *officio delegato* se abdicaverit. - Singulare est in Episcopis ut aliquando cumulent cum potestate *ordinaria* potestatem *delegatam*, uti significatur in *cap. 1. De off. leg. X (I, 30)*, et tunc iudicem, *ad quem* est appellandum, desuminus a natura potestatis quam exercuerit iudex *a quo*. - Concilium Trid. ut dubietatibus et aequivocationibus praecluderetur aditus, expresse significavit delegantis intentionem, diversa conceptione verborum; nimirum constituens Episcopos - vel *tamquam delegatos S. Sedis*, vel - *etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatos*. - Et S. Congr. Concilii pluries, uti retulimus in *vol. I, n. 622*, declaravit, ab Episcopo sententiam ferente - *etiam tamquam delegato Apostolicae Sedis* - in negotiis quoque criminalibus, « *non esse hoc casu necesse ad Apost. Sedem appellare* ».

164. Iudices vero, praeter ordinationem *hierarchicam*, habent ordinationem *territorialem*, vi cuius suam competentiam quisque iudex, inferior Romano Pontifice, administrat non in universos fideles sed tantum in determinato territorio. - Quae determinatio competentiae *ratione territorii*, inducta est praecipue in bonum ipsorum fidelium, qui ita subsunt competentiae illius iudicis, quem facile adire, et facile docere possunt factorum adiuncta, ipsi scitu faciliora ob communem commorationis locum. Quum vero actoris seu accusatoris sit movere instantiam criminalem, ipse aeque obtemperat regulae - *actor sequitur forum rei* - eisdem de causis, quibus hoc principium inductum fuit

in negotiis civilibus. Quocirca huic regulae non minus obsequi debet promotor fiscalis, publicus accusator.

165. Ratione autem *territorii*, quis dicitur subesse competentiae illius iudicis, in cuius districtu seu dioecesi aut provincia domicilium habet aut quasi-domicilium. - Forum *domicilii*, in causis quoque criminalibus, est *ordinarium* et *generale*, proinde cum ceteris foris concurrit, nempe *iure praeventionis;* arg. *c. c. 20 De for. compt. X* (II, 2), *1 De priv.* (V, 7) *in 6*, et *comment.* Fagnanus in cit. *cap. 20, De for. comp. n. 9;* et *Acta S. Sedis* Vol, II. p. 137 - Cf. quae Vol. I n. 338 explicavimus (1), de domicilio *ficto* seu *legali* in Urbe Roma; quod *domicilium* ius dabat declinandi forum *domicilii* ordinarii. At hoc privilegium coarctatum fuit et pene abolitum a Concil. Trid. ne plura crimina clericorum evaderent impunita.

Quare forum *domicilii* in re *quoque* crim. est forum *ordinarium*, nimirum domicilium aut *verum* aut *fictum* quoad species domicilii *ficti* explicatas in Vol. I, loc. cit. - Hic addimus domicilium *castrense*, quod revera non est *fictum* sed est *privilegiatum* et oritur ex iurisdictione, qua pollent Vicarii Castrenses seu Cappellani Maiores quorumdam exercituum v. g. in Austria, in Hispania. - Cf. Decisio S. Congr. Conc. *per summ. prec.* in Septen. - mense maio 1899.

166. In re civili, modi veluti *extraordinarii* sortiendi forum sunt *contractus* et *res sita:* in re autem criminali viget *extraordinarium* forum *delicti*. Revera expedit magnopere puniri delicta ubi patrantur, tum quia facilius cognoscitur de auctore et de gravitate criminis, tum ad obtinendam ordinis laesi restaurationem, ubi laesio facta est; arg. cit. *cap. 20 De for. comp.*

(1) In Vol. I, n. 338 explicavimus indolem domicilii *ficti* seu *legalis*, cuius species est simplex commoratio in Urbe Roma, quamvis, per se, iure can. simplex commoratio non suppeditet forum competentiae. At hoc privilegium valde coarctavit Concil. Trid. *sess, 24, c. 11; De ref.* et *sess. 23. c. 1, De ref.* et Const. Pauli V *Universi agri*, 1612.

Verum quoad iudicis competentiam ex *foro delicti* haec observanda sunt:

1) Iudex est competens ad iudicium instaurandum ex isto titulo dummodo, saltem citatione, praeveniat delicti auctorem, antequam hic excedat e suo territorio. Cf. Schmalzg. *De for. comp. n. 61.*

2) Quando delinquens excedat e loco delicti ante citationem, iudex ordinarius eiusdem loci per litteras *remissorias* seu *requisitorias* (cf. Vol. II, n. 323), ab Ordinario domicilii delinquentis exquirit aut ut delinquentem ipse puniat aut ut reum ad se remittat, poena percellendum ad ordinis restaurationem. Iudex *requisitus*, iuxta communem DD. sententiam, uti videre est apud Schmalzg. *l. c. n. 63*, praemissa *requisitionis* causae summaria cognitione, annuere debet petitioni iudicis, cogens delinquentem, (si hoc expostulet ratio ecclesiasticae disciplinae) per media etiam poenalia, ut compareat coram iudice loci *patrati delicti*, quo plenior ibi fiat iuris instauratio ubi facta est legis violatio. Fundamentum huius conclusionis est in *subsidio iuris*, quod iudices inter se *coordinati* praestare sibi debent in bonum universae reipublicae (1). Cf. Vol. II, *l. cit.* Sed hodie conformius est receptis moribus et conditionibus *fori ecclesias.* ut ipse iudex *domicilii*, causa iudicialiter cognita, procedat, ad instantiam alterius iudicis, ad puniendum reum (2).

(1) Domicilium ita dictum *originis* attenditur tantum quoad ordines suscipiendos, seu non parit competentiam iudicialem, nisi *actu* concurrant aut *domicilium* aut *delictum*; arg. *cap. 5. De parochiis X (III, 29).*

(2) Iure can. non viguit, seu quando etiam praesto erat iudici eccles. familia armata, *forum deprehensionis*, vi cuius auctor criminis, quocumque in loco reperiatur, apprehendi valet a iudice loci *simplicis commorationis* seu quin iudex competens ratione *delicti* aut *domicilii* deprehensionem iubeat. Schmalzg. *l. c.* n. 65, disserit de hoc iure consuetudinario, sua aetate, alicubi vigente. - At nemo non videt quam periculosum sit in ipsos reos eiusmodi forum. - In Ecclesia vero hodie nec possibilis est eiusmodi deprehensio, quum curiae careant familia armata. Sed quaeri potest an

3) Quia, praeter damnum *mediatum*, unde oritur ratio criminis (Vol. III, n. 24), adest damnum *immediatum*, seu discrimen illatum in bona privatorum civium; quaerunt DD. an iudex *loci delicti* possit agere in bona delinquentis forte *sita* in eius territorio, quamvis delinquens excesserit territorium ante citationem. Et sententia communis est affirmativa, (cf. Schmalzg. *l. c.* n. 61) nimirum iudicem posse eiusmodi bona apprehendere seu supponere sequestro aut distrahere ad obtinendam indemnitatem. Verum hodie prudentia suggerit ne iudex loci *delicti* hac potestate utatur, saltem inaudito Ordinario loci *domicilii*, etsi de clerico delinquente res sit. Semper autem integrum est iudici loci *delicti*, per litteras *remissoriales* aut *requisitoriales*, petere a iudice *domicilii* ut a delinquente ipse obtineat necessariam indemnitatem (1).

reus, utputa, a laica potestate deprehensus, qui non tantum civilia sed etiam ecclesiastica crimina patravit, puniri possit ab eccles. potestate in loco deprehensionis, quamvis ibi neque domicilium habeat neque patraverit crimina. - Verum, ex principiis supra explicatis quaestio, resolvi ita debet, nempe ut si in loco *deprehensionis* necesse sit auferre scandalum per remedia poenalia eccles. iudex haec adhibere valeat, sed antea per litteras *requisitorias* expostulet, a iudice domicilii aut loci delicti, litteras *remissorias*, si facile hoc praestari possit; - secus, nempe si in loco *deprehensionis*, non urgeant haec remedia poenalia, certior fiat iudex *domicilii* aut *loci delicti* ut ipse consulat necessitati rerum.

(1) *In codice cit. Gregoriano iudiciali poenali* hae statuuntur regulae, quae utiliter attenduntur etiam in foro eccles. - « art. 62. *Si quis accusatur pluribus criminibus in distinctis iudicum provinciis patratis, prae ceteris competit cognitio omnium criminum illi iudici in cuius provincia crimen, ratione iuris positivi, gravius admissum fuit.* - art. 65. *Quando plures ex inquisitis concurrunt in idem crimen, ille iudex, prae ceteris, negotium praeocupasse dicendus est qui prior unum ex inquisitis comprehendit, quamvis iste non sit reus principalis sed conreus ob actum praevium et directum aut concomitantem delictum* ». In foro eccles. hodie non est quaestio de physica *comprehensione*, sed de simplici *citatione* adeo ut ex edita citatione res non sit amplius *integra* et inde fit locus praeventioni.

4) In genere forum *delicti* est locus ubi crimen est *consummatum*, seu ubi crimen, alibi aut mandatum aut incoeptum, est executione perfectum et consummatum. Hac de causa, in libris improbata electionis, non attenditur locus ubi *imprimuntur* libri, sed ubi *eduntur*. Cf. Vol. III, n. 388 sq. - Ceterum quando est dubium *quinam* sit iudex competens, vel quia non apparet ubi crimen est consummatum vel quia DD. quaestionem diversimode resolvunt tunc est *locus praeventioni*. Schmalzg. *n. 69.*

167. Sed adsunt personae privilegiatae, quae huic regulae non subsunt; nimirum Episcopi, quorum causae videri debent in Concilio provinciali vel si graviores a S. Pontifice, ex Concil. Trid. *sess. 13, cap. 8, De ref.;* item Regulares; sed ius Tridentinum limitationes apposuit, decernens Regularem, qui, degens extra claustra, delinquit aut intra claustra delinquit sed cum scandalo fidelium, ab Episcopo loci ecclesiastica animadversione compesci valere: cf. *sess. 6, cap. 3 De ref. et sess. 25, cap. 14 De regularibus;* Clem. VIII Const. « *Suscepti* » *a 1596;* et Const. Pauli V - *Religiosorum - a 1607.*

168. In foro ecclesiastico non fas est iudici reum deprehendere quem in suo territorio reperit commorantem; siquidem non viget iure ecclesiastico *forum deprehensionis*, uti consideramus *in nota*, quia reus sortitur forum aut *domicilii* aut *delicti;* arg. cit. *cap. 20 De for. compet.* Nihilominus *vagi*, quippe nullibi habent domicilium, ne impune delinquant, quum facile egredi valeant e territorio ubi crimen patratum est, deprehendi valent ubi reperiuntur ob crimina alibi patrata; seu sortiuntur *forum deprehensionis*. Convenit apud omnes DD.: cf. Schmalzg. *h. t. n. 66.* - Quoad curias eccles. hoc forum etiam hodie, quum deficiat familia armata, ita intelligi debet, ut Episcopus loci ubi *vagus* commoratur, possit eumdem *citatione* praevenire ut respondeat coram eius tribunali de criminibus alibi admissis. Hoc facere aliquando oportet ad auferendum scandalum.

169. Quum competentia *territorialis* seu determinata *ra-*

tione territorii inducta sit in *bonum privatum,* cives seu fideles valent prorogare competentiam iudicis *ordinarii* de persona in personam, de re ad rem, de loco ad locum, de tempore ad tempus; iudicis vero *delegati* de loco ad locum, de tempore ad tempus; uti explicavimus Vol. I, n. 342.

Iamvero etiam in re criminali viget regula generalis, nempe *per se* dari *prorogationem competentiae* ex voluntate partium, nempe *actoris* et *rei*, uti bene advertit Pirhing, *h. t.* n. 188 contra alios DD. ibi excussos, qui contrariam regulam ponunt. Inquam *per se;* nam in *re criminali* illud est singulare, scilicet invigilandum esse ne accusator et reus *colludant*, prorogantes competentiam ut iustitiae punitivae praecludant aditum. Siquidem in *re civili* eiusmodi periculum non obstat prorogationi, quia partes vi prorogationis censentur renunciare iuri suo seu transactionem facere. Ast in re *criminali* transactioni non est locus, quia non agitur tantum de iuribus privatorum civium. Cf. Vol. I, *l. cit.* Quamobrem absolute non prohibetur prorogatio, sed caute vigilandum ne *collusionis* crimen admittatur. Cf. in hoc Vol. quae explicavimus supra n. 67 de hoc crimine. - Praeterea prorogationi, in re criminali, aliae faciendae sunt limitationes, quae tamen derivant ex parte *iudicis* seu ex modo procedendi. Sane conceptus prorogationis est, actorem aut reum in quorum bonum constituta est competentia *territorialis*, posse, renunciantes iuri suo, adire iudicem *territorialiter* non competentem proindeque eius competentiam prorogare.

Quare facultas prorogandi minime pertinet ad iudicem, quia de re agitur ad partes tantum spectante et planum est. Iamvero quando iudicia instaurantur per viam *accusationis*, *per se*, uti significavimus, integrum est accusatori et accusato prorogare competentiam iudicis; quum vero processus fit ex *inquisitione* ex *officio* iudicis, tunc iudex non valet inquirere in reum non sibi subditum aut ratione *domicilii* aut *delicti.* Quae limitationes revera, ita coarctant *ius prorogationis* in crimina-

libus ut sub hoc aspectu, seu *practice*, nonnulli DD. absolute asserant, in criminalibus *prorogationem competentiae* non admitti. Eo magis quod hodie *accusator* est publicus officialis et hic, quum agere debeat in ambitu sui *territorialis officii*, prorogatione competentiae non utitur.

170. Species prorogationis est reconventio seu mutua petitio et quaeritur an reconventio locum habeat in causis criminalibus. Schmalzg. tit. *De mut. petit.* n. 11. ait: « Respondeo distinguendo inter quatuor casus de quibus dubium istud potest procedere, vel enim 1) *civiliter* conventus vult *criminaliter* accusare, vel 2) accusatus *criminaliter* vult accusatorem *civiliter* convenire, vel 3) accusatus *civiliter* vult etiam *civiliter* accusare, vel denique 4) *criminaliter* accusatus vult accusatorem suum etiam *criminaliter* accusare ». Iamvero in *primo* casu non sequitur huiusmodi reconventio, quippe criminalis et civilis actio convenire inter se non possunt in eodem iudicio quasi mutuae petitiones; unius enim obiectum discrepat omnino ab alterius obiecto; imo, in bonum publicum, accusationis criminalis antea est expediendum iudicium. - In *secundo* casu, ob eamdem rationem, non admittitur reconventio neque permittenda est *cumulatio*, quia gravius negotium *criminale* non est impediendum a *civili* controversia. - In *tertio* casu, reapse, reconventio est civilis, quamvis exorta occasione causae criminalis; proindeque nullimode prohibentur mutuae petitiones. - Demum in *quarto* casu, per se reconvenire non fas est, quia reconventio *concedilur* ad minuendam vim et efficaciam alicuius actionis, (cf. vol. I, n. 172 sq.) at in criminalibus si accusator vicissim, accusetur ab accusato, non minuitur utriusque criminis imputatio et poena; quod eleganter expressit Ulpianus aiens *in l. 5. ff. De pub. iud.* « Si quis reus factus est, purgare se debet, nec ante potest accusare quam fuerit excusatus; *constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum sed innocentia reus purgetur* ». Nihilominus reaccusandi ius tribuitur accusato

quando ipse suam vel suorum persequatur iniuriam, *ex l. 19 Cod. De his qui accus.* aut exinde, dum criminis auctorem, revelat, se a criminis imputatione excusat; arg. *l. 14, § 6, ff. De bonis libert.* - In hisce enim casibus et aliis similibus, reconventio naturam servat legitimae defensionis; cui scopo est comparata Vol. I, *l. cit.* - Hodie, quia accusatio instauratur a publico accusatore, reconventionum usus videtur fieri non posse; attamen *accusatorium* populare systhema non est in foro eccles. abolitum, eo magis quum admittantur *fisco adhaerentes*, quamobrem istae notiones explicandae erant. Cf. Schmalzg. *l. c.*

171. Denique prorogationi est locus ob connexionem seu continentiam causarum; valet enim aeque in criminalibus regula, continentiam causarum non esse scindendam. Cf. Vol. I, n. 344 et Schmalzg. tit. *De iud.* n. 72, et *De for. comp.* n. 139 sq.

172. Si vero *dubia* sit competentia tunc iudex diluit hanc quaestionem. Siquidem *cuiusque iudicis* est videre an sua sit competentia; arg. *l. 5. ff. De iud.* Si facta diligenti inquisitione *dubium* perseverat, tunc e *praeventione* desumitur competentia. Schmalzg. *de cleric. coniug.* X (III. 2) n. 136.

Sed apprime est distinguenda exceptio *de incompetentia* ab exceptione *de suspicione*. Nam haec, si agatur de tribunali collegiali, dirimi potest a reliquis collegii iudicibus non suspectis per vota maiora, quasi *arbitris* in re constitutis. Nam haec exceptio, ex iure communi, per arbitros est expedienda; arg. c. c. 10 De *foro compet.* X (II. 2) *et 61 De appell. X (II, 28)* cf. Vol. I, n. 350 sq. - Hodie vero, si practice difficilis sit arbitrorum constitutio, facilis patet recursus ad Sanctam Sedem.

Quod si conflictus competentiae enascatur inter diversos iudices, tunc fit locus processui iam explicato Vol. I *l. cit.*, non secus ac in causis civilibus.

TITULUS III.

DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS.

Summarium. — 173. De obiecto iudiciorum criminalium. — 174. Obiectum IMMEDIATUM est actio criminalis quae definitur. — 175. Actio criminalis, iure canonico, est *ius persequendi omnimoda remedia poenalia* sive PRAEVENIENTIA, sive REPRIMENTIA. — 176. Publicus accusator seu promotor fisc. accusat innixus cuidam actioni. — 177. De accusatione in processu pure inquisitivo. — 178. De querela. — 179. De adhaerentibus fisco. — 180. Instantia criminalis. — 181. Explicatur quo modo processus accusatorius-inquisitivus adhibeatur etiam in causis spiritualibus et, cum primis, in matrimonialibus. — 182. De exceptionibus. — 183. De monitione canonica et praecepto.

173. Agentes de iudiciis civilibus *vol. I, n. 180* probavimus *actionem* esse obiectum *immediatum* iudiciorum; ipsa *iura* autem esse obiectum *mediatum*. - Non secus in criminalibus iudicia *immediate* instaurantur ob institutam actionem criminalem et definiunt an admitti aut respui debeat instituta actio; *mediate* autem seu per *consequens* versantur circa ipsa crimina; siquidem accusatio seu criminalis actio commode definiri valet: *ius persequendi in iudicio poenam seu publicam vindictam adversus delinquentem.*

174. Sane in hisce iudiciis quaeritur an accusator probaverit factum accusationis obiectum et utrum eiusmodi factum mereatur poenam quam postulat accusator; seu aliis verbis, quaeritur, an sit locus actioni seu accusationi instauratae adversus accusatum. Nam non sufficit probare, reum patrasse aliquod factum, suapte natura malum, sed ulterius probandum est, illud factum subesse legi poenali, nimirum persecutioni cuiusdam actionis criminalis. Cf. Suarez, *De legibus III, c. 12, n. 11 sq.* et *IV, c. 11, n. 2 sq.* Veluti privatus civis aliquando suum

aggressorem iuste perimit, dummodo servet moderamen inculpatae tutelae Cf. vol. III, n. 30. Proinde etsi adsit vitium morale, quia utputa aggressus, libenti animo, occidit suum aggressorem quem odio afficiebat, tamen in aggressum non est locus actioni criminali, si iste se defendat exceptione, se *moderamen servasse inculpatae tutelae.*

175. Actio criminalis in iure *eccles.* est *ius persequendi remedia poenalia* constituta ad reparandam criminis deordinationem; in iure autem poenali eccles. illud est singulare, pro indole societatis eccles., ut haec remedia (quod cavet cit. Inst. EE. et R. R.) alia *proxime* crimina *praeveniant*, alia *reprimant* et *medelam afferant.* (Art. 2) Inquam *proxime*, etenim dum omnes leges constituuntur ad praeveniendas deordinationes in constitutione iuridica societatis; remedia poenalia ordinantur hisce remediis praeveniendis aut reprimendis quoad singulum civem qui delictum iam patravit vel iam iam patraturus est, nisi sedulo removeatur. - Finis Ecclesiae est santificatio singulorum, eiusque iuridica constitutio socialis, (Cf. Vol. III, n. 13) huc spectat ut per media idonea, etiam *poenalia*, singulos removeat a malo patrando et ad hoc adhibet *moniliones*, *praecepta*, *censuras*, *poenas proprie dictas*, quibus consulit tum sanctificationi singulorum, tum bono universae societatis.

176. Nedum privatus sed publicus quoque accusator opus habet actione criminali ut instauret iudicium et obtinere valeat sententiam iudicialem condemnationis. - Privatus accusator aliquando caret criminali actione quia respuitur ad agendo, veluti laicus non admittitur in genere (supra n. 133) ab accusandum clericum. - Publicus autem accusator non patitur has *personales* exceptiones, sed tantum ab accusatione arcetur, si poenam quam expetit in accusatum, vi iuris, expeti non valet, quippe accusatio, qua actio, est ius persequendi poenam in iudicio. Verum publicus accusator non tantam *ordinariam* et *arbitrariam* sed etiam *extraordinariam* poenam persequi valet iudi-

ciliter, dum accusator privatus, per se, tantum poenam *ordinariam* expetere valet in accusatum, non *extraordinariam; arbitrariam* vero tunc persequi valet, quando in textu iuris poena decernitur sed iudici relinquitur determinanda. Hoc pendet ex ipso conceptu actionis popularis criminalis, quae *suum ius populi tuetur*, arg. l. 1. ff. *De popularibus actionibus*, nempe ius lege recognitum et poenâ munitum.

177. In processu *mero inquisitivo*, uti supra n. 108 vidimus, adest *accusator virtualis;* siquidem *ius accusandi* non exercetur a persona distincta physice a iudice, sed ab ipso iudice. Revera iste *accusator virtualis*, uti docet Pellegrini *l. cit. Sect. II, n. 19*, est diffamatio seu *clamorosa insinuatio*, ceu loquitur Innocentius III in *cit. cap. 24 De accus.*, quaeque expostulatur ut quis rapi possit in iudicium quia *de occultis non iudicat Ecclesia*, arg. cap. 33, *De Sim.* X, (V. 3); sed, reapse, accusationis instantiam in iudicio *mere inquisitivo*, quantumvis praecedat infamia, exercet ipse iudex.

Praeterea ipse Pellegrini docet n. 45 *seq.* et nos iam explicavimus, iudicem posse *ex officio*, nulla praevia denunciatione aut infamia, instaurare *inquisitionem specialem*, maxime ad avertendum periculum animae, ad emendationem delinquentis, ad gravius praecavendum discrimen reipublicae. In eiusmodi processu non deest actus accusationis et hinc *ius accusandi* ad poenam aut censuram infligendam, quod ius si deficeret, processus esset iniustus et sententia condemnationis irrita.

178. Accusationis species est *querela*, quippe est *accusatio* criminis ab eo facta qui *e crimine iniuriam, offensionem aut damnum retulit*, uti statuit *cod. cit. Greg. art. 145.* - Haec querela est *formalis* seu in forma accusationis, quoties querelans agit partes actoris seu accusatoris, quod praestare valet in foro ecclesiastico ubi adhuc viget systema *accusatorium purum*. Tunc *querela* est ipsa actio criminalis, quam civis laesus, una eademque instantia, persequitur tum ad publicam vindictam, tum

ad privatam indemnitatem. - Querela est *simplex*, si querelans dumtaxat crimen iudici *denunciat iudicialiter* (cf. supra n. 111), ea intentione ut ex argumentis allatis et ex aliis inquisitione a iudice colligendis, iudicium instauretur et sententia edatur condemnationis in delinquentem, constituta congrua indemnitate praestanda ipsi querelanti. - Tunc querela est species *denunciationis*, siquidem actionem persequitur ipse promotor fiscalis, tum ad publicam vindictam, tum ad privatam indemnitatem.

179. Porro hodie, uti docuimus, systema *pure accusatorium* in more non est, etiam penes tribunalia eccles. quia accusationem instaurat promotor fiscalis, veluti actor in iudicio. - Codex cit. Gregorianus *art. 158* admittit *adhaerentes fisco*, qui vere fiunt *actores in iudicio*, sed non *principales*, sed quasi in subsidium promotoris fisc. cuius est urgere actionem criminalem. Quod apprime adverti debet; inde enim sequitur; 1.° quod adhaerens fisco si revocet eiusmodi adhaesionem, non exinde cessat instantia sed hanc prosequitur promotor fisc., uti cavet cod. Greg. *art. 166;* et 2.° dum ex iure rom. *in lege. 5. ff. De popul. act.* prohibetur accusatori procuratorem constituere; ex adverso, idem *cod. Greg. art. 164* procuratoris constitutionem permittit *adherenti fisco*, quippe qui non principalem sed accessoriam personam agit.

Qui vero petit fieri *adhaerentem fisco*, expetat oportet a iudice veniam ut taliter admittatur in iudicium, uti iubet *art. 161 cod Greg.* - Uti enim nemo accusatoris partes explere valet in iudicio, nisi *postulationem* faciat iudici, multo magis *postulatione* adhaerenti fisco opus est et apposita iudicis admissione Cf. supra n. 106.

Adhaerentes fisco admitti posse in iudicio eccles. quamvis de hisce mentio non habeatur in fontibus, explorati iuris est. et praxis communis ita fert hodie, potissimum in causis matrimonialibus.

180. Prouti *in re civili* differt *instantia* ab *actione*, quia

instantia est exercitium iuris quod in actione continetur, ita eadem distinctio observatur in re *criminali*. Proinde definitio accusationis, quae passim a canonistis ita concipitur, (Pellegrini *loc. cit. Sect. III n. 1*) nempe, accusatio *est delatio alicuius criminis ad vindictam publicam legitima interveniente subscriptione*, non est definitio accusationis, qua est *actio*, sed qua est *instantia*. - Praestat eiusmodi distinctionem innuere non tantum utpote respondentem proprietati conceptuum, sed maxime quippe *practicam*. Nam in processu pure *accusatorio*, *instantia* incipit ab ipsa *inscriptione* accusatoris. - In processu mere *inquisitivo* incipit a *contestatione criminis*, quam facit iudex ipsi reo postquam, auditis testibus pro informatione curiae et aliis exquisitis probationibus, concipit actum accusationis adversus reum, eumdemque, factis interrogationibus, respondere iubet. Tunc ex responsionibus rei contradicentibus accusationi, at eamdem, saltem plene, non diluentibus, enascitur contestatio et *instantiae inchoatio*.

Proinde per inquisitionem vel *specialissimam* non habetur *instantia criminalis*, quousque inceepta non sit accusatio in delinquentem. - Item in processu *mixto* non inchoatur *instantia* quousque promotor fisc. non contestatur accusationem. - Inchoata semel instantiâ, haec debet vel absolutione rei, si non ab *accusatione* saltem *ab observatione instantiae*, expediri vel condemnatione. - E contra simplex inquisitio, vel *specialissima*, quousque facta non est *accusationis contestatio* vel assumitur vel intermittitur vel iterum instauratur ex decreto iudicis et ad instantiam promotoris fisci.

181. Obiectum iudicii *inquisitivi* et *accusatorii* sunt actiones criminales et exinde ipsa crimina. Inde explicari debet sub quanam ratione processus *inquisitivus* et *accusatorius* exerceatur etiam, in foro eccles., circa iura spiritualia, veluti ad definiendas causas matrimoniales, iuxta rubricam. « *Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari* » X (IV. 18).

Praeterea accusationis obiectum sunt non tantum impedimenta matrimonialia sed cetera quoque, quae arcent a sacris ordinibus vel ab officiis aut praebendis eccles.: huc quoque spectant *actiones populares* in iure can. - Cf. Maschat. *Inst. can. II. De caus. crim. tit. I, § 1, seq.*

Huiusmodi autem impedimenta sive tantum impedientia sive dirimentia per viam *accusationis*, aut *inquisitionis*, aut *denunciationis* pertrahi valent in contentionem iudicialem, sive ille qui eiusmodi laborat impedimento crimen patraverit, sive a crimine immunis sit. Et hoc est singulare in Ecclesia, quia crimina non compescuntur proprie *ad vindictam*, sed *primo* ad emendationem delinquentis et *secundo* ad deterrendos ceteros; et crimina non tantum reprimuntur poenis sed sollicite praeveniuntur ut sanctitas morum detrimentum non patiatur. Inde sunt concessae *actiones populares* ad accusanda impedimenta; nedum enim Ecclesia ipsa advigilat, at etiam fideles per legem generalem et per singulares denunciationes excitantur ut *accusent* eiusmodi impedimenta ne in haec offendant incaute homines christiani. - Pro praxi, est magni momenti processus vel pure *accusatorius* vel *mixtus* servandus in causis matrimonialibus et hunc explicabimus in parte speciali.

182. Sed crimina et impedimenta opponi possunt vel per modum *actionis*, vel per modum *exceptionis*. - Exceptio est *exclusio actionis*, et proinde *excipiuntur* crimina et impedimenta, quando *opponuntur ad excludendam actionem vel postulationem alicuius*. Ita accusator deicitur ab instituta accusatione ob *exceptum* crimen, unde ipse evadit inhabilis ad accusandum; et clericus vel a sacra ordinatione vel ab officio aut a beneficio, et sponsus ab ineundis nuptiis repellitur propter impedimentum *vi exceptionis* oppositum. - Quocirca intentio excipientis, quamvis crimen gravissimum excipiat, non est persequi poenam sed tantum excludere aliquem a sua actione aut postulatione. Haec exceptio dicitur *civiliter* facta ut distinguatur ab

exceptione *criminaliter* obiecta, qua excipiens intendit aliquem de crimine postulare ad poenam aut saltem aliquo impedimento affectum probare ut deiciatur ab officio aut beneficio iam possesso: tunc revera, uti docuimus supra, non *exceptio* sed *actio* criminalis, instauratur.

Proinde hoc est proprium eiusmodi exceptionis *civiliter* obiectae, excipientem non teneri poena calumniatorum, si in probando deficiat, prouti statutum est quoad accusatores.

Ceterum crimina excipiuntur non tantum in iudicio criminali sed etiam in civili, quippe exceptio est modus defensionis; eiusque intentio est *civilis* seu ad effectum *civilem*, non ad poenam. In iudicio autem criminali, exceptiones respicientes vel meritum causae vel personam iudicis vel personas contendentium opponuntur non secus ac in iudicio civili et sunt vel *peremptoriae* vel *dilatoriae*. Cf. Vol. I, n. 170 sq.

183. Denique advertatur cum conceptu actionis criminalis eccles. arcte connecti notionem *monitionis canonicae et praecepti*, quatenus haec sunt *remedia poenalia*. - Nam proprium est systematis poenalis eccles. ut integre ordinetur ad sanctificationem fidelium et, in primis, clericorum. Exinde de remediis poenalibus ita habet *Inst. cit. EE. et RR. art. 2.* « *Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt.* PRIORA *ad hoc diriguntur, ut impediant quominus malum adveniat ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur.* - ALTERA *finem habent revocandi delinquentes ut resipiscant reparentque admissi criminis consequentias* ». Siquidem actiones criminales eccles. continent ius persequendi in iudicio poenas vel *medicinales*, vel improprie *vindicativas* vel media *coercitiva praevenientia*. Haec autem remedia *praevenientia* ita recenset *cit. Inst. art.* 4. « *Mediis quae praeservant, praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta* ». Art. 5. « *Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio*

quae ab Ordinario notanda est ut AD ULTERIORA *procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat Superiorem Auctoritatem in casu legitimi recursus* ».

Quo ex articulo patet, hic non agi de remediis ab Episcopo ordinatis in communem vel fidelium vel clericorum aedificationem, veluti de exercitiis spiritualibus obeundis, stato tempore, ab omnibus sacerdotibus nec de monitionibus editis ab Episcopo pro universo populo, neque de praeceptis factis in communem dioecesis utilitatem etiam comminatis poenis, veluti de excommunicatione lata in eos qui aliquem librum vel ephemeridem legerint expresse prohibitam; sed hic agitur de eiusmodi remediis *coercitivis* latis post institutam inquisitionem *specialissimam*, unde Episcopo notitia derivata est de gravi periculo, in quo aliquis obversatur, cum admiratione fidelium, gravius offendendi in legem Ecclesiae. Exinde Ordinarius ad removendum periculum animae cuiusdam fidelis et scandalum omnium fidelium, unum applicat, quod putat magis idoneum, ex remediis *praeservantibus* modo recensitis. - Sed istud remedium, quippe promanat ex *magisterio poenali* quamvis *praeventivo*, onerat famam illius, qui ostenditur in crimen pronus et pene consentiens, proindeque ab hisce remediis iste *appellationem* aut *recursum* interponere valet; cui deferre debet idem Ordinarius, probans se legitime processisse ad eiusmodi remedia ob argumenta collecta ex inquisitione *specialissima*. Hac de causa, praecipit art. 5. ab Episcopo caute exaranda esse *in actis* quae deducuntur ex *summaria facti cognitione*. Siquidem iudicium appellationis hoc quaerit scil., an Ordinario ius constiterit persequendi haec remedia poenalia *praeventiva* in appellantem. - Haec innuisse sufficiat ad explicandam notionem *monitionis canonicae* et *praecepti* quatenus haec remedia conveniunt cum conceptu *generico* actionis poenalis ecclesiasticae.

Parum interest utrum monitiones appellentur *paternae*, *charitativae* aut *canonicae;* illud enim distinguit monitionem

poenalem, qua de agimus, a simplici monitione *amicabili* et *exhortativa;* quia illa monitio promanat sive publica sive secreta, ex magisterio publicae potestatis *poenalis*, cuius exercitium conformari oportet iuri tum publico tum privato societatis religiosae. Monitio eiusmodi *poenalis* ita describitur a *cit. Inst. art. 6.* « *Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta (etiam per epistolam aut per interpositam personam) sive in forma legali* ITA TAMEN UT DE EARUM EXECUTIONE CONSTET EX ALIQUO ACTU ». Actus conficitur ad *constituendam probationem* necessariam in *foro externo*.

Praeceptum a monitione distat, quia per *monitionem* quis revocatur ad observantiam legum et obligationum sive generalium sive singularium, dum *praeceptum* aliquid iubet fieri aut omitti sub poenali sanctione. De praecepto haec habet *cit. Inst. a. 7.* « *Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit curiae ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum, in quo declaretur quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione quam incurret in casu transgressionis* »; art. 8. « *Praeceptum intimatur praevento a cancellario coram Vicario Generali, sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis* ». Praeceptum est remedium *praeventivum poenale* gravius *monitione*, proindeque *a fortiori* ius competit appellationis ei qui praecepto tenetur. Hac de causa praecepto edendo non minus quam monitioni praemitti debet diligens inquisitio *specialis* et *specialissima*, seu illa *summaria facti cognitio*, quam iubet fieri articulus 5, et ab Ordinario probationes inde collectae religiosissime asservandae sunt in archivio pro necessitate forsan exoritura satisfaciendi iudicio appellationis.

CAPUT I.

DE MODIS QUIBUS CESSAT AUT EXTINGUITUR ACTIO CRIMINALIS.

Summarium. — 184. Declaratur status quaestionis. — 185. De transactione seu de remissione. — 186. De compositionibus. De abolitione seu de dispensatione, absolutione et indulto. — 187. De praescriptione. Conceptus et fundamentum praescriptionis *in re poenali* — 188. An haec admittatur iure eccles. Explicatur ius positivum. — 189. De praescriptione poenae. — 192. De die a quo decurrit praescriptio. Quomodo haec interrupatur et suspendatur. De iure asyli. — 191. De sententia absolutoria. — 192. Cessat actio criminalis morte accusati. An perimatur instantia morte accusatoris et de peremptione instantiarum.

184. Actiones *civiles* pluribus modis cessant, non *secus* ac *obligationes*, veluti praescriptione, transactione, solutione, donatione, interitu rei. Actiones vero *criminales* aliter extingui necesse est, quia hae pertinent in primis ad *bonum publicum*, quod non subiicitur privatorum conventionibus.

Nam advertere praestat, actionem et civilem et criminalem, una simul, *causam* habere ab eodem facto *noxio*, attamen unam et alteram habere *finem* omnino diversum. Siquidem ex isto facto *noxio* exoritur ius ad indemnitatem seu ad resarciendum damnum *immediatum* et *mediatum*. Actio *civilis* tendit ad reparandum *immediatum; criminalis* ad reparandum damnum *mediatum* seu publicum. Actio *civilis* continet ius privatum civi pertinens; *criminalis* ius spectans ad rempublicam. Quare actio *criminalis popularis*, etsi concessa civi privato quoad exercitium, tamen suapte natura, protegit bonum publicum. Denique actio criminalis a civili est independens in sua existentia, et in suo exercitio; quare unâ peremptâ, non exinde alia perempta habetur. - Praeterea actio criminalis, quippe persecutoria poenae, potest considerari vel *qua* est ius accusandi civem iudicialiter ad publicam vindictam, vel *qua* est ius obtinendi poenae

executionem vi *actionis rei iudicatae* post sententiam condemnatoriam. - Huiusmodi autem actionem criminalem nostrum est accipere integre in ambitu suo, nempe quoad diversas species remediorum *poenalium*, quibus constat poenalis disciplina ecclesiae vel ad *proxime* praeveniendum vel ad reparandum damnum *mediatum* (1).

185. Hisce praehabitis, sequitur locum non esse *transactioni* ad extinguendam sive accusationem sive poenam; quia in Ecclesia non adsunt delicta vere *privata*, quae recognoscebantur in iure romanorum, quaeque secumferebant *actionem poenae persecutoriam* in bonum privati civis. Inde in re poenali eccles. non fieri locum transactioni probavimus, Vol. I n. 11, agentes *de transactionibus*. Si vero ageretur de criminibus, quae compescuntur ad instantiam *partis laesae*, in hisce intelligitur *remissio* - quia unusquisque *iuri suo* renunciare potest. Sed Princeps, pro *publica potestate*, qua pollet in bonum *publicum*, *abolere* potest ipsum *ius accusandi*, sive *generatim* quoad omnes delinquentes, sive *speciatim* quoad *singularem* delinquentem. Nam aliquando magis conducit ad bonum *publicum* poenam relaxare quam istam urgere.

186. Iure romanorum modus potissimus ad extinguendas accusationes et poenas recensebatur *abolitio* sive *generalis* sive *specialis*, sive *legalis*, ad normam *l. l. 8 et 10 ff. tit. Ad S. C. Turpillianum et de abolitionibus criminum*. Abolitio, uti habet Duranti *Specul. lib. III, part. 1, tit. De abolit.* - est *accusa-*

(1) In propositum conferri possunt Haus *Doctrina iuris naturalis*, Gandavi 1824; Bergero, *Electa iuris criminalis* Obs. 71; Jousse, *De la justice criminelle en France*, Paris, 1771; Rave, *De praescriptione* (Halae), 1790; Hoorebeke, *De la prèscription en matière penale*, Bruxelles, 1847; Trèbutien, *Cours élémentaire de droit criminel*, Paris, 1854; Helie, *De l'action publique*, Bruxelles, 1853; Henkel, *Utrum delictorum poenae praescriptione in foro recte tollantur, nec ne*, Vitebergae, 1793; Riedel, *De praescriptione criminum*, Berolini, 1831; Carrara, *Programma* §§ 574, 714 sq.

tionis peremptio, quae est *generalis*, si a Principe concedatur ex sua indulgentia. Est *specialis* quae decerni poterat a Praesidibus, si accusator legitima de causa expostulabat solvi ab obligatione prosequendae accusationis per inscriptionem susceptae. *Legalis* appellata est abolitio quae lege fit, *mortuo accusatore vel, ex iusta causa, impedito quominus accusare possit; arg. l. 10, prol. cit. tit.* - Cf. Herrman. *De abolitione criminum ac sententiarum iure rom.*, Lipsiae, 1834.

Iure eccles. *abolitionis* nomen non usurpatur, sed rei substantia non deest. - Etenim et Princeps supremus, seu Papa, et ipsi Episcopi, qui in sua dioecesi *habent merum et mixtum imperium* (Vol. I, n, 41) possunt *gratiam facere promeritae* poenae. Sed Episcopus *gratiam facere* non potest nisi sub certis conditionibus, quae spectant ad potestatem *dispensandi* et ad speciales normas ordinis iudicialis. Nam in iudicio accusatorio iudex ordinarius potest, iusta de causa, aliquem absolvere a munere prosequendae accusationis; arg. *cap. 14, De accus. X* (V, 1). Haec est abolitio *specialis*. - Hodie, per hanc abolitionem Episcopus promotorem fiscalem eximit ab onere suo institutam inquisitionem aut accusationem ulterius prosequendi (1) dummodo consentiat *accusatus* atque id expostulet bonum publicum. Nam si *accusatus* confidit, se probaturum suam innocentiam, respuere potest *gratiam* aut *dispensationem*, quae intermittat prosecutionem cognitionis iudicialis. - Ipsum vero bonum *publicum* aliquando magis exoptat poenae relaxationem et actionis abolitionem seu *gratiam* quam severam poenae applicationem; et haec est ratio iuridica huius extraordinariae potestatis in moderatoribus rei publicae.

Abolitio *generalis* fit per dispensationes aut absolutiones, (Vol. III, n. 103 sq.) quae a S. Pontifice impertiri possunt pro universa Ecclesia. Huc spectant *indulta* quibus resolvuntur effectus poenales ex indulgentia Principis. Episcopis autem potestas

(1) Inst. cit. Prag. §§ 55-57.

competit *abolitionem* edicendi *specialem* seu in casibus *particularibus*.

Abolitio *legalis* morte accusatoris quomodo fiat iure ecclesiastico infra dicemus.

Demum inter *abolitionem* et ordinariam actionis criminalis *persecutionem* medium tenet locum ius admittendi reum ad *compositionem*. Nam non admittitur *transactio* ineunda inter accusatorem et accusatum; sed fieri potest *compositio* auctoritate iudicis; qui cum valeat integre poenam remittere, nempe in certis casibus, multo magis potest statutam poenam in alium modum satisfactionis commutare. Hic modus satisfactionis est solutio pecuniae in certa summa a iudice singulis vicibus statuenda, quae deponenda esset penes *depositarium mulctarum* (Vol. III, n. 182) vel (quum hodie constitui non soleat hic *depositarius*) penes ipsam curiam deponi statuitur ut eadem pecunia *in pios usus* erogetur. - Non admittitur reus ad *compositionem*, nisi ad eius instantiam; quod si crimen nullimode sit controversum, tunc Episcopus admittere valet ad *compositionem*, dummodo crimen unum ex illis sit in quibus ipse *valet dispensare*. Et quia Episcopus potestatem habet dispensandi etiam poenas *ordinarias* (Vol. III, n. 112 sq.) non video, quare Monacelli *Part. II, tit. 15, form. 3, n. 8*, limitat hanc potestatem Episcopi ad poenas *extraordinarias*. - Si crimen vero est iudicialiter controversum, Episcopus non debet admittere rei instantiam ad *compositionem*, nisi postquam ex causae agitatione, nempe ex argumentis accusationis a fisco explicatis et defensionis ab accusato obiectis, satis constiterit de criminis qualitate et gravitate, et planum est. - Usus vero *compositionis* seu *mulctarum* tunc est legitimus quum minime redoleat avaritiae labem, idemque sit magis efficax quam ipsa poena ad restaurationem ordinis socialis, in primis, ad auferendum omne *scandalum*. - Hae conditiones autem hodie non ita difficile obtineri posse videntur in *compositionibus*, uti opinatur Bouix *De iud. II p. 546.*

187. Modo ingredimur salebrosam quaestionem, nimirum de praescriptione actionis *criminalis* in iure eccles. In antecessum advertimus fundamentum praescriptionis *in re civili* et rationem esse, civium excitare solertiam in rebus suis perquirendis et illorum punire ignaviam qui negligunt res suas sibi persequi ac vindicare; EXPEDIT *enim reipublicae dominia rerum certa esse;* arg. *l. 1, ff. De usurp. et usuc.*

Quaeritur modo an praescriptio *in re criminali* fundamentum habeat in eadem rerum necessitate, nempe ideo praescribi actionem criminalem, quippe ille cuius erat illam instaurare, per certum tempus neglexerit suo uti iure. - Iamvero quia actio *criminalis* distat a *civili* quantum bonum publicum a privato, absonum est admittere, praescriptionis effectum utrique fuisse tributum a iure positivo ob eamdem causam. - Sane ius accusandi pertinet ad rempublicam; quae hodie per magistratum, promotorem fiscalem, eiusmodi actionem instaurat. Hic ex suo munere accusare debet, et si negligit accusare, delinquit. Quare si eius negligentia in accusando pareret praescriptionem actionis, duplex haberetur discrimen. Respublica veluti ratam haberet atque probaret magistratus negligentiam et deinde scelestum civem a poena immunem dimitteret. - Ex adverso iure merito de civili actione statuitur, civem suo iuri praesumi renunciasse qui actionem tanto tempore instaurare neglexit; aut saltem de sua desidia illum puniri, per amissionem rei a possessore praescriptae, aequum esse cavet *lex 28 ff. tit. De verb. signif.* statuens: *vix est enim ut non videatur alienare qui patitur usucapi.* - Nihilominus actio quoque criminalis, quippe continet ius reipublicae proprium, resarciendi damnum *mediatum* ex crimine proveniens, congruum est ut aliquo post tempore praescribatur quia damnum *mediatum*, suapte natura, tractu temporis evanescit seu cessat illa ordinis socialis perturbatio crimine inlata; unde fluit principium, poenam eo esse efficaciorem quo citius sequitur delictum. - Alia ratio repetitur ex *ipso* criminoso, qui

post diuturnum tempus difficilius experiretur suam defensionem. Nam in re criminali probatio potissimum obtinetur per testes; at hi progressu temporis vel decedunt vel facta obliviscuntur. Testium autem facilis est corruptio; quocirca si accusator auro et muneribus comparet sibi testes et data opera differat accusare quando accusato amplius non suppetunt testes in suam defensionem, fit ut insontes cives facile patiantur, quacumque destituti defensione, calumniatorum fraudes et odium. Inde necessitas praefiniendi tempus exercitio actionis criminalis quae prospicit, in primis bono publico, seu tutelae inservit iustitiae. - Quare non videtur probanda illorum opinio, qui arbitrantur praesumendum esse, cives renunciasse exceptioni praescriptionis nisi illam obiiciant. Verum, e contra, quae ordinata sunt in bonum publicum, *ex officio* a iudice invocanda sunt (1).

188. Romani institutum praescriptionis antea inductum pro actionibus *civilibus* extenderunt sensim ad rem *criminalem;* et invaluit principium quod continetur *leg. 12, Cod. Ad leg. Cor. De falso:* « *Querela falsi temporalibus praescriptionibus non*

(1) Alia consequentia quae fluit ex ratione poenali praescriptionis est, non admitti *interruptionem* ob aliqua acta processualia; secus in abitrio esset accusatoris effugere vim praescriptionis. Ceterum regula - *contra non valentem agere non currit praescriptio* - non facit ad rem criminalem. - Admitti autem potest *suspensio*. Cf. Carrara § 718. - Ceterum nemo non videt, nos hactenus disseruisse de iure *constituendo* seu de notione *abstracta* praescriptionis; ast praescriptionis institutum in *re crim.* iure rom. inductum plurimum distat ab hisce regulis, non secus ac cetera instituta iuris criminalis, quae ob ipsam conditionem iuris publici in ethnica societate, pertingere non valuerunt ad fastigium perfectionis, prouti factum est de institutis iuris civilis privati. - Ius canonicum, vel saltem praxis forensis, eiusmodi praescriptionis institutum mutuatum est a iure rom. sed defectibus nativis huius instituti, in foro eccles. alius additus est defectus, scilicet difficultas applicandi hoc institutum in foro eccles. habita ratione *iuris publici eccles.* - Equidem praxis forensis non parum *dubia* et *inconstans*, quam infra exponemus, satis probat hanc assertionem.

excluditur nisi VIGINTI ANNORUM PRAESCRIPTIONE, *sicut cetera quoque crimina* ». Attamen ob nonnulla crimina tempus brevius requisitum est; exinde actio iniuriarum post *annum leg. 5, Cod. De iniur.;* et accusationes in delicta carnis, ac crimen peculatus *quinquennali* praescriptione perimebantur *leg. 2, Cod. De vectig. et commiss.* - Denique nonnulla crimina, utpote graviora, nunquam praescribebantur, veluti *parricidium, suppositio partus, simonia, apostasia.*

In iure canonico expressa (1) lex non continetur quae ordinet legem praescriptionis in re criminali. Unde canonistae recursum habuerunt ad communem regulam, ex *cap. 1, De nunciat. nov. op. X* (V, 32) *statuta canonum adiuvari* seu *suppleri, cum ista deficiant, Principum constitutionibus.* Cf. Farinacii *Praxis crim. q. 10, n. 29 seq.*, et Carpzovii, *q. 141.*

Verum nonnulli DD. maxime recentiores, ut Bouix *De iud. II*, Craisson *Manuel iur. eccles. T. IV, n. 5810* et De Angelis-Gentilini *t. 4, p. 263* autumant ius canonicum non admisisse, legem romanam praescriptionis, quando crimina iudex persequatur *ex officio.* Isti Doctores maxime confidunt in auctoritate Schmalz. qui *tit. De praescript. n. 121*, postquam notaverit, delicta *continua*, nempe successiva et permanentia non praescribi « *nisi a tempore cessantis delicti* » ait « *imo etiam in delictis transeuntibus, ut notat Flek Biblioth. iur. civ. l. 6, t. 1, n. 18, quoad vindictam publicam, praescriptio hodie non amplius videtur attendi* ».

Poterit videri absurdum quod isti DD. distinguant insecutionem criminis ad *vindictam publicam* seu *ex officio* iudicis et *accusationem* privati civis; siquidem tum una, tum altera accusatio tendunt ad *publicam vindictam*, prouti docet notio. *actionis criminalis* quam tradunt omnes canonistae: cf. *su-*

(1) In *cap. 6 De except. X* (II, 25) habetur mentio de vicennali praescriptione in crimine falsi, sed in parte *narrativa* dumtaxat. Praeterea ratio loquendi non caret difficultate.

pra n. 173. - Etenim si praescriptio attingit actionem criminalem, hanc attingit sive eamdem exerceat iudex seu promotor fisc. sive exerceat privatus accusator. - Verum ne tam graviter offendisse in conceptus primordiales dicantur isti DD. ita intelligendi sunt ut distinguant processum *accusatorium* a processu *inquisitivo*, seu *ex officio* instaurato, quamvis ad instantiam promotoris fiscalis. Siquidem processus *inquisitivus*, in *hodierna* forma, iuri romanorum incognitus a iure canonico inductus est, a quo tamen *nullibi cautum est,* instantiam *inquisitionis* impediri ab *exceptione praescriptionis.* - Nihilo secius, re perpensa, nulla adest ratio probabilis eiusmodi distinctionis, quia neque iudex procedere valet nisi vigeat actio criminalis. At haec loquendi ratio manifestat quam gravis confusio in re criminali, quoad notiones vel elementares, mentem etiam graviorum DD. occupaverit. Cf. Vol. III, n. 8.

Praeterea quoad rationem *historicam* huius sententiae hoc advertatur. Quia iure romano praescriptio comparata fuit adversus privatos cives, accusantes, vi actionis *criminalis pop.*, mirum non est, DD. opinatos esse, differentiam veluti substantialem inductam fuisse cum accusatio reservari coepit ipsi iudici inquirenti aut saltem promotori fiscali. Etenim privato civi accusandi *facultatem* habenti, sed non *onus* et *officium*, imputari valet *ad praescriptionem* eiusmodi *iuris,* tanto tempore neglexisse suum ius exercere; quae imputatio fieri non potest in iudicem, uti advertimus. Re sane vera patet nedum quoad ius eccles. sed etiam quoad ius civile seu commune, inolevisse eiusmodi sententiam limitantem praescriptionis efficaciam, uti docet Fleck *l. cit.* - Farinacius *l. cit. n. 3 et 4* repetit huius doctrinae originem ex Glossa *ad leg. 12 Cod. ad leg. Corn. de falsis* - ubi advertitur « *in crimine falsi ius inquirendi per annos triginta durat* ». Haec loquendi ratio non obscure manifestat, eiusmodi sententiam referre iurisprudentiam tunc vigentem, si non universalem, saltem pene communem. Quae praxis, pro indole tribunalium illius

temporis, dicenda est e foro eccles. vel saltem a nonnullarum canonistarum placitis transiisse in forum saeculare.

In causis autem criminalibus clericorum Sacra Cong. EE. et RR., iam ab initio saeculi praeterlapsi (Vol. II, n. 136) competentiam exercet veluti *privativam;* at ex documentis, quae prae oculis habui, relatis in causa *Lublinen.* infra citanda, eruitur, S. Congregationem expresse nunquam applicasse institutum praescriptionis sed accusationes magis quam praescriptas solitam esse nuncupare - *antiquatas vel sopitas.* Porro cum res apud Doctores, uti vidimus, pacifica non esset, S. Cong. noluit quaestionem definire, quam tamen hodie diremit in decreto mox referendo. Ceterum quia romani praescriptionem in re criminali nunquam habuerunt quasi institutum distinctum a civili praescriptione, consequens fuit, ut renitente ipso obiecto, fere impossibilis eiusmodi instituti evaserit applicatio. Conferatur votum Consultoris apud *Acta S. Sedis,* vol. XXX, pag. 677 - exaratum super quaestionem promotam a curia *Lublinen.* - efflagitante ut declararetur an praescriptio criminum vigeret iure can. et quonam tempore contineretur. Consultor qui viam stravit Decreto a S. Congr. EE. et RR. edito *die 22 Martii 1898* opinatus est, praescriptionem vigere in foro eccles. omnimode ad normam iuris romani (1). Sacra Congr. in cit. decreto ad auferendas dubietates expresse statuit, praescriptionis legem iure rom. inductam, applicandam esse in foro eccles., eamdemque ita explicavit in cit. decr. dato ad Episcopum oratorem atque ita concepto: « tralatitii scilicet iuris esse, in causis criminalibus ecclesiasticis

(1) Quaestio antea proposita fuit apud S. Congregationem Concilii et agitata est in *folio - Lublinen. diei 22 Aug. 1896,* ubi explicantur rationes quae difficilem et incertam reddunt applicationem instituti romani in foro eccles. quia utraque societas habet ius publicum sibi proprium; et dum est necessarium constituere exceptionem praescriptionis, tamen hanc sibi ordinare debet ius eccles. pro sua indole. Quaestio definita non est a S. Congr. C. quia prodiit responsum. « *Transmittatur ad S. C. EE. et RR.* ».

locum habere praescriptionem, et quidem nedum quando iudex procedit ad instantiam privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirit; huius vero praescriptionis eum proprium effectum esse, ut solam perimat actionem poenalem, siquidem per accusatum seu inquisitum, aut per eius procuratorem expresse de praescriptione in iudicio oppositum fuerit.

« Exinde facile est deprehendere, integrum tum accusandi tum inquirendi ius manere usquedum expresse non opponatur praescriptio, et omnino tenere iudicium si eadem opposita minime fuerit (1).

« Quod si in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanat; et hinc, non obstante praescriptione, reum manere obnoxium omnibus effectibus canonicis non criminalibus ex patrato delicto provenientibus, manifesti iuris est. Immo licet praescriptione actio poenalis extinguatur, non tamen tollitur exceptio, quae perpetuo manet, iuxta iuris effatum: " Temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum " (2); ideoque delictum illud, etsi praescri-

(1) In negotiis *civilibus* applicatio huius principii nullam facessit difficultatem, sed in *criminalibus*, quum hodie procedatur ad instantiam *promotoris fiscalis* vel *ex officio* ab ipso iudice et antea praemittatur *inquisitio*, inde sequitur instruendum esse processum *inquisitivum*, quamvis *promot. fiscalis* aut *iudex* probe sciant, accusato praesto esse *exceptionem praescriptionis*. Verum totus processus inquisitivus evacuatur statim ac accusatus, certior factus de accusatione, exceptionem opponit. - In hisce casibus certe iudex, ut parcat tempori et expensis iudicii inquisitivi et ne memoria iterum excitetur criminis *sopiti* et *antiquati*, deberet quo citius admonere accusatum ut se defenderet eique constituere procuratorem, ne praetermittatur exceptio praescriptionis.

(2) De sensu et valore huius regulae egimus in Vol. I n. 283; supra n. 117, egimus de criminibus per *exceptionem* in iudicium deductis, sed hic intelligi debet exceptio tantum quoad effectus *canonicos*, non proprie *poenales*.

ptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obest, si ad ecclesiasticas provisiones concurrere vellet.

« Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est, actionem iniuriarum spatio unius anni; crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum; caetera vero crimina spatio viginti annorum a die commissi delicti continuorum praescribi. Verumtamen si agatur de delictis, quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet nisi a die cessantis delicti; quemadmodum si delictum fuerit *totaliter* occultum praescriptionem non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet.

« Illud demum haud praetereundum est, quod criminibus raptus, stupri per vim illati, et adulterii cum incestu coniuncti, nonnisi lapsu viginti annorum praescribatur; criminibus vero suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostatatus, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et sodomiae nullo umquam tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivunt, accusari et inquiri possunt.

« Quibus omnibus SSmo Domino Nostro relatis, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 21 Martii 1898, Sanctitas Sua sententiam Eminentissimorum Patrum adprobare dignata est ».

189. Relatum decretum respicit *actionis criminalis* seu criminum praescriptionem et hinc minime comprehendit *poenae*

Quaeritur an (quasi per *exceptionem*) opponi possit crimen ad obtinendam remotionem a beneficio propter delictum patratum, equidem iam *praescriptum*, si attendatur textus huius decreti; cuius tamen delicti scandalum in plebe christiana, ut puta ob clarius manifestatam malitiam clerici delinquentis, et callide adlaborantis in effugienda iudicis animadversione, gravius invaluit. Puto, non esse hic locum *exceptioni criminali*, si revera crimen est *praescriptum*; sed rationem *scandali* esse efficacem ad applicandam *remotionem oeconomicam*, de qua in Vol. III, n. 173.

praescriptionem; quam iure civili *rom.* et *canonico* non esse constitutam tradit Consultor in cit. voto. - Nihilominus *in iure can.* habentur poenae *ipso facto* incurrendae; et hae, quin instituatur *actio criminalis persecutoria poenae*, nanciscuntur propriam executionem. Quaerere proinde praestat, an hae poenae praescribantur. Porro hic non agimus de poena quae amplius ferri non potest crimine praescripto; quia non suppetit actio criminalis instituenda et expedienda per sententiam condemnatoriam, nempe ad poenam; sed res est de poena quae vel incurrenda est *ipso iure*, statim post crimen admissum absque ulla sententia *declaratoria*, vel quae est *l. sent.* sed executioni demandanda est per sententiam *declaratoriam* (cf. Vol. III n. 70 seg.); vel denique de poena quae est *f. sent.* iam inflicta per sententiam *condemnatoriam*.

In primis, quoad poenas *lat. sent.* seu *ipso facto* incurrendas, advertatur has vel *negativas*, vel *positivas* vel *mixtas* esse. Profecto nulla *praescriptio* invocari potest in poenis *negativis*, quae nullam expostulant executionem vel sententiam *declaratoriam* ad effectum poenae. Hisce poenis accensendae sunt *censurae*, quae proprium habent, ut *post condemnationem*, statim *secum trahant executionem*. Cf. Vol. III, n. 73. - In *positivis* et *mixtis*, quae non sortiuntur executionem nisi per ministerium iudicis post editam sententiam *declaratoriam*, quaestio est an poena intelligatur praescripta, delicto iam praescripto. Porro in hisce poenis *l. sent.* incurrendis *ipso facto*, iudicis *declaratoria* sententia non infert poenam sed poenam edicit iam incursam a momento patrati criminis; unde nulla instituitur *actio criminalis*. Data vero praescriptione actionis seu *criminis*, quaeritur an sit locus sententiae *declaratoriae* et hinc poenae *executioni*. - Non puto; quia uti accessorium sequitur principale, ita poena accedit crimini, quo perempto, vi praescriptionis, censetur perempta seu praescripta poena quae secus inchoaretur quando crimen non amplius consistit. Neque dici

potest, poena, vi sententiae *declaratoriae*, retrotrahi ad tempus patrati criminis; siquidem post expletam praescriptionem crimen veluti evanuit ac si nunquam extitisset. - Praeterea advertatur, sententiam *declaratoriam* non edi nisi causa cognita seu probato crimine; sed quomodo hoc in iudicium trahi valet, si delinquens summoveat accusationis sive inquisitionis instantiam, exceptione *praescriptionis?* - Quare opinor in hoc casu certe haberi, saltem *indirecte*, praescriptionem poenae: sed DD. auctoritatem invocare non valeo, quia quaestionem non inveni apud DD. agitatam, proinde de merito conclusionis viderint sapientiores.

De poenis autem *fer. sent.* inlatis per sententiam *condemnatoriam* quaeritur an poena, si executionem non sortiatur ob resistentiam condemnati qui aufugit aut contumax est, eadem certo post tempore praescripta haberi debeat. - Sed communi iudicio DD. autumant, uti probatur in cit. Voto *Consultoris*, de praescriptione poenae in iure civili rom. et in iure can. nullum haberi vestigium. Quare de *praescriptione poenae* in relato decreto S. C. EE. et RR. ne verbum quidem. Exinde hodie praescriptio huius poenae post sent. *condemnatoriam* non admittitur *iure can.* per decursum temporis statuti ad *crimina* praescribenda. - Attamen Carrara *op. cit.* § *717*, innixus auctoritati quorundam recentiorum DD. videlicet Hoorebeke *op. cit. p. 8*, et Villeret *De la prescription* § *21*, asserit contineri poenae praescriptionem, iure quoque romanorum, in generali praescriptione tricennali; qua actiones, obligationes, iura, breviori tempore non praescribenda, plane praescribuntur. Sane advertit post sententiam enasci *actionem rei iudicatae* etiam in poenalibus. Nam per editam sententiam ius enascitur ad obtinendam poenam, cui iuri respondet apposita actio *ex re iudicata:* cur nam haec actio non comprehenderetur praescriptione tricennali? Opinor huic sententiae etiam in foro eccles. tuto adhaereri posse.

190. Praescriptio incipit decurrere a die commissi criminis, arg. *leg. 29*, § 7, ff. *ad leg. Iul. de adult.* - In delictis

vero *continuis* decurrit a die commissi postremi actus criminosi. Ita etiam in Cod. Greg. *De delictis et poenis, art. 44.* In hoc Cod. nulla fit exceptio de *occultis delictis*, quae proinde praescriptione comprehenduntur, dum cit. Decretum cavet: « *Si delictum fuerit* TOTALITER *occultum, praescriptionem non a die commissi criminis sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet* ». Quum idem decretum onus imponat reo probandi exceptionem praescriptionis quam ipse tantum obiiciendi ius habet, patet hoc difficilimae esse probationis, nempe evincere crimen fuisse TOTALITER *occultum*, saltem quoad *scientiam accusatoris* vel *inquisitoris*. Sed versamur in odiosis, quocirca in dubio favendum est reo.

Quia canonistae admittunt, iure can. non secus ac iure rom., institutum praescriptionis unum idemque comparatum esse pro re *civili* et *criminali*, fatentur praescriptionem actionis criminalis pati effectus *suspensionis* et *interruptionis*. Cf. Vol. I n. 297 - Verum *interruptio* ad nihilum redigit praescriptionem, quia iudici usque integrum est per aliquem actum processualem *interrumpere* praescriptionis cursum, imo hoc ex suo officio praestare tenetur; et inde factum est, uti iam advertimus, praescriptionem criminum parum efficacem habuisse applicationem in foro eccles. et civili postquam iudex procedere coepit *ex officio* in processu *inquisitivo* (1). - *Suspensio* autem in praescriptione poenali commode admittitur quando ex *causa iuridica* prohibitum est exercitium actionis. - In re canonica casus classicus eiusmodi impedimenti habetur *in iure asyli*, vi cuius im-

(1) Etiam in Cod. Greg. *De delictis* et *poenis* admittitur interruptio. Statuit art. 45. « *Qualiscumque actus iudicialis processus interrumpit praescriptionis decursum quae iterum inchoatur ab isto actu* ». Art. 46. « *Sententia quoque contumacialis praescriptionem impedit* ». Nimirum post sententiam *contumacialem* non amplius agitur de crimine sed de *poena* praescribenda, quippe actio criminalis censetur expedita penitus per sententiam vel contumacialem. Praescriptionem *poenae* autem iste codex non recolit.

peti non valet, poenali actione, ex iuris privilegio, qui certo fruitur *asylo*. Cf. supra n. 43 (1). Sed inquam *ex causa iuridica* - quia alia impedimenta cuiusque generis iure civili communia iuxta principium - *contra non valentem agere non currit praescriptio* - in re criminali non attenduntur, maxime hodie quum ius persequendi poenas exerceatur a promotore fiscali. - In decreto citato unum attenditur impedimentum, nempe, *si delictum fuerit* TOTALITER *occultum*.

191. Cessat actio criminalis seu perimitur penitus per sententiam *absolutoriam*, quippe delinquens adversus quemcumque accusatorem se defendit exceptione *rei iudicatae*.

192. Hactenus de modis *iure* constitutis ad perimendam accusationem. Supersunt *duo* modi *naturales*, nempe *a*) mors accusati *b*) mors accusatoris.

Mors *accusati* perimit funditus *actionem criminalem*, quia est poenae persecutoria; et poena praestari debet ab ipso delinquente. Ex adverso actio civilis *rei* persecutoria transit ad heredes et planum est. Quare actio civilis enascens ex delicto, quatenus hoc est factum *noxium* seu infert damnum *immediatum* transit ad heredes. Nihilominus si agatur de poena pecuniaria, veluti de *mulcta*, hanc post *sententiam condemnatoriam* (non ante sententiam, quamvis post litem contestatam) ab heredibus praestandam esse tenent canonistae *communiter*. Cf. Schmalzg. *h. t. n. 125*, Cf. Vol. III, n. 182.

Morte *accusatoris* perimitur *instantia* si agatur de cive accusatore; unde accusatus absolvitur ab impetitione huius instantiae, quae tamen ab alio accusatore instaurari valet. Imo hodie quia accusator est magistratus, promotor fiscalis, non censetur deficere morte, quia accusat ratione *publici officii*. - *De peremptione instantiarum*, cf. Vol. I, n. 309 seq.

(1) Cf. Binger *De asylorum origine, usu et abusu*. Lugduni Batavorum, 1828; et Barthel, *Opuscula iuridica varii argumenti*, Tom. 2 opusc. 6. *De iure asyli*, Bambergae 1656.

TITULUS IV.

DE PARTIBUS PROCESSUALIBUS QUIBUS NECESSARIO - SEU AD SUBSTANTIAM - CONSTAT IUDICIUM CRIMINALE.

Summarium. — 193. De conditionibus iudicio criminali *necessariis* ex parte *actorum*. — 194. An et quomodo his conditionibus satisfaciat processus pure inquisitivus. — 195. De processu *summario* et *formali*. — 196. An Instructio S. C. EE. et RR. *die 11 Iun. 1880*, sit *directiva*, aut *praeceptiva*. — 197. At in gradu appellationis servari debet *forma summaria*, si haec servata fuerit in prima instantia.

193. Iudicium non expeditur nisi certae serventur procedendi formae modum determinantes, quo instituitur et absolvitur a *personis* in iudicio partem habentibus, controversia enata circa aliquod *obiectum* spectans ad rem criminalem. Iamvero de *personis* et de *obiecto* quibus constituitur iudicium criminale iam disseruimus; modo explicare debemus, per suprema lineamenta, *normas processuales* moderantes eiusmodi controversiam *iudicialem*. Inquam, modo nos processum explicare - *per suprema lineamenta*; - quippe, positis supremis *generis notionibus*, facile erit ad singula gradum facere.

Processus autem iudicialis ordinatus ut instantia *accusationis* definiatur a iudice, per iudicialem sententiam sive *rei* absolutoriam sive condemnatoriam, necessario *quatuor* partibus constare debet. Videlicet 1) debet determinari obiectum quaestionis per litis *contestationem*. 2) Quum per litis *contestationem* firmata est instantia *accusationis*, accusator invicte suam accusationem *probare* debet; 3) inde accusato facienda est facultas et copia *defensionis;* 4) denique iudex ex actis et probatis sententiam feret condemnatoriam *accusati* aut absolutoriam.

In hisce *quatuor* partibus continetur praesentis tituli tractatio, quem appositis capitibus explicabimus.

194. Ast quia enunciavimus, eiusmodi quatuor partes neces-

sarias esse cuicumque processui criminali, difficultatem facit ratio procedendi per viam *simplicis inquisitionis*, unde iudex. *tantum rerum* et *factorum veritate inspecta*, procedit ad reum condemnandum. - Sane in processu *mixto*, quia est locus formali *accusationi* post expletam *inquisitionem*, plenissime satisfit *quatuor* expositis conditionibus. - In processu autem pure *inquisitivo*, quando velit servari ordo *iudicialis* seu *contentiosus*. asserimus aeque servanda esse ista quatuor momenta ordinis processualis, uti probat Pellegrini *l. cit. Sect. II. n. 20. Sect. IX n. 55.* - Sane quaestionem hisce terminis definimus, nimirum - dummodo servari velit ordo seu contentio *iudicialis*, - necessarium esse, accusationem, erumpentem ex inquisitione, pandere accusato ut hic se defendat; quod si ab accusato crimine se excusare non valeat, condemnatione plectetur. - Quamobrem quotiescumque iudex, inaudito reo vel saltem quin ei fecerit potestatem a se repellendi accusationem, ipsum condemnat, iusta atque legitima poterit haberi condemnatio, dummodo sit conformis veritati et haec procedendi ratio non sit aliena a potestate Praesulis, sed. procul dubio, eiusmodi condemnatio non est *iudicialis*. - Iure autem naturali inspecto fit *contestatio*, quum accusatio obiicitur accusato, quam *probat* accusator adversus accusatum negantem et se *defendentem*, cuius contentionis finis est *sententia iudicialis*.

195. Leges, quibus sive iudex sive accusator sive accusatus obtemperare debent, in hisce partibus processualibus evolvendis, constituunt processum iudicialem. - Et hic est *formalis* seu solemnis, quum praescriptae normae aliquid iubent ad *solemnitatem actus* seu praeter ipsam exigentiam iuris naturalis; ex adverso est *oecomonicus* seu *summarius*, quum non servatur in processu nisi ratio procedendi iure naturali praescripta. Cf. Vol. I, 591 sq.

Rerum inspecta natura, processus *formalis* dicendus est distare a *summario* tantum ratione *actorum iudicii*, non vero *actorum causae* (cf. Vol. I, n. 385 sq.); quia in processu sum-

mario praetermittuntur aliquae solemnitates seu nonnulla *acta iudicii*; sed praetermitti nullimode possunt *acta causae*, quae spectant in primis ad rei controversae cognitionem et probationem. Cf. Pellegrini, *op. cit. P. II. Sect. II. De causis summariis. n. 18.* Ast *iure positivo* istius processus normas determinarunt celebres Const. Clementinae *Saepe contigit. De verb. signif.* (V. 11); et - *Dispendiosam - De iud.* (II. 2) inibi vero inter causas ritu summario expediendas non recensentur causae criminales. - Sed iam, *arg. c. c. 24 et 26 De accus. X* (V. 1) et 8, *De statu monach. X* (III, 35) in causis criminalibus regularium personarum concessum fuerat, ut aliquantisper recederetur a solemnitate iudiciorum. - Praeterea per singularia rescripta, absque dubio, Pontifices, etiam ante Clementinas, concesserant, forma *summaria* expediri causas nonnullas criminales. Pellegrini, *loc. cit. Sect. II. n. 65*, docet iudicium *inquisitorium* in curia romana et passim in aliis curiis, esse *summarium*. Deinde sensim invaluit mos definiendi causas criminales summario processu; et hunc morem expresse probavit S. C. EE. et RR. decreto diei 1 Aug. 1851, sed pro universo orbe in cit. Inst a. 1880; nam edicitur in Prooemio « *S. EE. et RR. Congregatio mature praesenti Ecclesiae* (1) *conditione perpensa, quae pene ubique impeditur, quominus externam suam actionem explicet super materias et personas eccles. et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari curiarum ordinatione, constituit Ordinariis locorum expresse concedere ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super clericis* ».

196. At inde patet, eiusmodi Instructionem esse *directivam*, minime vere *praeceptivam*, nimirum integrum esse iudicibus ordinariis hoc processu uti, sed ipsis praeceptum non fieri;

(1) Haec verba satis significant, hanc Instructionem spectare ad omnes Orbis regiones, si illas demas subiectas S. Congregationi De Prop. Fide, quibus speciali decreto consultum fuit.

quod evincitur expressius in *art. 5.* « *Quum procedi oporteat criminaliter sive infractionis praecepti aut criminum communium vel legum Ecclesiae violationis causa, processus confici* POTEST *formis summariis et absque iudicii* STREPITU, SERVATIS SEMPER REGULIS IUSTITIAE SUBSTANTIALIBUS ».

197. Attamen videtur praecipi ritus summarius *uno* in casu, quando nempe agitur, in instantia appellationis, causa quae in *prima* instantia definita fuit processu summario; iubet enim art. 42. « *Quum appellatio producitur a sententia alicuius curiae episcopalis ad Metropolitanum, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae sequitur normam procedendi in hac* INSTRUCT. *traditam* ». Et hic articulus est conformis iurisprudentiae quae iampridem invaluit, prouti edictum est a Rota R. in *Ferrarien. Bonorum* 26 Iun. 1613 *coram D. Pamphilio* dein *Pont. Innocentio X.* - Cf. Pellegrini *l. cit. n. 29.* Porro ita fert effatum - *causa semel summaria, semper summaria;* - eo magis quod in secunda et ulteriori instantia expeditior quoque debet esse processus; nam iudicis appellationis est potissimum examinare *acta causae*, non supplere *acta iudicii* seu solemnitates.

Caput I.

DE CONTESTATIONE LITIS SEU ACCUSATIONIS.

Summarium. — 198. In quo consistat contestatio litis in criminalibus. — 199. Quonam in processus parte haec fiat in diversis procedendi modis. — 200. Contestatio debet esse *plena* et *tempestiva*. — 201. De corpore delicti. — 202. De examine rei seu de *constitutis*. — 203. De libello accusatorio seu de capitulis.

198. In *civilibus*, litis contestatio consistit in *petitione actoris et congrua negatione rei facta animo litigandi*. - In *criminalibus* contestatio non expostulat solemnitatem actus, prouti in iudiciis *ordinariis* civilibus, sed, ait Pellegrini *op. cit. Sect. IX n. 55*, « *solum per interrogationem iudicis et responsionem rei inducitur litis contestatio, etiam si procedatur per accusationem et accusator non sit praesens* ». Nam in re *civili* actor petens aliquid abs reo provocat vel ut annuat petitioni actoris vel ut refragetur cum proposito instituendae litis; in *criminalibus*, ex adverso, iudex aut accusator expostulare non possunt ab accusato ut se reum profiteatur aut abstineat a iudiciali defensione, sed in primis eum certiorem reddere volunt de delicto quod illi impingunt, eumque admonere de condemnatione quam incurret nisi se purget ab accusatione. Quamobrem litis contestatio respondet *duplici* scopo, nempe 1) suppeditandi reo copiam legitimae defensionis et exinde 2) ordinandi iudicialem *accusationem* in certam cognitionem veritatis; quod maxime interest universae reipublicae. In hanc quaestionem, praeter alios commentatores in titulo de litis contestatione, conferri possunt Farinacius *op. cit.* Bannizza, *Systemata iurisprudentiae crim. Viennae, Austriae, 1855.* Buccaroni, *De differentiis inter iudicia civilia et criminalia. Differ. 70. Romae 1824.*

199. Pro diversa procedendi ratione variatur momentum quo

fit litis contestatio. - Siquidem in iudicio *accusatorio* accusator inducit contestationem, quum *inscribit* nomen accusati et se *subscribit* libello accusatorio, quem statim accusato denunciat. Ita in processu *accusatorio romano*. - Pellegrini, *l. cit.* refert stylum esse curiarum, citatione trina vel una peremptoria convenire accusatum *ad contestandam litem super accusatione; quod si compareat, interrogatur super tenore accusationis et tunc fit litis contestatio.* Si non compareat, condemnatur uti contumax. « *Quando vero* (prosequitur Pellegrini *l. cit.*) *proceditur per viam inquisitionis, non fiunt dictae citationes ad contestandam litem, quia non est persona, cum qua contestari lis possit,* SED BENE FIT ALIUS ACTUS AEQUIVALENS LITIS CONTESTATIONI, *scilicet responsio rei super inquisitione dum per iudicem examinatur* ». Et hoc fit in processu *pure inquisitivo*, quum ipse iudex denunciat inquisito accusationem, isti obiiciens, in *examine* seu *interrogatorio*, facta quae ex inquisitione collecta constituunt totidem accusationis documenta. Ex horum notitia inquisitus cognoscit quaenam sit accusatio, et quaenam accusationis fundamenta, proindeque percipit, quaenam defensionis argumenta sibi neccessaria sint.

In processu autem *mixto*, quia post *inquisitionem* peractam succedit *accusatio* instituenda a promotore fiscali adversus accusatum, habetur litis contestatio quum idem promotor ex indiciis et probationibus per inquisitionem comparatis atque ex ipsis inquisiti responsionibus, per *interrogatoria* seu *examina* depromptis, exarat actum formalis accusationis et comminationis poenarum, quas, ab edita sententia *condemnatoria* aut *declaratoria* (cf. Vol. III, n. 70), subire cogitur accusatus nisi suam probet innocentiam.

Instructio S. C. EE. et RR. *diei 11 Iun. 1880* saepius citata revera ordinat processum *mixtum* et litis contestationem collocat post absolutam inquisitionem et sub initio accusationis iubens, *art. 26:* « *Proceditur inde ad contestationem facti*

criminosi et conclusionum habitarum ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativas poenas canonicas » ; *art. 27:* « *Quum accusatus tali modo plene cognoscat ea quae in actis extant contra se, nedum respondere potest sed iure etiam se defendendi per semetipsum uti valet* ».

200. Hisce articulis non tantum praescribitur actus et tempus contestationis, sed non obscure significantur qualitates quae expostulantur a *contestatione* ut haec respondeat iustitiae. Nimirum debet tribuere accusato seu inquisito 1) *plenum* accusationis cognitionem et debet esse 2) *tempestiva* nempe facta eo iudicii momento quo adhuc accusato suppetit copia defensionis.

Quoad *primum*, perspectum est iuris naturalis praeceptum nempe accusatum non posse condemnari nisi *plene* conscium accusationis et hinc legitimae suae defensioni paratum, sed non minus expressa est praescriptio cit. *art. 27*, et praecedentium articulorum. Ita *art. 22* cavetur: « *In citatione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei* (accusato) PER EXTENSUM *accusationes adversus eum collatae ut parari valeat ad respondendum* ». Quare si in libello citatorio hodie, ad praescriptum *art. 14*, ut plurimum, ope tabellariorum transmittendo, aliquando prudentia suadet, ne referantur accusationis singula capita, tamen haec celanda non sunt accusato quum sistit coram iudice responsurus eius interrogationibus.

Quoad *secundum*, nempe quod ad *tempestivam* contestationem, caute adverti debet, tum terminus *a quo*, tum terminus *ad quem*. Non semel enim accusatus, nisi certior fiat de accusatione dum adhuc ei praesto sunt defensionis media, deinde versatur in difficillima conditione et premitur inopia argumentorum suae defensionis. Veluti si clericus postuletur de crimine turpi et curia dum inquirit cognoscat duos vel tres adesse testes qui defensioni clerici inservire possunt et hi vel sunt migraturi in dissitas regiones vel mortis periculo sunt proximi, si curia non festinet accusationem contestari dum adhuc

accusatus se defendere valet, contestatio fit *intempestiva*, habita ratione termini *a quo*. - Terminus *ad quem* extendit suum effectum contestatio, est terminus *probatorius* seu dilatio concessa accusato ad exhibendas probationes et animadversiones in sui defensionem. Etiam attento hoc termino *ad quem*, contestatio debet esse *tempestiva*.

201. Contestatio litis, quippe continet actum formalis accusationis, non est inducenda nisi quum probationes suppetant graves de delicto et de eius auctore. Porro in quacumque procedendi ratione expostulatur haec delicti notitia, praevia contestationi. Inde in processu accusatorio, ne temere accusatores instituant iudicium, isti se *inscribunt* libello accusatorio sub conditione poenae *reciproci* seu *talionis*, uti explicavimus. In processu autem vel *pure inquisitivo* vel *mixto*, contestationem antecedit *inquisitio* ordinata ad comparandas probationes; quibus repertis, inducitur dein litis contestatio, iisdem innixa probationibus. - Verum *notitia delicti* praeambula *contestationi* comprehendit tum *delictum*, tum delicti *auctorem*; quia si tantum constat *delictum* seu *corpus delicti*, sed latet *auctor*, instauranda est inquisitio *specialissima*, sed non est locus *contestationi*.

In re poenali celebris est dictio - *corpus delicti* - significans complexum probationum quae evincunt *factum criminosum*. In citato *Cod. Gregoriano libri III titulus I* inscribitur: *De corpore delicti* - et in *art. 167* ita traditur eius notio: « *Probatio de existentia cuiusdam facti quod a lege poenali punitur in eius auctore et in conreis, constituit* CORPUS DELICTI ». *Art. 168*: « *In delictis* FACTI PERMANENTIS *probatio conficitur ex oculari inspectione et si opus sit, etiam ex suffragio peritorum. In delictis* FACTI TRANSEUNTIS *atque in illis* FACTI PERMANENTIS, *probatio suppletur per testes aequipollentes* ».

Distinctio quae hisce articulis innuitur inter facta *permanentia* et *transeuntia* facile intelligitur. Nihilominus praestat, ad rem, recolere quae tradit Pellegrini in praxim fori eccles.

Hic Doctor *op. cit. P. IV, Sect. I, n. 30* tradit: « Alia enim sunt quae post se relinquunt vestigia quaedam quae dicuntur *facti permanentis;* et alia, quae non relinquunt vestigia, quae dicuntur *facti transeuntis.* Delicta *facti permanentis* sunt homicidium, incendium... et in istis non potest deveniri ad cognitionem et definitionem causae nisi constet *de corpore delicti* per evidentiam facti aut per testes... Probatio autem *corporis delicti* si sit *facti permanentis* fieri debet plene et liquide, maxime si sit facilis probationis; si vero sit *facti transeuntis* et difficilis probationis, fieri debet per indicia et coniecturas ».

Facta quae, ut plurimum in for. eccles. hodie accusationi subiacent, sunt *facti transeuntis*, veluti non observantia munerum clericalium, parochialium, canonicalium, aliaeque id genus legis violationes sive semel positae sive saepius repetitae. At delictum *facti permanentis* constituit libellus famosus, item concubinatus, itemque non observantia munerum, quando ista in actu perseverent, veluti continuata absentia parochi a loco residentiae. Hodie forsan quia rariora sunt in foro eccles. delicta *facti permanentis*, minus in more est dictio - *corpus delicti* - sed rei substantia non deest. In Inst. cit. S. C. EE. et RR. - *corpus delicti* - appellatur *basis facti criminosi* in *art. 15*, qui ita rem explicat: « *Basis facti criminosi constitui potest per facti relationem e processu desumptam authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extraiudicialibus vel testium depositionibus et quoad titulum transgressionis praecepti, iste constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis modis enunciatis perfectorum* ».

Probatio autem quae requiritur - *de corpore delicti* - necessario praevia contestationi, sane non est eiusdem valoris et efficaciae ac ea requisita ad sententiam condemnatoriam. - Siquidem totus processus versatur super *corpore delicti eiusque auctore*, sed lis est contestationi matura quum satis constat, tum de uno tum de altero, ad prudentem accusationem.

202. In processu *pure accusatorio* contestatio litis veluti uno actu et contextu absolvitur; accusator enim et accusatus litem contestantur quum accusatus, recepto libello accusationis, ab accusatore *subscripto*, plene cognoscit crimen de quo postulatur in iudicio. - In processu autem *pure inquisitivo* aut *mixto* contestationem, sensim et pedetentim, ut plurimum, fieri contingit. Etenim perraro accidit, ex inquisitione praevia rei *citationi*, argumenta adeo perspecta colligi accusationis, et vehementes probationes ut inde certus et determinatus erumpat actus *accusationis* obiiciendae accusato, qui statim ac sistit coram iudice, ab eodem percipit *delicti contestationem* et inde provocatur ad se defendendum. - Verum *ordinario* accidere solet, per inquisitionem obtineri indicia plus minusve gravia de crimine eiusque auctore atque istas suspiciones, coniecturas, indicia declaranda esse ab ipso inquisito per iudicem caute interrogando. - Iamvero interrogatoria proponens iudex inquisito manifestat, explicat indicia quae illum reum criminis suspicari iubent, expostulans ab inquisito eorumdem explicationem in ipsius excusationem, declarans ex responsionibus *absonis et incongruis* erui *implicitam* confessionem. Dum vero iudex ita interrogat inquisitum, sensim *contestatur* accusationem, quia delictum in primis obiicitur veluti dubitative et inquisitionis causa; deinde autem, si responsiones inquisiti nullimode diluere valeant suspiciones, coniecturas, adeo ut si non *implicitam* contineant confessionem, certe aggravent suspiciones et novum constituant indicium adversus inquisitum, tunc iudex sub fine examinis expresse manifestat quaenam sint accusationis capita eaque inquisito formiter contestatur. At unum tantum examen non semper perducit iudicem ad istum exitum, sed plura eum experiri oportet interrogatoria seu examina. - Monet ipsa cit. *Instructio*, *art. 25* aliquando inquisitum in responsionibus ad interrogatoria deducere excusationes gravis ponderis, quas iudex mature perpendere debet, iterum interrogando inquisitum aut alias instituendo perquisitiones ordinatas ad dete-

gendam vel veritatem factorum vel fallaciam responsionum. In hunc scopum pluribus examinibus reus submitti valet. Citatus *art. 25* ita se habet: « *Si compareat, auditur in examine et quatenus inductiones faciat alicuius momenti, debent istae, quatenus fieri potest, exhauriri* ». *Art. 26:* « *Proceditur inde ad contestationem facti criminosi* etc. ». Et in cit. *Cod. Greg.* iudiciali *art. 351* iubetur: « *Post primum examen et usque ad processus publicationem, inquisitus subiici potest aliis* CONSTITUTIS, *quoties nempe id necessarium videatur. Ipsi inquisito integrum est expetere ut ipse iterum audiatur* etc. ». *Art. 352:* « *Casu quo aliquis postuletur de pluribus delictis, in excipiendis examinibus distinguuntur et, seorsim, apposita proponuntur interrogatoria. Finalis contestatio omnium delictorum* FIERI *potest* UNO ACTU ».

203. Iuvat retulisse hos articulos e *Cod. Greg.*, hac etiam de causa, quia inde arripimus occasionem explicandi quid sibi *velint* CONSTITUTA, in cit. *art. 351;* et quomodo contestatio fiat UNO ACTU in *art. inseq.* - *Constitutum* in praxi forensi eccles. et exinde, anteacto potissimum tempore, in curiis quoque civilibus, idem *sonat* ac *examen* seu *interrogatorium* inquisiti. Istud nomen derivari, absque dubio, dicendum est a *verbo* examinis *initiali*, quippe examina ab actuariis scriptis consignata ita initium sumebant: « *Constitutus N. N. personaliter* in tali loco etc. Cf. Pellegrini *loc. cit. Sect. IX, n. 58, sq.* - Equidem in cit. *Cod. Greg., tit. II, lib. V,* ita inscribitur: « *Regulae communes de* CONSTITUTIS *inquisitorum* » Cf. Carrara, *op. cit.* § *893.*

204. Denique explicanda sunt verba cit. *art. 352:* « *Contestatio omnium delictorum fieri potest uno actu* ». Videlicet absolutis interrogatoriis, sive agatur de uno, sive de pluribus delictis, optimum est ut omnia summentur in unum actum seu in unum libellum accusationum capita, quae inquisito contestatur accusator quaeque sibi invicte probare proponit.

Varii *articuli*, quibus constat iste actus seu libellus accusa-

torius, vocantur *capitula.* Uti enim in civilibus *positiones* seu *interrogatoria* fiunt ad provocandam confessionem adversarii, et dein de capitibus non confessis seu adhuc contentioni obnoxiis, fiunt *articuli;* e contra, in criminalibus diversae accusationis partes post *factam contestationem* dicuntur *capitula.* Cf. Pellegrini *loc. cit. Sect. IX, n. 56,* et *vol. I, n. 418.*

Caput II.

DE PROBATIONIBUS.

Summarium. — 205. De probationibus quod ad rem criminalem. — 206. De certitudine quam parere natae sunt probationes in re criminali. — 207. De probatione aut *plena* aut *semiplena*. — 208. Iure can. non aestimatur probatio *plena* aut *semiplena* ex vi probationis *legalis*, sed ab *intima persuasione* iudicis. — 209. An probatio *semiplena* sufficiat accusationi instituendae. — 210. Explicatur regula quae iubet, a iudice semper sententiam ferendam esse *ex actis et probatis*, etiam posthabita scientia *privata* vel *physica* certitudine. — 211. De fontibus probationum in criminalibus.

205. Probatio, etiam in re criminali non secus ac in civili, est: « *Rei dubiae et controversae per legitima argumenta iudici facta ostensio* », (Vol, I. n. 434 sq.) at singulare est in criminalibus, certitudinem tantum *moralem* e probationibus repeti.

206. Nam certitudo *metaphysica* derivans ex intima rerum cognitione haberi potest in *quaestionibus iuris abstractis* vel etiam in iis causis *civilibus*, in quibus non de *facto* sed de *iure* quaeritur; certitudo *physica* fluens ex perceptione sensuum a iudice obtinetur aliquando in causis *civilibus*, veluti in iudiciis finium regundorum, quum iudex post *accessum iudicialem* rem dirimit e perspecta locorum cognitione suis oculis desumpta; at in *criminalibus*, quia consistunt *in factis*, quorum iudex etsi fuit testis, tamen testis in iudicio esse non potest, ne in eadem causa simul iudex et testis sit, certitudo a iudice de hisce factis exquirenda dumtaxat *moralis* est, seu desumpta ab aliorum auctoritate (1).

(1) Forsan tantum in casu delicti patrati coram iudice pro tribunali sedente iudex sententiam fert ex certitudine *physica* quam obtinuit quum iudicis officio fungeretur.

Verum est adnotatione dignus articulus 16 *cit.* Inst. S. C. EE. et RR. ita conceptus. « *Ad retinendum autem in specie culpabilitatem accusati opus est probatione* LEGALI, *quae talia continere debet elementa ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio* ». Re quidem vera, exinde videtur expostulari *probatio legalis*, quocirca posset induci conclusio, exquiri probationem ad normam systematis *probationis legalis*. - At nedum ius commune canonicum istud excludit, sed ipse textus huius articuli intimius perspecti persuadet, hic inculcari systema *intimae persuasionis* cum moderamine tamen illius regulae, nempe *attendenda esse acta et probata*. Nam illa dictio - *opus esse probatione legali* - explicatur per subsequentia verba, videlicet per hanc *legalem probationem* intelligi talia elementa, seu *acta* et *probata*, quae veritatem *evincant*, videlicet *evincant* quasi ad *evidentiam* aut saltem inducant *moralem certitudinem*. Quia haec probatio *legalis* ordinata est, si non ad *evidentiam* comparandam, saltem ad gignendam *moralem* certitudinem; ergo systema hoc nuncupatur *intimae persuasionis*, desumendae ex *argumentis legitimis* seu *ex actis* et *probatis*. Cf. Cod. Greg. cit. *art. 442*. - Sed modo praestat hoc systema, data opera, explicare.

207. Iudex qui de re controversa versatur in statu aut ignorantiae aut dubii et ad statum *certitudinis moralis* properat per exquisitas probationes, non semel e probationibus non plenam certitudinem sed aliquam haurit certitudinem coniunctam cum formidine oppositi, seu *probabilitatem;* quocirca ex gradu certitudinis quam parit, probatio est *plena* aut *semiplena*.

208. At in aestimandis probationibus *plenis* aut *semiplenis*, maxime in re criminali, duplex suppetit systema, alterum quod dicitur *probationis legalis*, alterum quod *intimae hominis* (scilicet *iudicis*) *persuasionis* audit.

In *primo* systemate ipsa lex, per supremas constitutas regulas, mensurat vim probationum; ut ecce duo testes, omni exceptione maiores, faciunt *plenam* probationem; et iudex quin animo reputet, an ipse sit persuasus intime, sententiam proferet condemnatoriam aut absolutoriam innixus huic probationi.

In *secundo* systemate lex statuit quomodo probationes excipiantur in iudicio, seu statuit earumdem formam *extrinsecam* ut sint argumenta et *acta legitima* (Vol. I. *l. cit.*) sed valorem *intrinsecum* non perpendit, hunc relinquens aestimationi iudicis, qui ex *actis* et *probatis* sibi *certitudinem intimam moralem* comparet (1).

In iure eccles. obtinet hoc secundum systema uti probavimus Vol. I, n. 438; et unum dumtaxat sufficiat recolere textum, caput *6 De renunciat. X* (I, 9) quod iudicem iubet ut non « ad unam speciem probationis applicet mentem suam sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus et aliis, quae in eius praesentia proponuntur, formet animi sui motum ». Unde in *cap. 1 De sent. et re iud. in 6* (II, 14) gravibus poenis

(1) Systema *de intima iudicis persuasione* est sane antiquius; et hoc obtinuit apud Graecos et Romanos, etiam vigente imperio. At barbarorum incursiones evertentes romanum imperium, aboleverunt quamcumque iudiciorum ordinationem et invaluerunt *iudicia Dei*, seu *ordaliae* et *duella iudicialia*. Haec profligavit ius can. in *Concil. Lat. IV* (1215); et iterum in honore habita est ordinatio iudicii explicata in codice legum romanarum. At iuristae, regulas dictantes quibus mensuraretur valor probationum, quibusque iudici ut plurimum, non admodum ius callenti via panderetur facilis et tuta ad legitimam sententiam edendam, sensim induxerunt systema *probationis legalis;* quod tamen non est repetendum a iure can. *scripto*, sed a praxi et consuetudine et magis observatum est in foro civili quam ecclesiastico. Hodie in *civili* disparuit, in *ecclesiastico* ne memoratur quidem. Cf. Swaving. *De iudicis animi sententia, in criminalibus optima moderatrice*, Lugduni Batavorum 1826. - Meyer - *Storia delle istituzioni giudiziarie* - *Prato* 1839; Tissot, *Droit pénal;* Ellero - *Della critica criminale* - Venezia 1860; Carrara, op. cit. § 900, seq.

mulctatur iudex sententiam edens contra *suam conscientiam.*

209. Attamen in hoc systemate probatio *plena* et *semiplena* consideratur quoque *obiective*, quia, inspecta rerum natura, ista media *probatoria* nata sunt *plenam* vel *semiplenam* notitiam et cognitionem de aliqua re praebere. Quoad *effectum* vero probationis advertatur, *semiplenam* non sufficere ad sententiam *comdemnatoriam;* at plane sufficere ad instaurandam *accusationem* post *inquisitionem* in processu *mixto*, et aeque sufficere ad nonnullas sententias *interlocutorias* seu *incidentales.*

210. At hoc systema, ne nimis latam aperiat viam iudicis arbitrio, continet principium fundamentale, nempe *iudici iudicandum esse iuxta acta et probata*, proindeque *quod non est in actis non est in mundo.* Porro iudex agit *publicam* personam in iudicio neque conferre debet scientiam *privatam* in decreta iudicialia; secus haberetur absurdum, ipsum esse *testem* et *iudicem* in eadem causa (1).

At in re criminali non parvi ponderis est quaestio, an iudex posthabere debeat scientiam *privatam* ut scientiam *formalem* seu ex actis *derivatam* attendat dumtaxat in condemnatione decernenda. - Triplex est DD. sententia. - At in primis advertere praestat, omnes DD., si agatur de sententia *absolutoria*, communiter docere, iudicem *absolvere* posse reum ex

(1) Narrat Durandi (*Specul. II De sent.* § *1*) Bononiae hominem interfectum fuisse et Urbis gubernatorem e fenestra spectantem vidisse facinus et facinoris auctorem. At contigit in iudicio probationes seu attestationes sufficientes colligi non potuisse in homicidam, quare Gubernator statuerat, sua scientia uti in homicidam; at percontati celebres Doctores Universitatis Bononien. seu Azo et ceteri responderunt, homicidam dimittendum esse, arg. *legis 6, ff. De off. praesid.* quae tamen eadem lex plures DD. induxit in contrariam sententiam, veluti Bartolum: cf. commentaria Cuiaci, Donelli, Gothofridi in *eamd. legem.*

actis et probatis crimine non convictum, quem tamen iudex cognoscit ex sua scientia, criminis auctorem. Nam acta et probata constituunt *praesumptionem iuris* et haec *pro veritate* habetur in *foro externo*, quousque contrarium non probetur.

At non exinde sequitur posse condemnari innocentem, quem *acta* et *probata* uti reum traducunt. Nam veritas *formalis*, seu *iuxta acta*, est *praesumptio iuris;* at quaeritur an cedere deberet *veritati substantiali*, quando ageretur de proculcando *iure* hominis *certo*. Et in hoc DD. triplex sententia. Equidem DD. numero plures, uti videre est apud Schmalzg. *I, 32, n. 26*, autumant, iudici fas non esse, *scienter*, condemnare innocentem. Alii DD. mediam ineunt viam distinguentes causas criminales *minores* a *maioribus*, quibus fertur poena capitalis aut alia huic aequivalens. - Ratio distinctionis est quia, in mitioribus inferendis poenis, res publica sive civilis sive religiosa praesumitur non exquirere nisi veritatem *formalem*, in aliis vero gravioribus poenis exquirere veritatem *substantialem* seu *obiectivam* praeter *formalem*. - Uti patet ratio huius controversiae spectat ad systema *probationis legalis*, quod revera maxime vigebat quando Canonistae et Theologi acerrime de hisce quaestionibus inter se concertabant.

Primae et *secundae* sententiae contradicit S. Thomas (*2.ª 2ae. q. 64, a. 6, ad 3*) qui tradit « *Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum Superiori relinquere iudicandum. Si autem hoc non potest, non peccat, secundum allegata et probata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem* ». Hanc conclusionem mordicus impetierunt DD. contrariae sententiae et eam pene immoralem habuerunt. - At quaestionem, in terminis positam a divo Thoma praesignatis, non haereo eadem conclusione definire. Nam S. Doctor quaerit *an peccet* qui scienter dam-

nat *innocentem* iudicialiter uti *nocentem* convictum. - Iamvero iudex, postquam adhibuerit media *ordinaria* ad evitandam necem innocentis, non videtur, cum iactura sui officii seu cum gravissimo suo incommodo et cum discrimine publicae tranquillitatis, cogi ad deserendum iudicium, *ne eiusmodi* sententiam ferre adigatur. Officium dimittere reapse cogeretur, si res esset *intrinsece* mala. At uti nocentem, condemnare *aliquem iuxta acta* et *probata* de crimine convictum, quem tamen iudex cognoscit, scientia privata, innocentem, non est mendacium, quia revera iuxta *acta* et *probata* est *nocens;* neque est homicidium *iniustum,* quia ordo iudiciorum est in societate necessarius et iudex agit personam publicam, vi cuius exequi debet iudiciorum ordinationem et actum esset de efficacia iudiciorum, si iudici fas esset sententiarum impedire prolationem et executionem praetextu *scientiae privatae.* - Inde, iure merito, fluit conclusio a S. Thoma tradita - *iudicem non peccare.* Cf. Maschat *Inst. Can. I, lib. 1, tit. 22, cap. 15.*

Opinio D. Thomae est abstracte verior, at referenda est ad systema probationis *legalis.* Nam in systemate *intimae persuasionis* iudici integrum non est uti probatum assumere quod *ex actis* non evincitur, at illi licet *plenam fidem non adiungere* attestationibus aut documentis, quae infirmari aut extenuari sibi videntur per contrarias attestationes aut documenta, ipsi magis probabilia et perspecta. - Merenda, *Controv. iuris V, c. 8 sq.* Bruxelles, 1745.

Quare in foro eccles. cum plene vigeat systema *intimae persuasionis* iudex non implicatur hac difficultate. - Praeterea casu quo *acta* et *probata* pene evidenter de crimine convincerent accusatum, quem tamen insontem esse sciret iudex, hic declarans *intimam persuasionem* ipsum haurire *ex actis,* vel absolveret reum vel se abstineret a iudicando (Vol. I, n. 549) petens audiri uti testem aut denunciatorem.

211. Denique *certitudinis moralis* seu *probationis* fontes

sunt, 1) documenta, 2) indicia aut praesumptiones, 3) confessio rei, 4) attestationes testium. - De singulis breviter. - Probationes, quae inde derivantur, manifestant in iudicio rerum et factorum causas atque adiuncta iuxta versiculum : *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* - Quare hic agitur de mediis ad instruendas causas ordinatis.

§ 1. *De documentis.*

Summarium. — 212. In civilibus agitur de *instrumentis*, in criminalibus de *documentis* quae magis late patent. — 213. Quomodo relationes aut peritorum aut iudicis instructoris, qui fecit *accessum iudicialem*, referantur inter documenta. — 214. Quanam in periodo processus *documenta* et ceterae *probationes* afferri debeant. — 215. Quotuplici sub aspectu pensanda sint.

212. De *instrumentis* late egimus disserentes de probationibus Vol. I, n. 507; et instrumenta, in civilibus, suapte natura, ordinantur ad fidem faciendam de contractibus, de pactis, de aliis actibus, quorum memoria praestat ne pereat. - Ex adverso delinquens in primis conatur memoriam delere sui facinoris; at, eo invito, supersunt non semel scripta, *quae inserviunt crimini comprobando eiusque auctori detegendo* et appellantur *documenta*. - Verum latissime patet *documentum*, quia dum *instrumentum* est scriptura ordinata ex ipsa intentione partium, quarum interest, ad rei probationem, *documentum* habetur, quavis ratione confectum, si aliquam contineat facti attestationem.

213. Haec *documenta* sunt aut *publica* aut *privata*. - *Privata* sunt litterae, libelli, scripta quaecumque a privato cive vel saltem privata auctoritate edita vel ante, vel post delictum, hoc directe vel indirecte plus minusve comprobantia. - Inter *publica documenta*, in primis, recensemus relationes circa *perquisitiones factas* in corpus delicti aut in eius auctorem, relationes de *accessu locali iudiciali*, (Vol. I. n. 502) vota peritorum (Vol. I, n. 494) et, in genere, omnia scripta, quae continent relationem

aut votum publici officialis aut viri a publica auctoritate de sua sententia percontati. - Equidem ista argumenta obtinentur in periodo instructionis et inde efformatur processus, qui a iudice instructore conficiendus est. Quare si hic *perquirat* aut *accedat* ad locum delicti aut *votum* exquirat *periti*, de omnibus scriptam relationem facere et obtinere debet atque omnia amandare inter *acta*. Haec conficiuntur a *iudice instructore* ob rationes supra explicatas; sed si ipse iudex, qui sententiam proferet, inquirat et processum instruat, de omnibus taliter *actis* appositum documentum exarari curabit. - In Cod. Greg. cit. in lib. III et IV et V enumerantur singuli fontes probationis et distincte agitur - De *perquisitionibus* - De *accessibus iudicialibus* - De *peritis*. - Attamen quia exinde conficiuntur quaedam scripturae, commode istae probationes coadunantur sub genere documentorum.

214. Unde sequitur ista documenta afferenda esse dum patet periodus instructionis, in qua comparantur probationes tum in *accusationem*, tum in *defensionem accusati*, etsi facta fuerit *publicatio processus*, uti infra explicabimus. Nam publicatur processus, instructus secreta inquisitione, ut accusatus se defendat. - Instructio autem, quoad omnem partem, clauditur quando incohatur *publica accusatio* vel in scriptis animadversionibus vel oretenus agitanda, vel utroque simul modo. - Finis instructionis vocatur *conclusio in causa*, (Vol. I, n. 531); et principium fundamentale hac de re, seu quoad effectus *iuridicos*, est idem in *civilibus* et *criminalibus* et eaedem allegantur exceptionis causae explicatae *loc. cit.* - Haec animadversio spectat ad quascumque probationum species et hoc semel advertisse sufficiat.

215. Quamobrem quando in iudicium affertur documentum, *prima quaestio* est *an admitti possit*, seu an tempus *utile* sit pro admissione; itemque an illud documentum illa ratione confectum, admitti possit. Veluti an admitti possit scripta attestatio illius qui, oretenus audiendus, in ius vocatus fuerat.

Admisso documento, dein quaeri potest an habeat *aucto-*

ritatem externam, seu an sit authenticum vel potius an *falsi* exceptione accusandum sit. - Admissa *externa* auctoritate, de *interna* succedit quaestio, seu de eius valore *probativo*. Istas diversas quaestiones utile est distinguere ne una pro alia incassum agitetur. - De ratione peragendi peritias in scripturis ad probandam authenticitatem, cf. Menochius *De arbit. iudicis 114*, n. 11, seq. et Mascardus. *De probat. Conclus. 117.*

§ 2. *De indiciis seu praesumptionibus.*

Summarium. — 216. Indicia se referunt ad res seu ad adiuncta. — 217. Quomodo in criminalibus vigeant *praesumptiones iuris*. — 218. Utrum iuvet diversas species indiciorum distinguere, habita ratione vis probativae. — 219. Quomodo aestimanda sit vis probativa indiciorum.

216. *Documenta* se referunt ad scripta seu ad verba scriptis consignata, unde iudex desumit probationem de facto criminoso eiusque auctore. *Indicia* potius spectant ad illa *facta* seu adiuncta sive *antecedentia* sive *concomitantia* sive *consequentia* ipsum crimen, quae facta seu adiuncta videntur *indigitare* (seu *inde dicere* seu e *noto* deducere *ignotum*) crimen et eius auctorem. Proinde *indicium*, suapte natura, *est factum quod aliud indigitat* (1). Verum quia delictum est factum *ab homine deliberatum*, nexus intercedens inter indicium et *factum* non est *necessarius*, sed *contingens* et *hypotheticus*; quippe factum materiale non potest adamussim referre et continere *actum hominis* seu voluntatis deliberationem; quocirca nexus *inter factum - indicium* et *factum - crimen* est contingens et *probabilis* et fundamentum huius probationis consistit in *reg.* 45.

(1) De materia *indiciorum in criminalibus*, cf. Scaccia De iud. I; Menochium *De praesumptionibus*; Ursaya, *Instit. Crim. I. tit. 4*; Mascardum, *De probat. Concl. 1230*; Cocceio, *De fallacibus criminum iudiciis*; Weismantel, *Diss. de condemnatione facinorosorum ex indiciis*; Erfurti, 1791, Bannizza, *Systemata iurisprudentiae.*

Iuris in 6 « *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius et quod plerumque fieri consuevit* ». Quare definiri potest notio indicii, quatenus est « *coniectura ex aliquo facto orta et a lege aut a iudice allegata ad adstruendam rei dubiae fidem* ».

217. Modo definienda est quaestio: utrum *adsint praesumptiones iuris in criminalibus? - Et praesumptiones iuris* haberi in re criminali videretur non ambigendum, quia inter *regulas Iuris in 6, regula VIII* iubet. « *Semel malus, semper praesumitur esse malus* ». Sed e contra - *nemo praesumitur malus nisi probetur;* utrumque vero principium pertinet ad ius naturale, magis quam ad ius positivum. Nam hae regulae non constituunt *proxime* et *in concreto* aliquam probationem sed *communem* quamdam rerum conditionem manifestant innixam iuri naturali. Hoc autem ius non valet constituere praesumptionem unde aliquod factum concretum criminosum potius uni quam alteri imputetur *ad poenam,* quippe propositum delinquendi non praesumitur nisi probetur. Quare autumamus *praesumptiones iuris* non vigere in re criminali, prouti in civili, quia praesumptio iuris in civilibus saepius est *positio iuris*, veluti intentio quam habent parochi fundatam in iure ad colligendas decimas. Est vero universalis et unâ simul tangens singulos haec praesumptio; dum e contra, in criminalibus non potest haberi eiusmodi positio, quippe crimen non *ius* sed *iniuriam* continet. - Quare *praesumptiones iuris* in re criminali spectant ad moralem *communem* conditionem delinquentis, veluti ad aetatem, unde qui septimum annum excessit praesumitur doli capax. Item - *semel malus semper praesumitur malus* - seu animo paratus ad delinquendum; sed dum in re civili praesumptio iuris habetur *pro veritate* nisi contraria probatione elidatur, in criminalibus eiusmodi praesumptio, quippe *remota* et *abstracta*, non probat reitatem sed est simplex indicium aut suspicio, quae, ad summum, aliquando, pro aliis adiunctis, est tam gravis ut sit ratio sufficiens *publicae accusationis.*

218. Haec animadversio est maximi pondéris, quia vim determinat *praesumptionis iuris* in criminalibus et rationem reddit quare eiusmodi *coniecturae* proprius *indicia* quam *praesumptiones* vocentur. Nam ipsae *iuris praesumptiones*, veluti quod ad *aetatem*, non probant crimen sed criminis admittunt remotam idoneitatem; et regula *cit. 8 Iuris in 6*, non recolit nisi quoddam *indicium* pertinens ad ipsam rerum naturam, quia semel malus semper praebet suspicionem *seu indicium* de novo admisso crimine, de quo tamen nemo postulatur *ad poenam* nisi aliis argumentis convincatur. - Quocirca in criminalibus, quod ad *factum concretum*, ad probationem non invocantur generales *iuris praesumptiones*, utpote statuentes aliquam iuris positivi iussionem, prouti in civilibus, sed *praesumptiones hominis* seu *indicia concreta*. - Haec autem, sub aspectu probationis, sunt totidem *praesumptiones hominis* et, in systemate *intimae persuasionis*, nullam aliam continent vim probativam nisi eam quam parere natae sunt in iudicis aestimationem.

Inde patet quam graviter falsi sint canonistae contendentes *indiciorum* distinguere supremas classes et alia vocare *proxima* seu satis efficacia et alia *remota* seu minus efficacia; siquidem natura indiciorum, ad probandum factum concretum, non pensanda est abstracte. Quod, pro sua aetate, scite iam advertit Card. De Luca *De iud. Disc. 33, n. 14* « Nimium evidens atque irrisione dignus est pragmaticorum (1) ineptus et erroneus usus, in his materiis procedere generalitatibus (seu regulis) vel cum litera doctrinarum et decisionum, quae diversorum casuum occasione prodierunt, cum totum pendeat a singulorum qualitate et circumstantiis ».

219. Haec adamussim regula servanda est in aestimandis *indiciis* quae tantam vim probandi continent non semel ut

(1) At tunc temporis late invaluerat mos in criminalibus, qui passim in civilibus obtinebat, nempe systema *probationis legalis*.

constituant vel semiplenam vel plenam probationem. Ita intelligendum est effatum - *singula quae non prosunt, simul unita iuvant;* eo tamen pacto ut unum indicium, *obiective*, alterum compleat in sua vi probativa. - Porro, hanc aliquando vim inesse indiciis ut iudici ingerant moralem certitudinem, requisitam ad sententiam condemnatoriam, non obscure docet *art. 16 cit.* Inst. S. C. EE. et RR. ita expressus. « *Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio* ». In systemate autem *intimae persuasionis* nullam facessit difficultatem haec thesis, siquidem indicia non minus quam aliae probationes veritatem detegere nata sunt. - Nihilominus caute procedat, necesse est, iudex in perpendendis indiciis ne hallucinationibus ipse subiaceat. Ad rem teneantur hae regulae; 1) *Unum indicium non esse probandum alio indicio, seu coniectura, sed certum esse debere in ratione facti seu in substantia probationis.* - Secus enim fit locus *coacervo* praesumptionum et coniecturarum, quod tum *logice* tum *iuridice* plenum est periculi. Veluti si clericus postuletur crimine iniuriarum vel libelli famosi adversus alium clericum et accusatio probari velit maxime ex *indicio inimicitiae* unius in alterum; hoc iudicium non est ex coniecturis desumendum sed solide probandum in *ratione facti*, videlicet revera sibi invicem esse *inimicos* et accusatum et civem laesum ut certa sit *substantia probationis.* Dein secure perpenditur *substantia indicii* seu eius vis probativa quod ad factum criminosum.

2) *Indiciorum vis probativa non augetur aut minuitur ratione numeri sed ratione intimae cohaesionis; non secus ac quinque partes unius solidi, si coeant, unitatem faciunt.*

3) « *Non satis patet vis probativa indiciorum nisi facta sit accusato facultas se excusandi* ». Ut ecce, gutta sanguinis reperta in veste accusati *de homicidio* est maximum indicium,

quod tamen omnem vim amittit, si accusatus probet, hanc maculam in veste se gessisse a duobus mensibus ante homicidium.

4) « *Plurimum fidendum non est indiciis quae multiplicem et forsan contrariam exhibent interpretationem* ». Ita vultus pallor, habitus corporis vel trepidus vel impavidus diversam, imo contrariam admittunt interpretationem. Siquidem haberi possunt tum in accusato *innocente*, propter suae innocentiae conscientiam atque immeritae poenae periculum, tum in *sonte* accusato, propter conscientiae stimulos et poenae timorem.

§ 3. *De Confessione.*

Summarium. — 220. Ex ipsa notione confessionis *iudicialis* sequitur confessionem provocandam esse per interrogatoria seu per examen. — 221. De confessione *ultronea*, *tacita* seu *praesumpta*. De scindenda confessione. — 222. Examini rei praevia sit oportet inquisitio seu exploratio *corporis delicti*. — 223. De confessione *incidentali* aut extraiudiciali. — 224. Debet esse libera seu non coacta. De suggestivis interrogationibus. — 225. De tortura reorum. — 226. An reis deferendum sit iuramentum. — 227. An reo dilatio concedi possit ad respondendum. — 228. Regulae observandae in examine reorum. — 229. De confrontatione rei cum testibus. — 230. Examen inquisiti pluries repeti valet.

220. Confessio in criminalibus, non minus quam in civilibus, est *quaecumque asseveratio contraria seu non favorabilis ipsi asserenti*. - Quia hic agimus de confessione iudiciali, proinde confessio facta a reo favet intentioni accusatoris. - Nemo vero perducitur ad asserendam suam culpam nisi veluti huc pertrahatur vel evidentia facti vel interrogationibus quae sensim, e cognito ad incognitum discurrentes, a reo hauriunt veritatem; quum illum ponant in ea conditione ut nisi veritati obsecundet, persentiat proferre mendacium dein facile detegendum ex aliis collectis probationibus. - Inde patet, in iudicio, confessionem rei, videlicet probationum optimam, obtineri per interrogatoria seu

rei examen. - Interrogatoria in criminalibus proponuntur reo vel a iudice instructore seu inquisitore vel ab ipso iudice, dum agitatur accusatio, ante sententiam definitivam. Promotor fiscalis instat ut fiant interrogationes (Vol. I, n. 444) a iudice proponendae. In processu mere *accusatorio* interrogatoria fiunt ab ipso accusatore, privato cive, quamvis et iudici integrum semper sit reum interrogare. - In iudicio *mixto*, si adsit *adhaerens fisco*, hic, permittente iudice, accusatum directe interrogare valet in periodo *accusatoria*. - Praeterea dantur *confrontationes*, de quibus infra. - Sed regula est, confessioni praevia esse debere interrogatoria.

221. Quod adeo verum est ut suspecta habenda sit confessio *ultronea* seu *spontanea*. Qui enim in iudicio, sponte sua, prosilit in confessionem sui criminis, fit suspectus de mendacio ne scilicet confitens aliquid commodum inde reportare intendat. Siquidem vix concipi potest aliquem sui ipsius fieri accusatorem. Utputa vir, qui probare intendit suam potentiam coeundi et hinc repellere actionem nullitatis matrimonii ab uxore instauratam ex capite *impotentiae* viri, ad obtinendum suum scopum libenter arripit occasionem fatendi, etiam iudicialiter, crimen *adulterii formalis*, unde evincitur eius potentia coeundi. - Nihilo secius confessio *spontanea* non est amandanda illico inter mendacia et a iudice despicienda. Immo in maximo pretio habere istam debet iudex, qui statim inquirere curabit ut detegat an confessio veritati respondeat. Hinc facultatem faciet reo impugnandi suam confessionem, atque ex testibus, ex documentis ipse depromere studebit rerum veritatem. Cf. Van-Espen. Ius. Eccles. Part. III, Tit. VIII, n. 27.

In criminalibus parum fidendum est confessioni *tacitae* seu *praesumptae*, quippe periculi plenae; veluti quis accusatur de calumnia, et de eadem convictum eum esse contendit iudex, quia cum accusatore transactionem accusator inire studuit adeo ut exinde *quasi tacite confessus* habendus sit. - Ast hoc argumen-

tum *parum* probat, quippe ipse timor iudicii et gravissimi fastidii inde obventuri, est sufficiens ratio cur aliquis etsi innocens avertere conetur tantum discrimen.

Quaestioni an asseveratio partim contraria asserenti, partim favorabilis accipienda sit *integre* ut legitima confessio, an *scindenda* sit, iam respondimus Vol. I n. 451. - Sane res expedienda est per arbitrium iudicis, maxime in systemate *intimae persuasionis*. Casus frequentior huiusmodi confessionis habetur *in confessione qualificata*, veluti si *confitens* dicat: iniuriam protuli quia iniuriis alius iam me impetierat, seu iniuriavi ut iniurias retunderem, scilicet scopo *defensionis*.

222. Interrogatoria autem a iudice proponi non debent nisi praevia fuerit inquisitio de crimine eiusque adiunctis, nimirum *de corpore delicti* (1). Nam componi non valent interrogatoria apte, nisi explorata sit materies quaestionis atque non fas est aliquem iudicialiter convocare ut, in sui personam, respondeat de crimine, nisi iam praesto sint gravia indicia istum accusantia.

223. Quamobrem *confessio* non aestimatur *iudicialis* quando haec *est incidentalis*. Nimirum si dum reus interrogatur de crimine adulterii, ipse fateatur furtum, iudici integrum non est persequi, nempe *via incidentali*, eadem perdurante instantia, hoc alterum crimen; sed praemissa facti inquisitione seu probatione de *corpore delicti*, istud crimen persequi curabit. Pellegrini loc. cit. Sect. IV, n. 86 docet. « Notandum est quod aliquando crimen devenit ad iudicis notitiam alio modo quam per accusationem, inquisitionem, denunciationem aut exceptionem, scilicet per confessionem, quod quidem accidit vel quando pars accusans vel testis incidenter confitetur se aliquod commisisse delictum; et tunc, licet ex eiusmodi confessione puniri non possit, bene tamen iudex poterit ex ea procedere ad inqui-

(1) Cf. Meyer - *De effectu confessionis corpore delicti adhuc incerto* - Lipsiae 1779; et Pellegrini *loc. cit. Sect. IV. n. 33.*

rendum et formare processum etc. ». Quod hic tradit Pellegrini de accusatore vel teste, aeque valet pro accusato et planum est.

Porro eiusmodi confessio, quod ad illam instantiam, est pene *extraiudicialis* proindeque non fit probatio *iudicialis* quousque de crimine instaurata non sit *iudicialis* instantia, in qua confessio, rite expensa, fieri potest plena probatio apta ad condemnandum reum iudicialiter convictum. - Cf. Vol. I, n. 452 sq. - Articulus 15 cit. Inst. EE. et RR. cavet in *confessionibus extraiudicialibus* obtineri unum ex indiciis valde attendendis et per *istas* posse constitui *curiae informationem*, praeviam rei citationi. Confessio autem huiusmodi vocatur *extraiudicialis*, vel quia facta est a reo praeter quamcumque occasionem iudicii, vel quia facta est apud ipsum iudicem inquirentem seu instructorem, sed ante litem contestatam.

224. Confessio *iudicialis* per interrogatoria exprimenda est ex ore rei; quare confessio est optima probationum, quippe praesumitur cum veritate cohaerere, est enim ipse criminis auctor, qui crimen pandit eiusque adiuncta. Verum confessio necessario suam amittit virtutem probativam, si non sit *libera* seu non profluat ex intima animi persuasione sed ex ore rei promatur vel per *fallaciam* interrogationis aut per *violentiam*.

Fallacia interrogationis continetur in *suggestu* seu in interrogationibus *suggestivis*. Suggestus fit cum interrogationes insinuant aliquod factum aut facti adiunctum, veluti probatum et non controversum, quod, reapse, neque probatum est neque caret controversia. Ex hac affirmatione iudicis suggeritur responsio rei, qui timidus facile affirmat quidquid a iudice absque haesitatione asseveratur. Quocirca *suggestiva* interrogatio provocat responsionem non elicitam ex intima persuasione respondentis; unde, responsio est *dubii* valoris (1). Suggestus autem non minus

(1) De suggestu vitando haec docet Pellegrini *loc. cit. Sect. V, n. 83* loquens de testibus interrogandis. « Suggestio in testibus dupliciter considerari potest, *aperte* et *palliate* - suggestio *aperta* dicitur quando testis

vitandus est in examine rei quam in interrogandis testibus. Pellegrini *loc. cit. Sect. IX, n. 31* tradit. « Abstinere debet (iudex) ab interrogatoriis suggestivis, puta interrogando reum an ipse vulneraverit Titium, vel ipsum occiderit et huiusmodi quia tunc esset potius instruere. Unde laborare debet quantum potuerit ne confessio per reum facta vitio suggestionis laboret... Alias confessio per suggestionem facta esset nulla et invalida et consequenter non potuerit ex ea deveniri ad punitionem delicti ».

Haec suggestio appellatur *verbalis*, distincta a *reali* et huic *suggestioni* aperitur aditus, si praepostere adhibeatur *recognitio personalis* aut *realis*. Sane *recognitione* opus est quando urgeat recognoscere *rem* aut *personam* et dubitatur an illa quam indigitant reus, aut accusator, aut testis, ea revera sit de qua quaeritur. Tunc reus aut testis aut denunciator aut accusator provocatur ad fatendum quaenam ex pluribus *rebus* aut *personis*, quae ei ob oculos, ex industria, proponuntur, partem habuerit in crimine perficiendo. Ut puta reus se excusat a crimine, alium accusando criminis auctorem quem se vidisse fatetur. Iudex, ut cognoscat an accusati asseveratio sit verax, ei praesentat personam accusatam, admixtam aliis personis, quae cum accusato non parvam habent similitudinem, et quaerit ut reus indigitet accusatum. Haec vocatur recognitio *inter plures* (1)

apertis *verbis* interrogatur suggerendo illi responsionem, criminum, an *Titius* occiderit *Caium ense, tali die mensis, hora.* - *Palliata* vero suggestio dicitur quando de ea aperte non apparet ex iudicis interrogatione sed implicitis verbis continetur et hoc dupliciter contingere potest. Primo quando nullo modo apparet per iudicis interrogationem super quo testis interrogatus fuerit, quia forte fuit dictum: *Ad aliam interrogationem respondit*, vel *ad opportunas Domini interrogationes respondit*. Qui modus, concisus interrogandi non est adhibendus per iudicem quia a DD. vocatur socius suggestionis..... Secundo modo fit quando extenditur interrogatorium, sed indicatur testi via respondendi, etc. ».

(1) Quando provocatur ista recognitio inter plures vel *res* vel *personas*, oportet, res vel personas admixtas *rei* aut *personae recognoscendae*,

et est efficax probatio, quae ut plurimum exquiritur a testibus quorum est demonstrare, se probe cognoscere illum quem sua attestatione aut accusant aut excusant. - Ast subest *suggestus realis* si vel una tantum *res* aut *persona*, quae a iudice *praesupponitur* recognoscenda, offeratur recognitioni sive accusati aut accusatoris sive testis.

225. Obstat libertati confessionis violentia seu coactio. Quum vero inter iuridica instituta ad excutiendos accusatos et testes diu in usu fuerit *tortura* seu *quaestio* (1) etiam apud curias eccles., sufficiat advertere eiusmodi *coactionem* iudicialem ordinatam ad exprimendam accusatis confessionem et testibus attestationem, iure quo utimur, non minus quam moribus, aperte reprobari, quippe quae obstat libertati confessionis. Proinde reprehenditur tortura, utpote *fallax* quum parum fidendum sit confessioni taliter extortae et praeterea utpote *iniusta*, quum poenis torqueat quem reum esse certo non constat. - S. Augustinus ita coarguebat torturae institutum - veluti *iniustum* - (*De civil. Dei cap. 6*). « Cum quaeritur utrum sit nocens cruciatur, et innocens luit pro incerto scelere certissimas poenas, non quia illud commisisse detegitur sed quia non commisisse nescitur, ac per hoc

esse 1) *incognitas* ei a quo expetitur *recognitio*; et 2) *similes* magnopere rei aut personae recognoscendae.

(1) Romani *torturam* vocarunt *quaestionem*: cf. *tit. De quaest. ff.* Etiam apud Graecos invaluerat et passim apud populos orientales. - Romani, epocha classica, tantum *servos* subiiciebant *quaestioni*; et postea, potissimum praevalente imperio orientali, indiscriminatim *quaestioni* omnes subiecti fuerunt. Diruto romano imperio, populi germanici intulerunt *duella iudicialia* et in genere *purgationem vulgarem* et per legem *Salicam*, *Ripuariam*, *Bavaram* torturae mos obsolevit. At postquam condemnata fuit *purgatio vulgaris* a iure can. quod substituit *purgationem canonicam*, haec visa est parum efficax potissimum ea aetate quum late explicatus fuerit processus *inquisitorius* adversus graviores delinquentes, et in primis, adversus haereticos. Quamobrem, veluti ad tutelam reorum exquisita fuit *probatio legalis* atque ad perficiendum hoc systema in honore habita

ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis ». Ulpianus reprehendebat, quippe *fallax*, leg. 1, § 23 ff. *De quaestionibus.* « Quaestioni fidem non semper nec tamen nunquam habendam Constitutionibus declaratur; etenim res est fragilis et periculosa et quae veritatem fallat. Nam plerique patientia sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia ut in quodvis mentiri quam pati tormenta velint. Ita fit ut etiam vario modo fateantur ut non tantum se, verum etiam alios comminentur ». Hisce de rationibus iampridem usus torturae e foro exulavit.

Nihilo secius quia admitti non potest, usum *torturae* iam a remotissima antiquitate viguisse et apud populos christianos et curias eccles. tam late in Europa adhibitum fuisse, nisi aliquo inniteretur fundamento iustitiae et veritatis, advertatur 1) torturam habitam esse uti *remedium extraordinarium* seu quum alia deessent probationum media de gravioribus criminibus. - 2) Iudici minime fas erat torquere accusatos aut testes nisi tam gravia collecta fuissent indicia de facti veritate et auctore ut tantum deesset confessio aut attestatio ad obtinendum fastigium evidentiae. Vigebat systema *probationis legalis.* 3) Confessionem

est *tortura* cui maxima laus erat, contineri in codice legum romanarum. Equidem non per leges expressas in iure communi sed potissimum per placita DD. et receptis moribus invaluerat tunc systema *probationis legalis*; quae haud facile obtinebatur, etiam a iudice intime persuaso de criminis auctore, nisi accederent rei confessio aut disertae testium assertiones. Undique voces excitabantur exprobrantium eiusmodi morem per argumenta a Divo Augustino adhibita: cf. Charron, *De la sagesse liv. 1, chap. 4 § 7*; Montaigne, *Essais liv. 2, chap. 5 Paris 1802*; Martino Bernardi - *Disertatio - De tortura ex foris christianorum proscribenda* - apud Thomasium Vol. 2, Diss. 69, Magdeburgi. Ast dumtaxat saeculo *decimo octavo* pene ubique e foro cessit tortura. Inter eius laudatores; cf. Liebich, *Utrum tortura penitus abroganda an tantum limitanda videatur*; Sembach, *De modo torturae secundum leges habendo.* Lipsiae 1772. Opgelder, *De quaestionibus sive tortura reorum,* Lugduni Batavorum.

elicitam in tormentis aut attestationem confirmandam esse ab accusato aut a teste extra tormenta probat Farinacius *De ind. et tort.* q. 34 n. 114 sq. et Scaccia *De iud. - De test. tortur. c. 137 n. 181;* et Pellegrini, qui *op. cit. sect. V. n. 80,* recitato textu Augustini, monet quantis periculis plenum sit hoc remedium iudiciale plures recolens casus graviorum *errorum* et docet iuxta DD. communem sententiam, a iudice nonnisi maxima cautela et aequitate torturam applicandam esse ne gravissimi fiat reus criminis. - 4) Ceterum advertere praestat, iure meritoque sperandum esse ne tortura amplius forum ingrediatur; at simul fatendum est, hodie etiam dum omnes abhorrent a simplici recordatione huiusmodi instituti, non ita raro accusatos seu secreto *inquisitos* submitti in *secretis* custodiis haud levibus torturis vel moralibus vel physicis, prouti non semel e latebris *secretae* custodiae vox erumpens eiusmodi coactiones denunciat; vox nempe aut ipsius inquisiti aut testis cuiusdam aut officialis. - Siquidem insitum est veluti in humana conditione ut criminis auctor non semel certe cognoscatur at *legitima* probatio vehementissime desideretur; non secus ac mater, quae valde suspicatur tenellum filiolum gravem patrasse inobedientiam et ab eius ore exprimere conatur ingenuam confessionem quam timidus negat; et tunc mater aut osculis aut reprehensionibus urget puerulum ut fateatur admissum; quod deinde plorans confitetur ast pluribus admixtis excusationis adminiculis. Ut plurimum excusationes fiunt verae confessionis certissima probatio. 5) Denique quia non defuerunt torturae laudatores, isti arguunt, e contra torturam bonum afferre ipsi accusato quippe fit *iudex in causa* propria: si enim est *innocens* omnem accusationem et gravem suspicionem indiciis comprobatam ab se aufert, quum passus fuerit aliquod tormentum; si est *reus* sibi comparat absolutionem a gravissima poena per leve tormentum. - Haec sane defensio non est admodum efficax ut usum probet torturae; quippe haec etsi non intrinsece *iniusta*, praeter alia, vitium habet *suggestionis realis*.

226. Connectitur cum materia modo explicata quaestio: *an reo deferendum sit iuramentum*. Porro Pellegrini *l. cit. Sect. IX, n. 13 - in summario* - asserit « *Iuramentum est quaedam tortura spiritualis* » et explicat praxim deferendi iuramentum tunc communem utpote conformem iuri decretalium arg. cap. *Ex litt. De iureiur. X* (II, 24). Nostra aetate, in scholis et apud curias civiles non minori detestatione condemnatur usus torturae quam mos iuramenti reo delati. - Quae ratio agendi etiam in curiis ecclesiasticis hodie adamussim servanda est, proscripto more deferendi iuramenti reo in causis criminalibus. Sane Benedictus XIII in celebri Concil. prov. rom. a. 1725, ex hoc quod nihil utilitatis nec in fisci favorem nec pro reo obtineatur et quia sacra iurisiurandi ratio expostulat ut hoc non exigatur a reo, qui ipso iure naturae *non tenetur prodere seipsum*, ideo Papa *iuramentum huiusmodi a reis in futurum* (1), *per quoscumque iudices, sub quovis praetextu, causa et quaesito colore exigi vetuit*. Prostat hoc decretum etiam apud Giraldi *Exposit. iur. pont. ad caput, Ex litt. De iureiur.* et ipse Giraldi advertit hoc decretum afficere tantum curias quas complectitur Conc. Romanum, sed monet expedire ut huic decreto obsecundet praxis omnium curiarum. Quod moribus inductum iam fuisse comperimus ex Instructione S. C. EE. et RR. iam citata, quae implicite hanc regulam inculcat et laudat quum exigat expresse iuramentum a testibus interrogandis et de reis, iuramento delato, examinandis nullam faciat mentionem. - Quamobrem iudex eccles. absolute abstineat a deferendo iuramento quod accusatus seu

(1) Cavet decretum, exigi iuramentum quando *rei* ut TESTES *quoad alios* examinentur. Haec quaestio iam antea et maxime occasione huius Concilii impenso studio agitata est, et Giraldi in Additionibus ad *Thesaurum De poenis eccles. II* verb. *Iuramentum* refert votum Flavii Delphini, in quo probatur, nullitatem actorum a Pontifice comminatam in transgressores huius legis, afficere nedum constitutum rei, sed omnem processum.

inquisitus examini subiectus praestare iubeatur in confirmationem suarum responsionum (1). Cuius conclusionis eo fortior est ratio, quia ipsi Theologi, teste S. Ligorio (IV, 274) et duce De Lugo (*De iust. Disp. 40* n. 14) opinantur sententiam esse valde probabilem et *practice tutam* quae tenet, reum etsi iuramento adstrictum, et recte et competenter a iudice interrogatum non teneri suum crimen fateri quando ipsi sequatur *magna poena* seu *magnum incommodum*.

Nihilominus excipi debent causae fidei de quibus agitur apud tribunal S. Inquisitionis et Pignatellius (*Cons. noviss. 159 n. 23*) docet, in hisce causis, haereticis seu de haeresi accusatis iuramentum deferendum esse; et in iudicio sollicitationis ad turpia iubet Inst. S. Inq. 1867 « *reus iuramento dicendae veritatis adstrictus respondere debet* ».

227. Illud praestat advertere, nempe reo expostulanti dilationem ad respondendum *in criminalibus* annuendum non esse. Nam in *civilibus* hoc conceditur quotiescumque conventus seu reus examinandus, legitima de causa, expetat tempus quo deliberet an et quid respondere debeat; non semel enim in *civilibus* de facto alieno quis interrogatur, ut puta *haeres* qui, iure merito, se nolle respondere deliberare valet, renuncians iuri suo; quod admitti non potest in criminalibus. Etenim reus de facto *proprio* respondere debet neque responsionem recusare valet, quae expostulatur a publica auctoritate in publicum bonum.

(1) Iam De Luca *De iud. Diss. 25* disserit de inolita sensim consuetudine ut parum deferretur probationi per iuramentum obtentae. Van-Espen l. cit. *tit. 7 cap. 8, n. 20*, refert ob periculum periurii in criminalibus iuramentum solitum non fuisse deferri et eamdem consuetudinem adesse fatetur Bouix De iud. II. p. 566 *in nota*. - Doctores vero *practici* uti Pellegrini l. cit. Sect. IX, n. 14, docent tunc *rite* interrogari reum, quum ei manifestantur *indicia gravia* iam adversus eum collecta; et tunc reum etiam non *iuratum* debere veritatem fateri, quia iam servatus est ordo iudicialis; quo praehabito, reus conqueri non potest si a publica auctoritate de suo ipso facinore interrogatur.

228. Modo regulas delibabimus observandas in perficiendo rei examine. Advertunt omnes DD., examinis aptam confectionem expostulare maximam peritiam et prudentiam non tam per leges abstractas comparandam quam usu addiscendam coniuncto cum naturali ingenii calliditate. Nihilominus iuvat supremas enunciare regulas examinis, quae promanant ex intima actus natura.

1) Prouti iam advertimus, ad rei examen non devenitur nisi praecesserint indicia satis gravia de accusatione plus minusve aperte facienda et *contestanda* reo in processu examinis. - Ast examen est actus inquisitivus seu *analyticus*, quocirca singula interrogatio singula adiuncta continere debet seu non *cumulatim* enunciata sed *seorsim* exposita, ut reus simplici et nitida responsione valeat expedire quaestionem absque ambiguitatibus.

2) Examen *analyticum* antea quaerit de qualitatibus omnino *personalibus* inquisiti quibus iudici probatur identitas personae; inde examen vocatum fuit - *constitutum* - quia actuarius exarat scribens « *Constitutus personaliter N. N.;* et iudex exorditur ab interrogando reo an re vera ipse sit ille vir de quo quaeritur.

3) Interrogationes, quae subsequuntur, aliae versantur circa facta per se *indifferentia* veluti - *cognoscis tu Titium Clericum? habes cum eo coniunctionem sanguinis?* -, exinde iudex promovet interrogationes in inquisitum aliquam continentes *accusationem*, veluti - *tu dicis, tibi Titium esse pene incognitum sed testes non desunt asserentes quod tu cum eo versabaris paucis abhinc diebus in tali loco.* Ita porro examen alternis interrogationibus constat quibus antea alicuius facti, suapte natura, non criminosi notitia exquiritur, unde occasio arripitur inquisito contestandi aliquod *indicium* accusationis.

4) Ad evitandum vitium *suggestus* iudex procedens *methodo analytica* non discurrat a *cognito* ad *incognitum*, seu

affirmando facta aut adiuncta sed *dubitative* interrogando; *leg. 1, § 17 ff. De quaest.*

5) Quotiescumque reus aliquid affirmat magnae aut non levis gravitatis, sollicitandus est ut proferat media probationis ei in mentem revocando indicia aut probationes quae illi contradicere videntur.

6) Examine peracto, examen a notario iam scriptis exaratum legendum est inquisito ut confirmet, corrigat, adiiciat pro lubito atque scriptam attestationem, si praestare valeat, ipse subscribat aut alias sinat, veluti per testium subcriptionem, asseri authenticitatem responsionum aut ipse exaret *signum crucis* quod testes asseverent ab eo fuisse signatum in signum authenticitatis.

7) Si plures interrogandi sunt accusati aut testes, non *turmatim* examini submittendi sunt sed *seorsim* ita ut qui novissimus interrogandus est non cognoscat neque interrogationes ceteris factas neque redditas responsiones; secus unus alteri *suggestus* praebet occasionem. Hodierni codices maximas cautelas in hoc adhibentes, iubent examina tum reorum tum testium *seorsim* peragenda esse et apud tribunalia assignantur conclavia ita distributa ut qui praestolantur examen non alloquantur eos qui examen iam subierunt. Cf. Mittermaier - *Teoria della prova, p. 360*, Milano 1850; Faustin Helie *Traité de l'instruction criminelle* Vol. 3, pag. 563, Paris 1845. et Inst. cit. EE. et RR. *art. 17.*

8) Denique si reus respondere recuset et hoc sive expressis sive aequipollentibus verbis aut modis significet, admonendus est ut aut probet rationem suae recusationis legitimam aut sciat se haberi pro confesso et condemnari quasi reum confessum, nisi forsan expediat ipsum poenis plectere gravioribus, quibus impellatur ad responsionem sive affirmativam sive negativam reddendam. Si se referat ad aliam responsionem, forte redditam in alio examine, haec legenda est, quam ut confirmet aut corrigat aut penitus reiiciat, urgetur inquisitus.

229. In decursu examinis, uti iam advertimus, reo fit contestatio indiciorum seu probationum, quae accusationem in eum videntur confirmare. Hinc non est alienum ab hoc examine ut aliquando reo legatur cuiusdam testis examen, continens unum vel alterum caput accusationis quod exinde deducitur in contestationem. Si reus plura referat, quae in dubitationem adducunt testis assertiones, ad diluendas difficultates, solet iterum invocari ipse testis qui respondeat obiectis ab accusato in faciem accusati et vivae vocis contentione: hic congressus testis et accusati vel unius et alterius testis inter se vel plurium inter se accusatorum aut testium, vocatur *confrontatio* et maxima cum utilitate adhibetur in foro ad explorandam veritatem.

230. Examen inquisiti non semel tantum sed pluries institui valet pro arbitrio iudicis instructoris. Item unum examen *in plures sessiones* prorogari valeat, si sit adeo implicatum et longum, quod tamen raro contingere solet. - Quia in uno vel pluribus examinibus fit successive *delicti contestatio*, caveat iudex ne in uno examine exponat aliquod caput *contestationis* et concedat inquisito tempus respondendi in alio examine, quando nempe sibi comparare valuit, in quieta rerum meditatione, modum faciles nectendi fraudes et fallacias.

§ 4. *De testibus.*

Summarium. — 231. Quaeritur potissimum *de modo* seu de *ratione processuali* qua in iudicio crim. testes probationem faciunt. — 232. Quinam testes esse possint in iudicio crim. Testes aliunde *inhabiles* praebent *indicia*, non proprie *attestationes*. — 233. Utrum *unus* testis faciat plenam probationem. — 234. De testibus ad examen citandis et de appositis regulis. *Testis non iuratus non probat*. In primis quaeri debet a quonam producatur testis et quinam sit fons scientiae. — 235. An testes cogi possint. — 236. De testibus in processu accusatorio. — 237. De testibus examinandis pro informatione curiae, in processu *inquisitivo*. — 238. Diversimode recipiuntur testes et attestationes in processu pure inquisitivo ac in processu mixto. —

239. De legitimatione processus seu de repetitione testium in processu mixto. — 240. An repetitio testium sit ad substantiam. — 241. Quare *confrontatio* teneat locum *repetitionis*. An aliquando sit necessaria. — 242. Quando et quomodo in processu haec fiant. — 243. De *repulsa* testium seu de exceptionibus in testes.

231. Agentes de *testibus et attestationibus* in Vol. I, fassi sumus (n. 467) nos tunc tractationem evolvere de testibus in *negotiis civilibus*. Quamobrem videretur, in praesentiarum ex integro explicandam esse canonicam doctrinam *de testibus* in re *poenali*. - Verum adverti debet, regulas iuris positivi *de testibus* considerari sub duplici aspectu, nimirum quaeri 1) de testibus admittendis vel non et de valore attestationum, 2) de ratione processuali admittendi testes. — *Prima* quaestio se refert ad determinandum valorem probationis *per testes* ex iure positivo; *secunda* autem ad constituendam normam procedendi in admittendis et examinandis *testibus*.

Quoad *primum* non adsunt in iure positivo can. praescriptiones appositae respicientes tantum valorem probationis habitae per testes *in criminalibus;* sed, in genere, quae edicta sunt de hac probatione pertinent tum ad iud. *civilia* tum ad *criminalia*; quamobrem quae explicavimus Vol. I *loc. cit.* valent aeque pro iudiciis *criminalibus*, sed in applicatione harum regularum aliquid singulare est quod *num. insequentibus* explicabimus.

Quoad *alteram* quaestionem, nempe *modum procedendi*, res omnino diversa est in *criminalibus* et expostulat specialem tractationem quam infra agemus.

232. Et in primis satisfaciendum est quaestioni antea enunciatae, pertinenti ad valorem probationis. - Iamvero principium iure can. inductum, *nempe non haberi absolutas et taxativas inhabilitates demptis inhabilitatibus iuris naturalis sed determinari casus legitimae suspicionis*, - (Vol. I, n. 473), urget etiam *in re criminali*. Sed hac in re applicatio huius principii

aliquid singulare habet. Nam *in civilibus*, testis *inhabilis* aut *suspectus* repellitur a testimonio ferendo; etsi probatio rei controversae aliunde repeti non valet, respublica nihil detrimenti capit: *quia actore non probante reus absolvitur*. Ast in *criminalibus* agitur de bono reipublicae cuius vehementer interest crimina et criminosos compescere. Unde in conspectu testis *inhabilis* aut *suspecti*, qui ceteroquin aliquam probationem facere valeret, quid iuris? Pellegrini *loc. cit. Sect. IV, n. 75*, respondet, « Erit notandum *primo*, inhabiles illos dici qui *testificari prohibentur*, *sed etiam isti in quibusdam casibus admittuntur*, propter criminis atrocitatem ut in crimine haeresis, sacrilegii, simoniae... Notandum est *secundo* quod aliquando in subsidium testes *inhabiles* admittuntur si alii idonei haberi nequeant.... et hoc introductum est favore reipublicae ne delicta remaneant impunita... et tunc recipi possunt consanguinei, amici, domestici, mulieres, viles, infames et similes ». Sed hi testes qui audiuntur in subsidium testium idoneorum et habilium, quia per se semper sunt *inhabiles* seu *suspecti*, non faciunt plenam probationem sed *indicium*, uti notat Pellegrini l. cit. et confirmat Farinacius *De ind. q. 37 n. 63 sq.* et Iul. Clarus *Pract. crim.* q. 24. - Quocirca *pro informatione curiae*, caute tamen, dum colliguntur indicia de crimine et auctore criminis nec non *in defensionem rei*, possunt recipi testes *alias inhabiles*, prouti diximus. Verum quia intentio iudicis est non propriam obtinere *attestationem* sed aliquod *indicium*, exinde hi non coguntur *iurare*. Nam *testis non iuratus non probat*, sed a teste *inhabili* non expostulatur formalis attestatio sed aliquod *indicium;* et hoc obtinetur a teste non *iurato*. Ceterum testem *inhabilem* iuramento obstringere, esset eumdem exponere periculo periurii. Est sententia communis DD. - Cf. Farinac. De *test. q. 74* - cui concinit iurisprudentia S. R. Rotae. - Praestat recolere articulos *cit. Cod. iud. Greg.* - qui rem optime expediunt. - Art. 256. « *Qui aetatem non expleverit annorum 14 non potest*

submitti, qua testis, EXAMINI FORMALI, *nimirum praestationi iuramenti* ». - Art. 257. « *Attamen potest audiri ad indicium faciendum atque vocari ad personalem confrontationem dum causa agitatur, et iudices illius attestationis illam habebunt rationem quam persuadent rerum adiuncta* ». - 258. « *Item eximuntur a praestando iuramento* 1) *Genitores, et alii ascendentes, filii nepotes, aut alii descendentes;* 2) *Fratres et sorores* etc. ». - Concordat *art. 18 cit.* Inst. EE. et RR. ita conceptus. « *Testes ad probationem aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti* ».

233. Praeterea, quoad valorem probationis, expendi debet regula: *unus testis nullus testis*, - quandoquidem etiam in criminalibus haec regula patitur exceptionem. Porro *unus testis*, est ad condemnationem *nullus testis*; non vero ad ferendam sententiam *absolutoriam*, itemque ad inchoandam instantiam iudicialem seu ad aliquem citandum et accusandum. Ita Reiffenst. *De test. n. 267* et Mascardus *De prob. Conclus. 491 n. 17 et Concl. 906 n. 10.* - Plures vero testes aestimantur veluti *unus testis* si sunt *singulares*, quod explicavimus Vol. I n. 481 sq.

Nihilominus facta est exceptio huic *regulae*. - Et in primis *in re civili;* in qua tamen nullum facessit negotium credere testimonio unius et inde quaestionem definire quum agitur de attribuendo aliquo iure vel asserendo facto utili et honesto, veluti quum quaeritur an quis sit baptizatus, an sit clericus. - At in *re criminali* difficile admittitur exceptio huius regulae adeo ut unius attestatio sufficiat ad condemnationem. - Verum in Bulla - *Sacram. poenitentiae.* - Bened. XIV statuit quem convinci de crimine sollicitationis per unius seu ipsius sollicitati testimonium. Ast attendenda sunt verba Bullae quae docent expresse quando *unius testimonium* faciat plenam probationem. Cavet enim Pontifex in cit. Const. ». Dantes etiam facultatem *(Ordinariis locorum)* ne delictum tam enorme et Ecclesiae Dei tam

perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum cum difficilis sit probationis, *testibus etiam singularibus*, concurrentibus *praesumptionibus, indiciis et aliis adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi* ». Quocirca attestatio *unius testis* non facit, in themate, per se plenam fidem nisi accedant *praesumptiones, indicia, adminicula,* seu alia probationum momenta, quae compleant defectum attestationis singularis. Cf. Pignatellius, *Cons. can. Tom. 8, Consult. 110, n. 26, et Consult. Noviss. 150 sq.* qui canonista testatur eamdem praxim servari in causis fidei adversus haereticos et in aliis gravissimi momenti.

234. Quia non admittitur aut saltem parvi fit rei confessio *ultronea*, ita multo magis pene integrum amittit valorem *attestatio* si haec *ultronea* sit, quae exinde magis *denunciatio* aut *querela* dicenda est; arg. *cap.* X (II, 20). *In nomine. De test.*

1) Itaque testis citandus est a iudice ut sistat se apud tribunal responsurus interrogatoriis sive *ex officio* convocetur sive ad *instantiam* partis. - Proinde in *actis iudicii* constare debet de edita citatione, secus testis haberi posset suspectus, utpote *ultroneus;* arg. l. *Presbyter. Cod. De Episc. et cler.*

2) Testes impediti audiuntur *per remissoriam.* Cf. Vol. II, n. 323 - Iubet *art. 19 cit. Inst.* « *Testium absentium aut in aliena dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab eccles. loci auctoritate eidem transmittendo prospectum facti; et iudex requisitus petitioni respondebit, servatis huius Inst. normis* ».

3) Attestationes autem redduntur coram iudice per responsiones ad interrogatoria a iudice semper proponenda, quamvis haec fiant ad *instantiam partis*, nisi iudex permittat alteri alterum interrogare, veluti fit in *confrontatione.*

4) Testes semper audiendi sunt seorsim, prouti dictat art. 17 *cit. Inst.* « *Personae quae examinare expediat semper audiuntur separatim* ». Secus responsio unius est alteri *sugge-*

stiva. - Haec cautela est maximi momenti, proinde testes, cum dimittuntur ab examine, curandum est ut alloqui non possint testes adhuc examinandos; et, dum unus examini subiicitur, alii adeo remoti esse debent ab aula audientiae ne interrogatoria et responsiones percipere valeant, ut puta aures sollicite admovendo ad ostium aulae; arg. *c. c. Venerabili 52. De test.* Cf. Fagnanus *in caput - Audivimus - De reliq. et vener. sanct.* n. 5 sq.

5) Testis ante responsiones excipiendas moneri debet de gravi obligatione fatendi veritatem; tum ob naturalem obligationem, tum maxime ob sanctitatem et religionem iuramenti praestandi a teste. - Iuramentum praestari debet in principio examinis et est iuramentum *promissorium* seu de veritate dicenda quod semel praestare sufficit. Sed si vigeat consuetudo exigendi iuramentum *etiam* post factam attestationem, haec consuetudo non est reprobanda; adiicitur enim iuramentum *assertorium* confirmans veritatem dictorum, quae distinctius observantur ante oculos testis post redditam attestationem. - Si vero quaeratur an sit legitima attestatio a teste confirmata tantum per iuramentum *assertorium*, distinguendus est duplex *casus*. - Si testis nesciebat suas responsiones postea se confirmaturum esse per iuramentum, attestatio non est legitima, quia difficile est, aliquem velle potius prodere suum mendacium quam peierare. Si vero testis probe cognoscebat obligationem addendi iuramentum *assertorium*, attestatio plene valet. - Cf. *c. c. 17, 29, 39, 47, De test. et attest. X* (II, 20). Quotiescumque vero quis aut iurare nolit aut a iudice ad iuramentum non sit admittendus, iuxta dicta superius, patet eius attestationem habendam esse veluti *indicium* seu *praesumptionem* quamdam (1).

(1) Iuramentum autem intelligitur *personale*, ait enim Const. Clementina *inter Clement. I, Porro - De haereticis* « *Iurabunt ad sancta Dei evangelia corporaliter a se tacta* ». Quare non valet iuramentum redditum per epistolam aut per nuncium.

6) An et quando reus citari debeat ad videndos testes iurare dicemus infra.

7) Quia testis *ultroneus* pene nullam meretur fidem, initio examinis notari debet a quonam productus sit testis an nempe *ex officio* seu *ab accusatore* aut ab ipso *reo*.

8) Quo vero intimius ponderetur valor attestationis, a teste exquirenda est *causa* seu *fons* scientiae; unde pateat an sit testis ex *scientia*, ex *auditu*, ex *credulitate*. Et non tantum *in genere* quaerenda est causa scientiae sed *in specie;* veluti si quis dicat, se quae refert *audiisse*, interrogandus est a quonam audierit. Valor enim atttestationis maxime desumitur ex fonte *immediato* scientiae. Qui vellet calumniari facile testaretur se *audiisse* facta quae asserit. - Inde quum testis satisfacere iubeatur interrogationi a *quonam audierit*, et respondeat se vel non recordari vel nolle dicere aut non posse; eiusmodi attestatio nullum pondus habet et falsum magis redolet et calumniam quam veritatem. Cf. Mascardus *De prob. Conclus. 1376, n. 50;* Fagnanus in *caput - Olim - De lite contest. n. 92.*

235. Testes qui citatione convocandi sunt, si venire recusent, cogi possunt, nempe per poenas eccles., praehabitis *monitionibus* ad normam tit. 21 *De testibus cogendis vel non X* (II, 21) (1). Quum legitimo detinentur impedimento quo minus veniant et ceterum eos audire opus est, interrogantur ab Ordinario loci ubi hi commorantur, *datis*, nempe a iudice, ad hunc scopum litteris *remissoriis* seu *rogatoriis*, unde Ordinarius fit competens ad facienda interrogatoria. Cf. Vol. II, n. 323.

At hodie nedum observari debet monitum C. Trid. *Sess. 25,*

(1) Audiendi non sunt DD. qui male interpretantes nonnulla capita, ita *cap. ult. De test. et attest. X; et cap. De test. cog.* opinati sunt de *iure eccles.* testes in criminalibus cogi non posse. Cf. Pellegrini *op. cit. Sect. V n. 4*, et Vol. I *n. 489 sq.* ubi apposita explicantur principia. - *Monitiones* praemittuntur *poenis* et *monetur* testis ut opponat, si habeat, *legitima* impedimenta.

cap. 3 De ref., parcius utendum censuris ne vilescant, et in genere, *poenis eccles.* sed prae oculis habendus est art. 20 *cit. Inst.* haec ordinans. « *Quoties denunciantur testes ad probanda facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, qui tamen examini subici nequeant eo quia censeatur non expedire ut citentur aut quia citati abnuant comparere, mentio eorumdem fit* IN ACTIS; *et curatur eorum supplere defectui per attestationes aliorum testium qui* DE RELATO *aut alia ratione noverint quod exquiritur* ». Testes *de relato* sunt testes *de auditu;* qui *alia ratione* seu *per coniecturas noverint,* sunt *de credulitate;* essent enim *de scientia* si immediate per suos sensus factum perceperint.

236. Modo satisfaciendum est quaestioni, *an nempe* et *quando* una cum teste citari debeat etiam pars cuius interest, prouti servatur *in re civili.* - Quare modo ingredimur tractationem *de modo* quo producuntur testes. - Verum quia essentialiter varius est processus *in criminalibus*, prouti est aut *accusatorius* aut *inquisitivus* aut *mixtus*, ita diversas procedendi rationes explicabimus.

In processu pure *accusatorio* testes recipi non possunt nisi citata parte *accusata,* quia testes gravissimam constituunt probationem unde evincitur accusatio. Proprium est autem processus *accusatorii* ut probationes ab *accusatore* publice proferantur et explicentur adversus *accusatum*, qui exinde copiam habet suae defensionis, refellendo adductas probationes sibi omnimode perspectas. Proinde dicenda non est *iudicialis* attestatio in processu accusatorio, si eadem excipiatur non citato accusato, qui et testes iurare videt et attestari audit. Huc spectat celeber textus *cap. 2 - De test. et attest.* X. (II, 20) praecipiens « *Ecce admonendus est semper adversarius uti ad audiendos testes veniat; quod quia omissum est, necesse est ut quod contra legem actum est, non habeat firmitatem* ». Eo magis quia processus *accusatorius* conficiebatur ut plurimum, non SCRIPTIS sed *ore-*

tenus; quippe necessitas *scripti processus* persentita est quum inductus fuit processus *inquisitivus*. Vol. I. n. 385 sq.

237. Porro Innocentius III instaurator processus *inquisitivi* legem edidit *cap. 11 De prob. X* statuentem, per actuarium acta processus *scriptis* esse exaranda. In processu autem *inquisitivo* probationes colliguntur *ex officio*, neque fit locus citationi inquisiti et accusationis contestationi, quousque ea suppetant reitatis indicia satis gravia ad instaurandam iudicialem instantiam. In prima periodo, qua inquirens iudex sibi comparat probationes, potissimum locum tenent testes *pro informatione curiae examinandi*. - Doctores practici, veluti Pellegrini, ita inscribunt tractationem de hac inquisitione praevia instaurationi instantiae; et ipse Pellegrini *l. cit. Sect. IV, n. 1* refert. « Testes pro curiae informatione, ex communi practica omnium fere curiarum tam saecularium quam ecclesiasticarum, recipiuntur et examinantur statim habita denunciatione, non citata parte ».

238. At hic sedulo debet explicari et intelligi modus, quo recipiuntur isti testes. Hic enim est *cardo* quaestionis pro distinguendo processu *pure inquisitivo* a processu *mixto* (1). - Nam in processu *pure inquisitivo* ita recipiuntur testes ut inserviant informationi curiae non secus ac recipiuntur ceterae probationes; et inquisitus tunc submittitur examini quando iudex inquirens arbitratur se sufficientia habere indicia, aut non levem de eo suspicionem, utpote auctore criminis perquisiti. Et pluries examinari valet praesumptus reus, uti diximus, non secus ac

(1) Hanc quaestionem praetermittunt canonistae *practici* antiquiores, uti Farinaccius, Iulius Clarus, Pellegrini, Guazzinus, quia explicabant *praxim*, non rationem fundamentalem eiusdem *praxeos;* praetermittunt canonistae *theoretici*, ut Pirhing, Schmalzg. quia explicant *abstracte* processum *inquisitionis, accusationis, denunciationis;* recentiores canonistae uti Bouix, Rota, Ferrari praetermittunt quia tantum explicant *pro praxi* processum *inquisitivum*, et *mixtum* ne memorant quidem. Inde obscura eorum tractatio et minime *practica*.

pluries examinantur iidem testes, nec non novi produci possunt ad ampliorem probationem; quin tamen unquam citetur, una cum testibus, reus sive ut hos videat iurare aut eorum audiat attestationem. - Reo autem inquisito, in examinibus quibus ipse subiicitur, fit contestatio criminis et adiunctorum criminis, quae per testes aut per documenta probari ei significatur; additis, (si hoc expostulet necessitas detegendae veritatis) nonnullis qualitatibus, unde inquisitus percipiat quo debeat dirigere exceptiones ad repellendas obiectas attestationes et probationes. Post *contestationem criminis*, fit facultas inquisito se defendendi etiam testes deducendo aut alia probationum genera. Haec enim est natura processus *pure inquisitivi* ut inquisito pandatur accusatio et unâ simul probationes singulae, quibus veritas accusationis iudici videtur evinci; attamen iudex, si hoc *gravi* ex causa expedire iudicaverit, potest aliquam specialem probationem et potissimum *nomina testium* non publicare. Legitimae autem rei defensioni prospicitur, quum inquisito panduntur suprema capita probationum, ut ecce testium potiores assertiones, reticitis testium nominibus; nec non aliquis forsan ostenditur textus seu fragmentum documentorum, suppressis tamen iis partibus, quae inquisito manifestarent *immediatum fontem* probationis. - Equidem processus *pure inquisitivus* est *secretus* proindeque remissus arbitrio iudicis, qui leges servat iustitiae quoad *substantiam*, praetermissa quacumque processus solemnitate. Et iustitiae ad normas *naturalis iuris* obsequitur iudex dum, antequam reum condemnet, collegerit ea probationum momenta, quae suapte vi veritatem persuadent, quaeque *iudicialia* dici possunt quatenus facta est *reo* potestas demostrandi suam innocentiam, maxime refellendo obiectas probationes.

Processus vero *mixtus secretam* inquisitionem ordinat *accusationi*, quae fit nedum in *criminis contestatione* sed praeterea in pandendis accusato singulis probationibus collectis in secreta inquisitione. Reus ita accusatus plenam habet facultatem se defen-

dendi aliaque producendi argumenta, ut ecce novos testes, in sui defensionem. - Regula proinde fundamentalis in processu *mixto* haec est, videlicet ut non censeantur, ex praescripto *iuris positivi*, probationes vere *iudiciales*, aptae definitioni causae, quae deductae non sint ad rei notitiam ut easdem, si valet, plene refutare possit.

239. Praehabita hac regula, probe intelligi valet quae exponuntur a canonistis practicis de *legitimatione processus* seu de *repetitione testium*. - Bouix *De iud. II, pag. 218 caput VII* inscribit: « *De repetitione testium pro legitimatione processus* » et quin reddat ullam rationem huius actus iudicialis refert normas a Pellegrini traditas *loc. cit. Sectione 11* inscripta: *De repetitione testium*. - Verum Pellegrini *l. cit. n. 1*, reddit *hanc rationem* « ... *quamvis enim huiusmodi testium depositio sufficiens sit ad inquirendum de delicto et acquisitis indiciis ad carcerandum* (seu in re nostra ad citandum praesumptum reum ad formale examen) *non tamen satis est ad.... condemnandum, si agatur de reo praesente, cum prius tales testes examinati sint ipsa parte non citata et propterea ipsam non officiunt... Quae conclusio ampliatur ut tales testes ad curiae informationem examinati, sine partis citatione, probationem neque faciant in favorem Fisci* ». Citatio autem rei efficit ut actus evadat contentiosus seu *iudicialis*, et processus antea *informativus* redditur *iudicialis;* hoc sensu dicitur *processus legitimari per repetitionem testium*, quia processus pene universus constat attestationibus. Porro testes iterum vocantur apud iudicem ut attestationem antea redditam vel confirment vel revocent vel corrigant, quando iam cognoscunt ipsum praesumptum reum citatum fuisse ut videat personas testium eosque iurare audiat dein singulas perpensurus attestationes. Quare testes animadvertent se modo ingredi contentionem iudicialem, quippe suis attestationibus vel roborant vel refellunt accusationem. - Proinde maiore animi ponderatione attestationem facient.

At nullum textum canonum afferre possumus praecipientem, *testes repetendos esse ad legitimandum processum* et DD. uti Pellegrini, Farinaccius invocant *stylum* curiarum et varios stylos explicant, qui non concordant in modo *legitimandi processum*. - Ceterum ne recurri quidem potest ad ius *naturale*, equidem in processu *pure inquisitivo* et in processu *accusatorio* non adhibetur legitimatio processus seu repetitio testium, quia alia ratione evolvuntur probationes. - Quare *intima* ratio huius legitimationis non reperitur nisi in natura *processus mixti*. Sane defectus citationis rei, prouti considerat Pellegrini, non est ratio *immediata* et *necessaria* nullitatis, veluti a *naturali iure* derivata; nam, et ipse considerat, nonnullis in casibus, posse deveneri ad condemnationem quin habita sit *testium repetitio* et *legitimatio processus;* et hos casus referens *l. cit. n. 38* docet « *Octavus casus est in crimine haeresis* ». Atqui in crimine haeresis nulla fit legitimatio et testium repetitio quia adhibetur processus *pure inquisitivus*. Quam ob rem ratio *intima* et *iuridica* necessitatis legitimandi processus est repetenda a natura *accusationis* institutae in *processu mixto;* quae dum instituitur *formaliter* post expletam praeviam *inquisitionem*, non potest inchoari nisi citato reo, cui iudex contestatur et accusationem et accusationis fundamenta seu probationes, *publicato*, uti notat Pellegrini *l. cit. v. n. 9*, *processu informativo*. Quum vero reus accusationem statim repellere posset excipiendo adversus testes et attestationem per notam regulam « *res inter alios acta nobis neque nocere neque prodesse potest* » inde per citationem admonetur et convenitur ut cognoscat testes sibi adversantes eosque adigere possit, postquam viderit iurare, ad repetendam attestationem coram iudice, respondendo quoque novis interrogatoriis a se exhibitis.

Stylum curiarum fuisse varium in *legitimando processu* docet Pellegrini *loc. cit.* et quid constituerit Pius VII Const. *Post diuturnas*, infra innuemus, sed haec modo persequi non iuvat, et sufficit advertere varias procedendi rationes huc spe-

ctasse ut testes auditi pro informatione curiae, una cum aliis documentis, denunciarentur accusato; qui exinde cognoscens tum accusationum tum probationum capita, opponere valebat suae defensionis argumenta. - Substantia autem huius processus refert qualitates *processus mixti*, et hac ratione antea diximus non haberi huius processus *nomen* sed *rem* in foro eccles.; et ad claram appositarum notionum notitiam distinguendas esse proprietates processus aut *inquisitivi* aut *accusatorii*.

240. Facile exinde solvitur quaestio, utrum nimirum, repetitio testium esset ad substantiam. Etenim duplici distincta ratione procedendi, aut per *inquisitionem* aut *per accusationem*, in processu *pure inquisitivo* nulla expostulatur *legitimatio*, uti explicavimus, quia probationes debent esse notae iudici ad cognoscendam veritatem; inquisito autem, iuxta iudicis arbitrium, in ea tantum parte denunciantur, in qua iudex arbitratur posse fieri locus defensioni seu exceptionibus. In processu autem *mixto*, quum devenitur ad accusationem, *processus legitimatur*, seu probationes ex inquisitione collectae fiunt *contentiosae*, seu submittuntur processui servando in iudicio accusatorio. - Quum tamen fiebat testium repetitio, accusatus non aderat examini, et hinc stylus curiarum erat, ut rei invitarentur ad habendos testes uti *rite examinatos et repetitos* et hinc processum informativum *legitimatum*. Hoc pacto reus renunciabat iuri suo, et inde expeditior reddebatur processus. - Ad ius ecclesiasticum, saltem consuetudinarium, quod attinet, ratio, qua comprobatur haec *legitimatio*, consistit in necessitate citandi reum *qui videat testes iurare*, uti patet ex relatis *sententiis* Pellegrini.

241. Observantiam vero huius ritus, seu repetitionis testium totam pendere a qualitate processus *accusatorii* clarius evincitur ex modo quo poterat suppleri repetitio, nempe *per confrontationem*. Rem ita explicat Pellegrini *l. cit. n. 26.* « *Quaeritur an sit in iudicis arbitrio testes repetere vel potius interrogare?* Respondetur affirmative cum Farinaccio *De testibus* § 72,

n. 139 in princ. ubi expresse firmat conclusionem. esse in iudicis potestate testes pro curiae informatione examinatos vel repetere, citato reo, cum eius interrogatoriis vel *ad eius faciem confrontare,* prouti melius expedire iudicabit. - Quare *confrontatio* continet praeter *repetitionem examinis*, aliam conditionem, nempe praesentiam accusati, qui videt et audit testem; dum in *repetitione* videt tantummodo iurare. Et prosequitur explicans hanc praxim multis adductis auctoritatibus istam firmantibus; et concludit repetitionem esse medium *ordinarium*, *confrontationem extraordinarium*. - Audiendus praeterea est iste Doctor qui *l. cit. n. 27* probat, ex receptis moribus, revera confrontationem habendam esse uti remedium *extraordinarium*, quippe reis, ut plurimum, damnosum. Inter alia argumenta haec habet. « Tertium *est quod ob timorem et verecundiam aliquando rei non bene interrogant testes de quibusdam circumstantiis ad eorum defensionem facientibus et sic facile se defendere non possunt.* Guazzinus, *De defens. 21 cap. 12 n. 4.* - Quartum *est quod aliquando (sed male) non permittitur reis multum immorari in interrogandis testibus et sic evacuare nequeunt indicia contra se facientia, unde remaneant expositi manifesto periculo condemnationis.* Guazzinus, *De defens. loc. cit.* - Quintum *est quod iudices videntes reorum mutationes in vultu redduntur erga eos crudeliores et severiores* ». Uti patet ex hisce rationibus, isti defectus non sunt imputandi ipsi instituto *confrontationis*, sed magis aut ignorantiae iudicis aut rei imprudentiae et oscitantiae. Sane hodie apud populos civiles viget processus *mixtus*, atque in periodo *accusatoria* legitimantur attestationes per confrontationem, quae non excludit repetitionem examinis antea habiti, sed istud complet per *interrogatoria* ab ipso iudice vel a reo exhibita, aut ab eius advocato. - *Confrontationem* hodie nullimode esse respuendam a curiis eccles. imo largius adhibendam, suo loco dicemus.

Nihilominus etiam in veteri stylo curiarum habitam fuisse

aliquando necessariam *confrontationem* admittunt canonistae et Pellegrini *l. cit. Sect. IX n. 66-72* ponit esse potissimum necessariam confrontationem, quando reus negat omnino factum, quod ex adverso testes mordicus fassi sunt; et quando agitur de socio criminis, qui cum socio *confrontari* debet.

242. Testium *repetitioni* autem vel *confrontationi* tunc locus fieri debet, quum publicatus fuerit *processus informativus*. - Siquidem ex hoc processu et maxime per testes auditos *pro informatione curiae*, movetur ad instaurandam iudex accusationem, quam contestatus est reo convento. - Ast probationes hactenus collectae non possunt dici firmae ad effectum *condemnationis*, quousque has discusserit accusatus in sui defensionem. Inde post criminis contestationem, seu post rei examen et ante *repetitionem* aut *confrontationem* testium, fit publicatio *processus informativi*. Exorditur enim ex hoc momento *processus defensivus*, unde reus praeparare valet, inter alia media defensionis, etiam *interrogatoria*, quae proponantur testibus iterum vocatis ad examen. Verum quia *repetitio* testium aut *confrontatio* non parum implicat processum et in longum producit, inde invaluit mos ut, publicato *processu informativo*, a reo exquireretur an vellet, ad expeditam *legitimationem*, testes habere pro *rite examinatis* et *repetitis*. Quod si declararet, *legitimatus* iam habebatur processus. At cavent pragmatici, quod si accusatus non declaret se testes habere *pro rite examinatis et repetitis* (Bouix *l. cit. II p. 216*) tunc in *publicando processu* deberi *nomina testium non denunciari* quorum proinde attestationes, in copia authentica traduntur accusato, reticitis nominibus, ne scilicet testes vexarentur aut corrumperentur.

Interim si haec *declaratio* non edatur, accusatus instat ut fiat testium repetitio, conficit interrogatoria testibus exhibenda; die vero examinis accusatus vocatur ad videndos testes iurare, at arcetur ab audiendo examine. - Si enim admittatur ad examen tunc dicitur fieri *confrontatio*, quippe integrum est

accusato expetere a iudice ut testis interrogetur super facti adiunctis in attestatione relatis, aut super ipso tenore attestationis, prouti hodie fit apud curias civiles in agitandis crim. causis. - Examen vero repetitionis hoc sibi habet proprium ut testis revocari debeat ad attestationem iam factam; et haec non intelligitur satis repetita, per genericam confirmationem, quam faciat testis dicens - *confirmo factam attestationem;* sed singillatim redditas responsiones confirmare debet, quasi denuo editas, sub religione iuramenti. - Solet legi textus attestationis, quo melius testis recordetur factorum assertorum eademque singula aut confirmet aut partim aut in toto revocet. Pellegrini *l. cit. n. 5.* - Pius VII in Const. - *Post diuturnas* - 30. Oct. 1800 in tit. *De iurisd. trib. et iud.* statuit *legitimationem* processus fieri, expeditiore ratione, dupliciter 1) aut per *simplicem lectionem* attestationum factam reo convento, ut hic in testem et attestationem excipere valeat; 2) aut per *confrontationem*, praehabita lectione attestationis. Infra, in *parte speciali*, trademus praescriptas *formulas*.

Facta vero *repetitione testium* aut *confrontatione* aut, alio modo, *legitimatione* processus, non impediuntur ulteriora examina quotiescumque accusatus probet, conferre ad detegendam veritatem, testes interrogare super novis articulis.

243. Accusatus cui panduntur et nomina testium et attestationes, vel qui iurare videt testes *ad repetendum* vocatos, vel qui ipsos testes audit coram se attestationes edentes, excipere valet contra ipsas personas testium ex triplici capite: 1) nempe ex persona ipsorum testium; 2) ex ipsorum testimonio non rite recepto; 3) ratione ipsius attestationis. Cf. Vol. I, n. 487 ubi explicatur quando utiliter istae exceptiones opponantur.

Eiusmodi exceptio, in genere, dicta est *repulsa* testium et adest *repulsa repulsae*, seu exceptio in testes inductos ad repellendos testes antea productos. Accusatus solet sibi reservare expressis verbis ius *repulsae*, etsi ab initio testes non repellat

exceptione; quam postea movere non posset, aut saltem vehementer mendacii suspectus esset si repellat post expressam acceptationem testium; nempe quando interrogatus, an excipere velit in testes, respondet nullam causam exceptionis habere.

Porro examini testium, etiam in *processu mixto*, non adest accusatus testes producens, qui tantum videt testes iurare; quocirca postea fit *attestationum publicatio*. - Publicatis autem attestationibus, super *iisdem articulis* vel *eosdem* vel *novos* testes, ex regula *communi*, non fas est producere. Cfr. Vol. I, n. 483.

CAPUT. III.

DE DEFENSIONE REO CONCEDENDA.

Summarium. — 244. Reus renuntiare nequit suae defensioni. — 245. In processu sive *inquisitivo* sive *mixto* reo concedenda est facultas se defendendi in quacumque parte processus. — 246. Etiam reo confesso integrum est se defendere. — 247. In quo consistat favor defensionis. — 248. Reo deputandus est defensor ne indefensus condemnetur, quamvis per se ipsum se defendere valeat. — 249. Libertas relinquenda est reo alloquendi suum defensorem. — 250. In agitatione causae immediate ante sententiam definitivam, accusato vel eius defensori relinquenda est, ultimo loco, facultas loquendi. — 251. Defensio ordinata ad repellendum accusatorem est vel *directa* vel *indirecta*. Iudex recusari valet etiam *in crim.* — 252. Positiones, articuli, capitula. — 253. De publicatione processus *offensivi* et *defensivi*.

244. In iudicio criminali lis instituitur, quia in discrimine sunt duo iura, pene inter se contraria, quorum tamen aeque interest reipublicae. Videlicet reipublicae non minus interest reos *convictos* poenis mulctari quam reos *accusatos* protegi, etiam iudicialiter, adversus calumniatorum insectationes. - Proinde non minore libertate accusator uti debet in accusando quam accusatus in se defendendo. Neque fas est reo seu accusato renunciare iuri defensionis, quia a privatis civibus renunciari non possunt quae iuris publici sunt. Iure merito *ius defensionis* dicitur ius *inalienabile*. - Hac de causa iampridem in curiis eccles. constituti sunt non minore sollicitudine procuratores fisci quam defensores reorum. Ecclesia vero usque sibi attribuit causam pauperum et miserabilium personarum, eisdem ius concedens deferendi suas causas, quasi vi privilegii, ad forum eccles. ubi adversus potentiores personas, facile et efficax patrocinium nanciscerentur (1).

(1) Maxime laudi vertit Ecclesiae ipsam semper cordi habuisse pauperum defensionem: cf. S. Ambrosius († 387) *De offic. II. 29; can. 10, caus. 23,*

245. Exinde reo copia defensionis nulla in parte processus deneganda est. Porro in processu vel *pure inquisitivo* vel in parte *inquisitiva processus mixti*, dum reus subiicitur examini et excipit contestationem criminis, ipse ius habet excipiendi in probationes hactenus collectas et provocandi ad alia probationum momenta in sui defensionem; quare erit iudicis diligentissime perquirere veritatem allegationum a reo deductarum, auditis etiam testibus a reo invocatis. Quamobrem formalis actus accusationis in processu *mixto* non est edendus quousque iudex instructor caute perpenderit pondus exceptionum exortarum in rei examine. Hoc diserte praecipit art. 25 *cit. Inst.* iubens. « *Si compareat* (reus) *auditur in examine et quatenus inductiones faciat alicuius momenti debent istae, quantum fieri potest, exhauriri* ».

In processu autem *pure inquisitivo*, quamvis singulae probationes seu attestationes et testium nomina non pandantur inquisito, nihilominus ius defensionis ipso naturali iure comparatum ne pessumdetur, in quacumque processus parte reo danda est *sufficiens notitia* probationum illi adversarum adeo ut valeat se defendere: secus *condemnatio* est iniusta. Etenim processus *pure inquisitivus* hoc tantum pacto legitime exercetur, dummodo *sufficienti* reorum defensioni consulatur reli-

q. 3, (Conc. Carth. V. a. 401) ubi *de defensoribus pauperum*. - De foro eccles. *privilegiato* pro miserabilibus personis, cf. c. c. 11, 15, *De for. compet. X* (II, 2), 26 *De verb. signif. X* (V, 40). Puto non aliud argumentum historicum efficacius demonstrare, quantopere Ecclesia effecerit ne mores populorum ruerent in barbariem. In specie, ius canonicum poenale moderatum est saevitiem iuris poenalis, quod inolescere curiis civilibus usque contendit. Id evincitur ex tractatibus canonistarum, qui e fronte comparant unum et aliud ius et passim increpant duriorem stylum curiae civilis. Praeter canonistas saepius citatos cf. *Bannizza* et *Guazzino op. citatis*; cf. Bohemero *Elementa iurisp. crim.* sect. I, c. 15; Hoffman *De odio defensionis*, Vitembergae, 1735; Pothier, *Traité de la procédure criminelle*; Moro, *Pratica criminale*, Napoli 1749.

giosissime. Et in hoc consistit *periculum* processus *inquisitivi*, quia ipsi iudici datur *arbitrium* determinandi certos defensionis *limites*.

246. Quod ius defensionis large intelligi debet adeo, ut ne reo quidem *confesso* sit denegandum. Hoc caute advertatur quia, apud pragmaticos *fori civilis*, nimis facile invocatum est celebre *brocardicum* seu effatum « *in confessos nullae sunt partes iudicis nisi in condemnando* » (1). Quoad praxim *fori eccles.* audiatur Pellegrini *l. cit. Sect. X, n. 21, seq.* « An scilicet defensiones sint reo examinato necessario dandae sive confessus fuerit delictum sive non, notandum erit, quod communis et certa conclusio omnium DD. nemine prorsus discrepante est, quod nemo qualitercumque *confessus* in criminalibus condemnari potest nisi prius assignetur illi terminus ad faciendum suas defensiones..... Potest enim *primo* dicere quod confessio fuit *extraiudicialis*, quae non sufficit ad probationem delicti.... *Secundo*, etsi confessio facta fuerit *in iudicio*, opponere potest de incompetentia iudicis; nam confessio delicti facta coram iudice incompetente non valet in vim confessionis iudicialis sed tam-

(1) Hoc effatum deductum est ex sententia *Pauli ad edictum in l. 1, De confes. ff.* (ibi): « *Confessus pro iudicato est qui quodammodo sua sententia damnatur* ». Sed ibi agitur de iudiciis civilibus; neque iuvat ipsius *Pauli* recolere *l. 4, h. t. ff.* quamvis inibi res sit de *homicidio culposo*; nam consideratur confessio uti argumentum necessarium *condemnationis* sed quoad *effectum civilem ex lege Aquilia*. Nihilominus, nullo habito discrimine, commentatores applicarunt has regulas ad ius criminale et tum quia penes romanos iurisconsultos non adamussim distincta est provincia iuris criminalis a provincia iuris civilis, tum quia poenae dictatae sunt severiores ut rebus publicis in praeceps tunc ruentibus consuleretur, incredibile dictu est quam longe aberraverint ab humanitate interpretes iuris criminalis romanorum. Cf. Brunneman *in citatas leges*. - Equidem nisi Ecclesia inter homines fovisset spiritum humanitatis et charitatis, barbaries eo crudelior pressisset homines quo ardentius erat studium exequendi leges romanorum et exornandi commentariis.

quam extraiudicialis habenda est... ». Paucis. confessio impugnari valet argumentis deductis vel ex defectu substantiali processus iudicialis (1), vel ex modo editae confessionis, ut puta ex errore, ex metu, ex apposita conditione. Hae faciles exceptiones expostulant ut reo relinquatur copia defensionis. Quas exceptiones si reus incaute non moveat, iudex nihilominus *ex officio* perpendere, investigare debet an causae adsint vocandi in dubium valorem confessionis aut saltem extenuandi eius vim probativam. Usuvenire enim potest, ut quis fateatur se criminis auctorem ut alium, auctorem, a condemnatione liberet.

247. Reo autem non tantum est concedenda defensio sed defensionis ius, si comparetur cum *accusatione*, fruitur *favore*. Inquam - *favore* -, non *privilegio*, quia *ad aequalitatem* exerceri debet et *accusationis* et *defensionis* ius, in omni parte iudicii ; hoc iubet Regula 32 in 6 « *Non licet actori quod reo licitum non existit* ». Quotiescumque vero *aequalitas* servari non potest, veluti cum decerni debeat an accusatori vel potius accusato, postremo loco concedenda sit facultas interloquendi vel cum dubitatur an integrum sit accusatori prohibere accusato quominus novos testes producat, nempe cum sint partium iura obscura, tunc favendum est magis reo quam actori, veluti indulgendo reo ut ultimus habeat facultatem loquendi, ad praescriptum Reg. 11 in 6 « *Cum sunt partium iura obscura reo favendum est potius quam actori* » (2).

248. Iste favor defensionis expostulat, reo assignandum

(1) In re criminali confessioni deest fundamentum si antea probatum non fuerit *corpus delicti*, seu nisi constet crimen fuisse patratum. Hic et alius defectus substantialis excipi potest, veluti incompetentia, defectus citationis. - Verum alii defectus sunt *accidentales* in actis iudicii, qui defectus censentur sanari ex confessione: cf. vol. I, n. 447 seq.

(2) Cf. Vignoli. - *De iudiciis causarum criminalium, cap. 36*, Genuae, 1684, *Albinus - Delinquens defensus*, Ienae 1714, Chauveau - *Etude sur la poursuite criminelle en Angleterre.*

esse defensorem, etiam, ipso contradicente, vel profitente se idoneum esse undequaque in sui defensionem. Etenim pauperi, expensis curiae, deputandus est advocatus, diviti homini vel peritissimo in iure aeque praestat advocatum constituere, tamen in eius expensas. Pellegrini *l. c. s. X, n. 87*. In cit. *Inst. art. 32*, statuitur « *Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, ordinarius consulit aliquem constituendo ex officio* ». Sane nullibi in iure communi praescribitur constitutio advocati uti necessaria ad substantiam iudicii, et inde non dicerem nullitate laborare processum criminalem in quo reus, condemnatus, sui defensionem per se ipsum plenissime exercuit atque omnia expertus est media defensionum, cum plena *iuris* et *facti* notitia; nihilominus quia quisque *in re sua non est neque iudex neque testis*, ita melius prospicit defensioni advocatus, ceteroquin idoneus et honestus, quam ipse reus vel iure peritissimus. Itaque a praescriptione *cit. art. 31* nullimode deflectendum est, quamvis absolute forsan non sit ad *validitatem processus*.

249. Equidem *facti* quaestionem censetur melius cognoscere reus, at ipse vel dolore pressus aut desperatione ob conscientiam sceleris vel iniustae accusationis ira accensus, pacato animo deliberare nescit quomodo sibi consulat, sive ne poena gravior inferatur, sive ut eius innocentia ostendatur. Verum opera defensoris peiorem redderet accusati conditionem, si reo non relinquatur plena libertas alloquendi suum advocatum, vel si horum familiaritas et conversatio haberetur quasi suspicio aut confessio implicita criminis. Profecto plena concedatur defensionis libertas, adeo ut si defensionis argumenta vacillent, liceat iudici inferre, haec quidem non fuisse validiora, quia nimis elucet veritas accusationis.

250. Ipse Pellegrini *l. cit. sect. X, n. 73*, docet defensionem reorum nedum *favorabilem* sed *privilegiatam* esse. Guazzinus *Ad defensam reorum*, late explicat eiusmodi favores et privilegia. - Ad rem iuvat iterum recolere morem indulgendi

reo ut ultimus ipse, prae suo accusatore, ante sententiam definitivam, verba faciat in sui defensionem, et hoc sive in quaestionibus *incidentibus* sive *definitivis*. Heic revera non tantum *favor* sed *privilegium* recognoscitur reo. - Docet Bouix II, p. 224 « *ultimo loco semper audiatur defensor rei* - et in *cit. Cod. crim. process. Greg. art. 431* iubetur: « *Adhaerens fisco et ipse fiscalis replicare possunt et novissimus in perorando est defensor accusati, atque ipse accusatus admonetur ipsi integrum esse adiicere quod ipse mavult in sui defensionem. Postquam declaraverit se nihil aliud habere addendum etc.* ». Notetur haec ultima praescriptio quae efficit, ut reus aut defensor, si isto iure uti nolit faciendi *postrema* verba, tamen debent *declarare* expresse, se iuri renunciasse, cuius renunciationis mentio facienda est *in actis*, ne postea conqueratur reus, suum ius observatum non fuisse. - Tamen quia haec praescriptio expresse in iure nostro non continetur, haec ad *integritatem*, non ad *validitatem* processus exquiritur.

251. Defensio, si dispiciatur in suis fontibus unde desumitur, recte dividitur in *directam* et *indirectam*. Quippe accusatus accusatoris intentionem repellere a se valet, si doceat se esse innocentem: en defensio *directa*. Si vero demonstret, accusatorem vel non iure accusare, scilicet aut ob defectum actionis aut ob spretum ordinem iudicialem; vel doceat accusationem non fuisse evictam solidis probationibus, fit defensio *indirecta*.

Defensio *directa* ordinatur ad probandam *innocentiam* accusati; et hoc duplici modo obtinetur; siquidem vel non negat accusatus factum materiale sed asserit, *feci sed iure feci;* ut ecce si quis alterum percussit salvo moderamine inculpatae tutelae; vel si quis negat se *facti esse auctorem*, hoc probans, uti solet dici per *negativam* tempore et loco *coarctatam*, scil. quum accusatus - *alibi* - *tunc* se moratum esse demonstrat seu abfuisse a loco patrati facinoris.

Defensio *indirecta* consistit potissimum in exceptionibus

directis vel adversus *actionem* vel adversus *acta* vel adversus *personas*. uti docuimus vol. I. n. 170. Eiusmodi autem exceptiones vel sunt *peremptoriae* vel *dilatoriae*, nempe vel contendunt locum esse non posse *accusationi*. aut hanc retardant vel suspendunt quousque sublata sit causa exceptionis. In re criminali haec exceptio ut plurimum, adhibetur *dilatoria* quum declinatur aut persona iudicis. aut testis. aut cancellarii ob suspicionem aut incompetentiam. - *Peremptoria* exceptio est illa, quae demonstrat actionem esse *praescriptam; dilatoria* seu *declinatoria* est exceptio incompetentiae aut suspicionis iudicis. quocirca declinatur persona iudicis (1) aut tribunal.

Repulsa testium est species exceptionis *dilatoriae*. - Item defensio *indirecta* censetur quaecumque animadversio ordinata ad convellendam vim probationum ab accusatore deductarum. - Iuvat enim extenuare adversas probationes, quia etsi accusatus nihil probaverit, tamen accusatore non plene et invicte probante suam intentionem, accusatus dimittendus est absolutus.

252. Non est alienus a praesenti tractatione usus *positionum, articulorum, capitulorum*. Legitur in Clementina - *Saepe - 2 De verb. signif.* « *Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium, propter partium confessiones, et articulos ad clariorem probationem usus longaevus in causis admisit. Nos usum eiusmodi observare volentes statuimus, ut iudex sic deputatus a nobis, ad dandum simul utrosque, terminum dare possit* ». Quamquam haec Const. directe spectet ad causas *civiles*, (Vol. I. n. 418) hodie attendenda est etiam in re *criminali*. Sane in re civili *positio* est *propositio asserta* ab actore vel a reo, eo consilio ut si adversarius istam non neget, res inibi asserta censeatur versari extra controversiam. E contra

(1) Sed Episcopus in generali visitatione dioecesis procedens (etiam *iudicialiter*) ad morum punitionem et correctionem, *uti suspectus allegari* seu *recusari non potest*. Ita rescripsit Clem. VIII ex voto S. Cong. Concilii *21 Maii 1603*. Richter Edit. Con. Trid. pag. 72.

si negatur, haec propositio fit *articulus litis*, super quo probationes erunt ab eo, cuius interest, afferendae. - In re *criminali* quia simplicior est quaestio, utpote quaeritur an accusatus sit criminis auctor, et vix expostulari possit a reo ut ipse simpliciter hoc fateatur, inde accusator non profert *positiones*, et dein *articulos;* sed simpliciter *capitula* seu totidem capita accusationis, quae contestatur accusato ut se defendat, prouti cavet *caput 24 De accus. X* « Debet igitur esse praesens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit, et *exponenda sunt ei illa capitula de quibus fuerit inquirendum ut facultatem habeat defendendi seipsum* ». Accusatus ex adverso opponit *articulos defensorios* seu facta vel facti adiuncta, quae spondet se probaturum per testes (quos nominat) deducendos aut per instrumenta aut alia argumenta.

Inde in processu *mixto* - *formali* - post expletum processum inquisitivum et reo iam examinato, iudex assignat procuratori fiscali tempus ad *capitulandum;* quae *capitula*, ad formalem *litis contestationem*, quum iudex accusato denuntiaverit, coniuncta cum appositis probationum argumentis, prouti continentur in *publicato processu offensivo*, dat terminum accusato ad *articulandum* seu ad se defendendum. Acceptis autem *articulis*, iudex assignat alium terminum seu terminum *probatorium* in quo reus probet *articulos*.

Alii *duo* termini assignantur; *alter* quo delapso decernitur *publicatio processus*, nisi tamen partes intra dilationis tempus probent, deveniri adhuc non posse ad *publicationem*, quia reliquae sunt probationes deducendae. *Alter* terminus (et est ultimus in periodo probatoria) assignatur *communis tam reo quam promotori* ad disserendum tum in *iure*, tum in *facto* quoad *acta* et *probata*. Pellegrini *op. cit. Sect. IX, n. 56.* Istae assignationes terminorum quoad durationem sunt arbitrariae, sed necessariae pro *solemnitate* actus, quatenus, in processu *formali*, isti diversi *termini* distinctim assignandi sunt. -

In processu *summario* observatur substantia, nempe fit accusationis contestatio et assignatur accusato terminus *probatorius*, qui prorogari potest, pro deducendis suae defensionis argumentis, prouti explicat cit. *Inst.* -

253. Ut via pateret defensioni, observata usque fuit *publicatio processus offensivi;* et hic continet omnes probationes in accusatum ab accusatore comparatas. Quae publicatio praecedere debet terminum concessum ad *articulandum;* et reo nedum plena notitia sed et copia processus, si hanc petat, danda est. Pellegrini *l. cit. Sect. X, n. 12.* (1).

In criminalibus non observatur conclusio *in causa*, prouti *in civilibus*, ex qua fit ut actori et reo praecludatur, *ordinario*, aditus ulterioribus probationibus adducendis. Nihilominus decretum *conclusionis* edere opportunum est.

Porro *in criminalibus* accusatus semper pollet iure se defendendi; sed accusatori seu *promotori fiscali*, post *publicatum processum inquisitivum* seu *offensivum* iuxta veriorem sententiam, integrum non est *novos* deducere *testes* super capitulis iam contestatis; at super *novis capitulis*, prouti super *veteribus* iterum iterumque adducti testes a iudice instructore *ad instantiam* promotoris fisc. aut *ex officio* examinari valent. Pellegrini *loc. cit. Sect. X, n. 20.* - Nihilominus pro curiis eccles., verius est hoc non licere *iudicibus instructoribus* (nisi ampliores receperint facultates in mandato delegationis) non vero ipsi iudici Ordinario seu *Praesidi tribunalis*, qui nullo iure cogitur abstinere a legitima probatione, in progressu accusa-

(1) Notant DD. (cf. Bouix II, p. 216) in publicando processu in apposita formula caveri, copiam concedi « *absque nomine testium nisi expresse reus declaraverit se dictos testes habere pro rite et recte examinatis, qua facta declaratione etiam nomina testium ipsis pandantur* ». Vidimus supra quomodo ex hac declaratione *legitimetur processus.* Sed processu *informativo* semel *legitimato*, qui postea instruitur processus *offensivus* non indiget hac *declaratione* aut *legitimatione* et planum est.

tionis, exquirenda, unde veritas detegi valet. - Hodierni quoque codices *criminales*, in curiis civilibus, recognoscunt iudici, qui sententiam ferre debet, potestatem *extraordinariam* seu *discretionalem* exquirendi *usque ad sententiam definitivam* omnes probationes veritati detegendae accommodatas.

Denique *solemnitas* at non *necessaria* processus formalis habita est etiam publicatio processus *defensivi*. Non est *necessaria*, quia iudici et promotori fiscali, seu accusatori, iam innotescunt adductae probationes, sed est *utilis;* quia accusator, perspectis in unum collectis et ordinatis probationibus ab accusato in sui defensionem productis, si dubia habet, haec facilius removet aut pandit accusato et hic aut supplet defectum probationum aut idem defectus clarius detegitur.

CAPUT. IV.

DE SENTENTIA DEFINITIVA VEL INTERLOCUTORIA CONDEMNATORIA VEL ABSOLUTORIA.

Summarium. — 254. Iudex in expediendis quaestionibus sive *incidentem* sive *definitivam* edit sententiam. — 255. Haec est aut *contradictoria* aut *contumacialis*. — 256. Alia est *absolutoria*, alia *condemnatoria*. Absolutoria est aut ab *instantia* aut a *crimine*. — 257. Sententiae *definitivae* requisita *extrinseca*. — 258. Requisita *intrinseca*.

254. Quaestiones, quae iudicis examini submittuntur, sunt aut *principales* aut *accessoriae* seu *incidentes*. Inde pronunciationes iudicis editae ad definiendas eiusmodi quaestiones sunt *definitivae*, si dirimant quaestiones *principales*; sunt incidentes seu *interlocutoriae*, quum expediunt quaestiones *incidentes* seu *accessorias*. Quaestiones *incidentes* oriri contingit super quolibet actu iudiciali; nimirum quaeri potest an valide positus sit, et ita vel in personas iudicium ingredientes, vel in probationes adductas, vel in modum procedendi excitantur quaestiones incidentes. In vol. I, n. 536 seq. egimus de his quaestionibus potissimum in re *civili*, at in rem *criminalem* aptari possunt regulae generales ibi explicatae. Quae specialia sunt infra advertemus. Modo notamus potiores causas incidentes moveri - *de recusatione iudicis*, - *de repulsa testium* - *de attentatis pendente appellatione* - *de contumacia*. - Porro qualiscumque sententia est « *pronunciatio iudicis legitima super quaestione a contendentibus proposita* ». Cf. Vol. I, n. 602, sq.

255. Inquam - *a contendentibus proposita*, - nempe ab accusatore vel ab accusato proposita; siquidem quaestio principalis *accusationis* ab accusatore, promotore fisci seu *ex officio* a iudice inquirente proponitur, at quaestiones incidentes sive ab *accusatore* sive ab *accusato* accidit ut proponantur.

Veluti *repulsa* testium movetur sive in testes *accusatorios*, sive in testes *defensorios*.

Dum quaestio aut *principalis* aut *accessoria* iudicialiter introducta instruitur et definitur, necesse est ut uterque contendens, scil. accusator, seu iudex inquirens et accusatus, partem habeant, quisque pro suo munere, in iudicialem instantiam: quamobrem edita sententia appellatur *contradictoria*. Ast non semel accusatus recusat in iudicium comparere ut conferat argumenta defensionis sive in quaestionem *incidentem*, sive in quaestionem *principalem*, nimirum aliquando accusatus fit *contumax*. Subverteretur autem ordo iustitiae si contumacia accusati quaestionum solutionem praepedire valeret, quamobrem oportet etiam in *contumaces* sententias proferri. Sibi imputet contumax si condemnatur quamvis innocens, ob non deductas defensiones. Eiusmodi sententia vocatur *contumacialis*. De speciali processu *contumaciali* in parte speciali aliquid dicemus.

256. Sententia *definitiva* est vel *condemnatoria* vel *absolutoria*. Etenim principalis quaestionis intentio est, accusatum de aliquo crimine postulare ut debitas poenas luat. Sententia causam definiens aut intentioni accusationis respondet et est *condemnatoria*, aut contradicit et est *absolutoria*. Nihilominus datur *media* hypothesis seu quod sententia neque omni ex parte indulgeat neque contradicat intentioni accusatoris, quocirca condemnatio non est *plena*, prouti expostulabat accusator, neque absolutio est *plena*, prouti efflagitabat accusatus.

Praeterea *absolutoria* non semper absolutum dimittit accusatum *a crimine*, sed aliquando absolvit dumtaxat ab *instantia*, seu ab *observatione iudicii*. Hoc diversimode fit in iudicio *inquisitorio* ac in *accusatorio* aut *mixto*. Nam in *pure inquisitorio*, postquam instituta est inquisitio et ipse reus submissus fuit examini, si exinde supersint indicia, sed non probatio sufficiens ad condemnationem, inquisitus dimittitur absolutus, tantummodo ab instaurata *instantia*, non vero a *crimine;* seu uti hodie dici

solet, pronunciatur *non esse locum iudicio*. Item in processu pure *accusatorio*, quum accusator nonnulla profert accusationis argumenta seu indicia, quae plene diluere nescit accusatus, eademque tamen sufficientia non sunt ad instaurandum processum accusatorium, accusatus absolvitur ab *instantia* sed non *a crimine*. In processu *mixto* non fit locus *iudicio* seu accusationi formali postquam in processu *inquisitivo* non satis firma habita sunt indicia de auctore criminis. Si vero instaurata accusatione, reus plura excipiat quae extenuant, ast non convellunt vim adversarum probationum, sententia non editur *plenae absolutionis* sed declaratur ex *deductis non satis constare* de reitate accusati. Ita desinit *instantia*.

257. Requisita *extrinseca* sententiae *condemnatoriae* aut absolutoriae *definitivae* seu *a crimine*, continentur in regulis processualibus, quibus sententia redditur *certa* et *authentica pronunciatio iudicis*. Videlicet *scriptis* proferenda est, addita *die* seu *data* cum designatione tribunalis seu loci et subscriptione iudicis aut iudicum, si plures sint in collegium adunati, eademque publicanda est. Publicationis modus alius est in processu pure *inquisitivo*, alius in *accusatorio* aut *mixto*. Etenim in *inquisitivo* publicatio consistit in *deponendo sententiae originali* in Cancellaria cuius exemplar authenticum traditur ad instantiam partium. Ita observatur in tribunalibus S. Inquisitionis et apud S. Congregationes Romanas. Cf. Vol. II, n. 109 sq. In processu *accusatorio* aut *mixto* sententia *publicatur* cum legitur a iudice adstantibus procuratore fiscali, reo eiusque defensore et cancellario. Haec iubet Clem. 2, *De verb. signif.* et caput 5 *De sent. et re iud. in 6* quod decernit. « Etsi sententia definitiva (postquam scripta fuerit) debeat a iudice non ab alio dejscripti recitatione proferri (alias nec nomen sententiae mereatur habere nec ab ea sit appellare necesse), Episcopo tamen senteniam ab eo ferendam licebit ad instar illustrium personarum per alium recitare. *Sententia quam scriptam edi a*

iudice litigatoribus, non recitari, vel quam ab ipso stando, non sedendo proferri contigit, nullius penitus est momenti ». - Sed haec ultima praescriptio spectat ad *processum formalem ordinarium*, nam in processu *summario* ex cit. Clem. 2, *De verb. signif.* sententiam iudex proferre valet « *prout ipsi magis placuerit stans aut sedens* ». Item in processu *mere inquisitivo* aut ex speciali stylo, uti apud SS. Congr. Rom. sententia edi solet, non recitari, uti iam innui. - Hodie quia *cit. Instr.* S. C. EE. et RR. *diei 11 Iun. 1880* permisit, observari tantum, in criminalibus, *formas substantiales* seu exactas ad *ius naturale*, sufficit sententiam *scriptis* edere.

Publicationi sententiae nedum edendae sed recitandae *coram contendentibus* consona est necessitas citandi partes ad audiendam sententiam et in processu *formali* trina citatione seu *peremptorie*, arg. *cap. 18, De sent. et re iud. X* (II, 27); in *summario*, non *peremptorie* citantur, ex cit. Clem. 2, *De verb. signif.*

258. Requisita *intrinseca* sunt ut sit *legitima* definitio controversiae seu *iusta, certa*, non affecta *conditione, consona* libello seu intentioni accusatoris. Haec, quoad substantiam, facile patent ut iam explicavimus, Vol. I. n. 603 sq. In *cit. cod. Gregoriano processuali* articulo 450 ita comprehenduntur ista requisita. « *Sententia sive absolutoria sive condemnatoria continet factum et principalia adiuncta; refert declarationes editas a Tribunali* (seu decreta quae statum faciunt inter contendentes) *et in sententia condemnatoria citandus est articulus vel citandi articuli legis applicatae* ». Quia ita concipere sententiam, nullam secumfert temporis iacturam, aut nimiam solemnitatem, etiam in processu *summario, oeconomico*, uti praescribit Inst. cit. S. C. EE. et RR., sententia continere debet *facti* narrationem, iudicis *decisionem et articulum legis*, cui innititur *condemnatio*.

§ I. *De appellatione aliisque remediis extraordinariis et de re iudicata.*

Summarium. — 259. Quando sententia sive *absolutoria* sive *condemnatoria* transeat in rem iudicatam. Quid iuris de *interlocutoriis*. — 260. De appellatione ab *incidenti* sententia. — 261. De appellatione sive *principali* sive *incidenti* et de aliis remediis extraordinariis. — 262. Quomodo decurrat decendium ad appellandum. — 263. An cuicumque et in omnibus causis permissum sit appellare. — 264. De effectibus appellationis. — 265. Quaenam causae dicantur non transire in rem iudicatam. — 266. De executione. — 267. De expensis.

259. Sententia sive *absolutoria* sive *condemnatoria* transit in *rem iudicatam*, quando amplius *appellatione* impeti non valet. *Absolutoria* autem heic intelligitur sententia, quae a *crimine* absolvit, non tantum *ab instantia*. Haec enim non attingit *meritum* quaestionis et habetur veluti quaestio *incidens* seu *interlocutoria*, a qua tamen appellare posset promotor fiscalis, quotiescumque hic arbitretur *ex actis* satis constare de accusati reitate. *Appellat*, e contra, accusatus si opinetur, ipsum nedum ab *instantia* sed ab *accusatione* absolvendum esse. - Nam haec est quaestio *incidens, quae vim habet definitivae* et gravamen affert per definitivam non reparabile. Cf. Vol. I, n. 542.

260. Sane ad quaestiones *incidentes* etiam *criminales* quod attinet, viget regula in hisce non admitti appellationem si gravamen corrigi possit per *definitivam* sententiam, prouti iussit Trident. Concil. *sess. 13 c. 1, De ref.* Etenim rei criminum plerumque ad evitandas poenas et Ordinariorum ad eludenda iudicia, quaerelas interserunt et gravamina simulant, quibus appellationis diffugio, iudiciorum processum impediant. Atqui ne isti remedio ad innocentiae praesidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut huiusmodi calliditati et tergiversationi occurratur, ita statuit et decrevit C. Trid. *l. cit.*: « In causis visita-

tionis et correctionis sive habilitatis (1) et inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo seu illius in spiritualibus vicario generali ante definitivam sententiam ab interlocutoria vel alio quocumque gravamine non appelletur, neque Episcopus seu vicarius appellationi huiusmodi, tamquam frivolae, deferre teneatur; sed ea ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata nec non omni stylo et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen huiusmodi per definitivam sententiam reparari vel ab ipsa definitiva appellari non possit quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant ». Singulos casus in quibus appellare non est permissum a *definitiva*, infra enumeramus. Cf. *Concil. Trid. sess. 24, cap. 20, De ref.*

Ast haec decreta pertinent tantum ad appellationes *iudicialiter* factas, non ad appellationes *extraiudiciales*, prouti declaravit S. Cong. Concilii et refert Fagnanus in *cap. Super eo. De appellat.* - *n. 37.* Siquidem gravamen *extraiudiciale* reparatur per provocationem ad iudicem superiorem; dum gravamen *incidens* in iudicium iam instauratum, si fieri potest, praestat corrigere per sententiam *definitivam*. - Attamen iure Decretalium, quod correxerat legem Iustinianeam, etiam ab *incidenti* semper appellare fas erat. Cf. Vol. I, n. 542.

Si vero sententia interlocutoria a iudice appellationis reformata fuerit, tota causa ad hunc iudicem devolvitur; arg. *cap. 59 De appell. X*, quia qui semel gravavit, semper gravare praesumitur.

A sententia *definitiva absolutoria* ipse promotor fiscalis, si casus postulet, appellat in bonum legis et iustitiae. - A sententia *condemnatoria* ipsius condemnati interest appellationem interponere. Quia aliquando, tantum ex parte habetur *condemnatio*

(1) Ut ecce quum quaeritur an aliquis sit *irregularis*, et utrum sit idoneus muniis eccles. explendis.

aut *absolutio*, nihil prohibet quominus eamdem sententiam impetant appellatione et promotor fiscalis et condemnatus, quisque pro ea parte, quae ipsius intentioni contradicit. - Neque repellenda est appellatio *incidens*.

261. De appellatione *incidenti* haec teneantur. Appellationem vocamus *principalem*, quam sive promotor fiscalis, sive condemnatus interponunt directe in suum commodum; *incidentem* vero eam dicimus appellationem ab altero litigantium instauratam, quasi *per incidens* et *occasione* appellationis ab altero iam introductae in sententiis neque plene *condemnatoriis*, neque plene *absolutoriis*. Nam si contingat, ut puta promotorem fiscalem appellare ab eiusmodi sententia, quam appellare non intendebat reus, hic, pendente appellatione, potest, mutato consilio, impetère sententiam in parte sibi adversa: proinde haec appellatio dicitur *incidens*.

Appellatio est aut *iudicialis*, aut *extraiudicialis* quatenus interponitur a gravamine vel iudicialiter vel extraiudicialiter inlato. - Appellationi aequivalet *beneficium novae audientiae* quo utimur apud SS. Congregationes Romanas. Cf. Vol. I, n. 655.

Verum appellatio instaurari non valet, nisi intra decem dies *ab edita* vel *a denunciata* sententia, quo dilapso *fatali* tempore, appellationi amplius non est locus. - Suppetunt autem remedia *extraordinaria*, veluti *querela nullitatis* adversus sententias, quae valore destitutae sane transire non valent *in rem iudicatam*.

Item recursus ad Principem est remedium *extraordinarium* pro impetranda a poena *dispensatione* seu *gratia* Principis, quam concedere semper valet Supremus Princeps, aliquando concedunt etiam inferiores Praesules, seu Ordinarii locorum, prouti explicavimus agentes *de dispensationibus*. Vol. III, n. 109 sq. Huc spectant quae supra disseruimus de *abolitione*.

Sed ulterius non immorabimur in hisce remediis tum *ordinariis*, tum *extraordinariis* evolvendis ne actum agere videa-

mur; siquidem haec late explicavimus in vol. I, n. 617, sq. Hic dumtaxat innuimus quae specialia sunt. - Equidem regula est, non differre iure can., prouti non differebat iure romanorum, institutum appellationis in civilibus et in criminalibus (1). Itaque in appellationibus servandi sunt diversi gradus competentiae, arg. *a. a. 39 et 42 cit.* Instruct. - Cf. Vol. I, n. 622. Excipitur iudicium haeresis et sollicitationis; siquidem in his causis, vi rescripti *S. Off. 3 oct. 1612* (apud *Pitonium* - Ad *Episc, n. 631*) ab sententia Ordinarii immediate appellatur ad S. Sedem seu ad S. U. Inquisitionem.

262. Ad rem, mentionem meretur tempus *fatale* constitutum ad appellandum, seu *decendium*. Hoc ex iure communi, quoad causas quoque criminales, incipit decurrere a die *latae* sententiae, si tunc cognita sit a litigantibus, secus ab eius *habita notitia*, arg. c. c. 15 *De sent. et re iud. X* (II, 27); 8 *h. t. in 6*

(1) Haec applicatio unius eiusdemque instituti appellationis tum negotiis civilibus tum in criminalibus non est undequaque respondens naturae negotiorum et scopo animadversionis poenalis. Nam ut poena resarciat damnum delicti debet, quo citius fieri potest, applicari; secus vero poena non obtinet suum effectum *socialem*. Ut ecce, sententia condemnatoria, quae patitur moras *primae secundae* et *tertiae* instantiae, nimis sero attingit suam executionem. - Inde criminalistae hodierni communiter negant opportunitatem admittendi iudicium appellationis, unde integre repetatur processus, sed admittunt aut *revisionem* seu examen processus iam instructi in ordinem ad sententiam; aut *cassationem*, qua exercetur censura non in *factum* sed in *ius* et in MODUM *procedendi* - Codex process. Greg. iam cit. art. 13 statuit « IN IUDICIIS *criminalibus vigent duo gradus ordinarii iurisdictionis in delicta* MINORA *et in delicta* CAPITALIA; *quoad reliqua omnia unus tantum adest gradus* » - Art. 15. - « *In sententias appellationi non obnoxias sive propter indolem causarum, sive quippe editas in secundo gradu, competit remedium revisionis* ». Art. 16. « *Remedium revisionis consistit in facultate implorandi e tribunalibus superioribus rescissionem sententiae sive propter violatas formas substantiales sive ob falsam applicationem legis poenalis sive propter incompetentiam* ». Item in decreto Sacrae Cong. EE. et RR. a. 1835 diei 18 Decemb. art. 14 statuitur *revisio.*

et Clem. 3 *h. t.* Quare hoc *decendium* dictum est tempus *utile* ignoranti non decurrens in suo initio, at in suo decursu *continuum* et *peremptorium* comprehendens dies quoque feriatos, quod a iudice neque diminui neque prorogari valet. - At hodie attendendus est art. 37 cit. Inst. ita expressus: « *Quoad appellationem servantur normae statutae a const.* AD MILITANTIS *s. m. Benedicti XIV, 30 Martii 1742, aliaeque editae ab H. S. C. in decreto diei 18 Decemb. 1835 et litterae circulares diei 1 Augusti 1851* ». Atqui in cit. Decreto a. 1835 *art. 2* cavetur « *Decem dies numerari incipient non a die, quo sententia lata est, sed a die, quo reo vel eius defensori per* CURSOREM *denunciata fuit* ».

263. In *criminalibus* non secus ac in *civilibus*, appellationis ius cuicumque et omnibus in causis competit, utpote ius a natura comparatum, quod non intelligitur a suo exercitio prohibitum nisi expresse hoc edicatur iure positivo. Equidem de levioribus etiam causis, iussit Alexander III, *cap. 11 tit. De app.* X. « *De appellationibus pro causis minimis interpositis volumus te tenere quod eis (pro quacumque levi causa fiant) non minus est quam si pro maioribus fierent, deferendum* ». At causa *levis* confundenda non est cum appellatione *frivola et frustratoria*, quae a iudice nullimode admittenda est, arg. cap. *Reprehensibilis. - De appell. X* (1). Itaque propter quodcumque gravamen sive *iudicialiter* sive *extraiudicialiter* illatum, *verbis* aut *facto*, veluti *ex publica redargutione* vel ex praecepto vacandi *spiritualibus exercitiis* in poenam seu in correctionem morum, appellare fas est. Verum *n. inseq.* dicemus quando appellatio habeat tantum *effectum devolutivum*. Cf. Bouix *op. cit. II.* p. 262.

(1) Quanam ratione dicatur in criminalibus appellari etiam a gravamine futuro *extraiudiciali* explicat Schmalzgrueber *tit. De appellat. 28 n. 17*, advertens esse gravamen *extraiudiciale* illud, quod est futurum, sed a sententia iudiciali non est neque *illatum* neque *comminatum*.

Ex adverso, *iure positivo* edictum est non competere appellationem 1) ei qui in eadem causa eodemque articulo tres conformes retulerit contrarias sententias, ex cap. *Sua nobis De appel. X* - 2) neque ei, qui conventus et condemnatus fuit in manifesto et notorio crimine; ex cap. *Pervenit* - et cap. *Consuluisti - De appell. X; et* cap. *Romana. De appell. in 6.* 3) Neque ei, qui de suo crimine in iudicio confessus, una simul convictus fuit, can. *Ei qui appell.* c. 2, q. 6, et cit. cap. *Romana. in 6* § *Si autem* 4) neque ei, qui contumax fuerit condemnatus 5) a sententia ex *informata conscientia* datur recursus, non appellatio.

264. At appellare, suapte natura, secumfert provocare ad iudicem superiorem, cuius est iterum causam cognoscere. - Quocirca appellationi inest effectus *devolutivus* seu devolvendi causam; sed alius inest effectus seu *suspensivus* prohibens sententiam appellatam a sua executione, donec iudicium appellationis absolvatur. Cf. vol. I, n. 625. Ius positivum aliquando permittit appellationem quoad effectum *devolutivum*, at denegat ad effectum *suspensivum*.

1) A censuris per sententiam inflictis conceditur appellatio *in devolutivo*, non in *suspensivo;* quia censurae secum trahunt executionem arg. cap. *Is cui - De sent. excomm. in 6.* cf. vol. III, n. 86. Inquam *inflictis* - seu fulminatis, uti dici solet - quia a censuris *comminatis* appellatio datur cum utroque effectu. Veluti si Episcopus ferat sententiam et censuram adnectat ad urgendam sententiae executionem, interposita appellatione, uti suspenditur effectus sententiae, ita etiam suspenditur censura. - Praeterea quia in appellatione, suapte natura, continetur *uterque effectus,* lex vetans effectum *suspensivum* stricte intelligenda est. - Item censura proprie sumenda est, unde quaecumque poena abhorreat a conceptu proprio *censurae,* puta suspensio a fructibus beneficii, suspensio ad annum, non comprehenditur in ista exceptione, prohibente effectum *suspensivum*.

2). A sententia *declaratoria* censurae appellatur cum effectu *suspensivo*, quum est declaratoria vel *criminis* vel *censurae ex iure*, seu *incursus* in censuram latam *a iure*. Quoties sententia est declaratoria *facti*, quod. nimirum aeque obnoxium est controversiae pendente *appellationis* iudicio, tunc haec sententia quia non respicit directe *censuram*, sed directe *factum*, appellationem admittit cum effectu *suspensivo*. Si vero sententia est declaratoria censurae latae *ab homine* seu ab ipso iudice, qui declarat censuram fuisse *incursam*, quia haec sententia respicit ipsam *censuram* et non *factum* quod praesumitur extra controversiam, appellatio est absque effectu *suspensivo*. Item dicatur de censuris *a iure fer. sent.* quae executioni demandatur per *sententiam condemnatoriam*, seu in *executione* fiunt *censurae ab homine*, uti explicavimus Vol. III 111. Cf. Monacelli - *Form. leg. pract. Tom. 3 tit. 1, form. 3 n. 15* et Pignatelli *Consult. Nov. Tom. 9 Consult. 139, n, 90 et n. 258.*

3) Concilium Trid. *sess. 24 cap. 10 De ref.* statuit - *in omnibus iis, quae ad visitationem et morum correctionem spectant.* - Episcopum procedere quin executio decretorum *suspendatur* per appellationem: cf. *Sess. 13 c. 1 De ref; sess. 14 c. 4 De ref; et sess. 22 c. 1 De ref.* Sed S. C. C. declaravit, uti refert Fagnanus in *cap. 3 h. t. n. 15*, et solemnius edixit in Decretis Clem. VIII a. 1600, 16 Oct. n. 8, statutum Concil. Trident. respicere decreta *extraiudicialia*, non *iudicialia*.

Quamvis generaliter hae causae, pro quibus facultas appellandi recognoscitur tantum quoad effectum *devolutivum*, iam indicatae fuerint in Const. Innocentii IV Cap. *Romana - De appell.* et magis expressae fuerint in citatis testibus Conc. Tridentini, itemque per cit. decreta Clem. VIII a. 1600 et per decreta Urbani VIII a. 1626 et demum per rescripta edita a S. Cong. Concil. die 15 Maii 1700, nihilominus Benedictus XIV in Const. *Ad militantis* - istas singulas causas, *pene omnes*, seu non *taxative*, uno elencho comprehendit, cuius Const. summam

retulimus vol. I p. 618. *Cf.* Giraldi *Iur. Pont. I sect. 308*; et Monacelli *op. cit. p. II, tituli 15, form. 2, n. 8.* - Has praescriptiones renovat *cit. Inst. art. 37.*

265. Nonnullae causae dicuntur nunquam transire *in rem iudicatam* et hae sunt sequentes:

1) Sententiae ipso iure nullae seu laborantes *substantiali* defectu, per partes, appellationi renunciantes, non sanabili, transire non valent *in rem iudicatam*, sed per *querelam nullitatis* obtinetur *declaratio nullitatis*. Haec explicavimus Vol. I, n. 663.

2) Item causae *matrimoniales* et *beneficiales*, prouti explicavimus Vol. I, n. 666. - De *matrimonialibus* infra dicemus.

3) Sententia criminalis *condemnatoria*, quotiescumque pateat immerita condemnatione fuisse perculsum et adhuc premi innocentem, revocanda est, neque obstat exceptio *rei iudicatae*, quia iustitia, ne videatur aliquando probare iniuriam, vetat innocentem poena damnari eamdemque revocari iubet. Pro obtinenda autem *revisione* processus, saltem *recursus* patet ad Principem qui, causa cognita, istam non detrectabit. Cf. Reiff. *h. t. n. 129.*

4) Sententia *criminalis absolutoria a crimine* transit *in rem iudicatam*, unde accusatio de eodem crimine in eumdem accusatum instaurata, etsi argumentis postea detectis forsan comprobaretur, tamen repellitur exceptione *rei iudicatae.*

5) Sententia vero *absolutoria ab instantia* non transit in *rem iudicatam*, quia nullum habitum est iudicium de *merito* causae, quae adhuc integra dicenda est; sed utiliter opponitur exceptio *praescriptionis*, si ab ultima instantia dilapsum sit tempus requisitum ad *praescriptionem.* Si vero sententia sit nulla, vel ob *crimen collusionis,* aut ob fraudem *falsorum documentorum*, est locus *querelae nullitatis.*

6) Sententiae *excommunicationis, suspensionis, interdicti*, non transeunt in rem iudicatam, quia sunt poenae *medicinales*, quarum absolutio semper peti valet, eademque imo petenda est, quodcumque lapsum sit tempus, ab edita condemnatione. Et si

censuratus demonstrare contendat, se iniuste censuris fuisse submissum, etiam post obtentam absolutionem, admittendus est ad iudicialem suae innocentiae probationem, ut evincitur *arg. c. c. 36 De off. delegat. X* (I, 29) *13, De poen. X* (IV, 39) et 48 *De sent. excomm. X* (V, 39).

266. Denique de *executione* sententiae, si quaeratur, *in primis*, quinam sit *competens executor*, quaestio dirimenda est ex generalibus iuris principiis expositis Vol. I, n. 684 sq. - In specie advertatur, in iudiciis appellationis, iudicem appellationis *per se* fieri competentem in executionem suarum sententiarum, sed expedire ut executio demandetur iudici *primae* instantiae nisi, in casu, sit suspectus. - Equidem praxis Sacrae Cong. EE. et RR. et Congr. Concilii est executionem sententiarum semper ad Ordinarios remittere, seu ad iudicem *primae instantiae*, nisi peculiaribus ex adiunctis praestet rem committere Metropolitano. Eumdem morem sequitur S. Cong. S. Officii.

Secundo quoad *modum* executionis sententiae nempe *condemnatoriae* (quia *absolutoriae* nulla est executio nisi dimissio *accusati* absoluti ab *instantia* vel ab ipsa *criminis* accusatione) advertatur, rem exigendam esse ad regulas iuris, quae moderantur rationem infligendi diversa genera poenarum, nempe poenas vel *positivas* vel *negativas* vel *mixtas*. Vol. III, n. 71. - *Negativae* nullum expostulant iudicis ministerium, et his accensemus censuras, quae simul latae secum trahunt executionem *arg. c. c. 53, § 1 De appell. X* (II 27) *et 20 De sent. excomm. in 6* (Vol. III, n. 73). *Mixtae* et *positivae* non sortiuntur effectum nisi accedat iudicis executoris ministerium et quotiescumque inferantur *ipso iure* incurrendae, nihilominus requiritur sententia *declaratoria*. Verum executioni demandari non valet sententia nisi transierit in *rem iudicatam* vel saltem, etsi appellatione impetita, tamen sit unus ex iis casibus, quibus appellanti concedatur effectus *devolutivus*, sed non *suspensivus*.

267. De expensis *iudicialibus* haec teneantur. Expensae

iudiciales, quae iure communi sunt *poenae temere litigantium*, multo magis sunt poenae illius qui *criminali iudicio* condemnatur. Cf. Vol. I, n. 669 sq. Unde in genere expensae solvendae sunt a *victo* seu ab eo qui ab arena iudicii *victus* discedit, sive accusatus sive accusator. - Accusator, qui accusationem non evincit, tenetur poena *talionis* seu *reciproci*, et proinde etiam expensas solvere tenetur non secus ac accusatus. - Hodie cum accuset promotor fiscalis, expensas solvet ipse Fiscus Episcopalis, si accusatus absolvitur. Qui vero movet *querelam* aut est *denunciator*, cogi potest ad praestandam *cautionem ante* iudicium, vel ad expensas *restituendas post* sententiam eius intentioni adversam, potissimum si *denunciatio* vel *querela* appareat omni fundamento destituta. Ita iussit S. C. EE. et RR. *die 13 Sept. 1817 et mense Martio 1821*. - Apud SS. Cong. Romanas, uti docuimus Vol. II, n. 111, non fit repetitio expensarum quae habentur compensatae inter partes. - Sed aliquando exigitur *cautio* seu *depositum* ex parte illius qui causam vult instaurare: ita iubet nuper decretum S. Cong. EE. et RR. a. 1900 art. 8, et ita solet observari apud S. Cong. Concilii, quoties causam instaurans videtur *temere* litigans. Tunc ex *cautione* seu deposito desumuntur expensae.

PARS III.

De iudiciis criminalibus in specie Commentarium in Instructionem editam a S. Cong. EE. et RR. die II Iunii 1880.

TITULUS I.

DE IUDICIO CRIMINALI MIXTO ORDINANDO IUXTA CITATAM INSTRUCTIONEM.

Summarium. — 268. Explicandi sunt singuli actus processuales seu *tela* evolvenda est processus criminalis. — 269. Processus *mixtus* ordinatus fuit in *citata* Instructione. — 270. Heic ordinatur processus *summarius* seu *oeconomicus*, quin derogatum sit processui *solemni* seu *formali*. — 271. Hic potissimum repetitur ex stylo peculiari curiarum. — 272. Utrum in criminalibus *solemnitatem* processus servare vel potius formam *oeconomicam* pendeat ex arbitrio seu ab instantia partium aut ex iudicis decreto — 273. Causae criminales habendae sunt *summariae* quoad *solemnitates* sed non quoad *probationes*. — 274. Haec ratio procedendi respondet adamussim et naturae causarum et temporum necessitati. Necessitas instruendi et definiendi causas criminales in foro ecclesiastico. — 275. *Citata* Instructio partim pressit vestigia Codicis poenalis iudicialis Greg. saepies *citati*, a quo proinde desumi posse videntur nonnullae normae processuales. — 276. Proprium habet processus iud. criminalis *eccles.* ut antea emendationi delinquentis, deinde prospiciat poenis imponendis *improprie vindicativis*. — 277. De *triplici* vitio *nullitatis* quo inficiuntur acta in processu *summario*.

268. Hactenus explicavimus veluti *prolegomena* in iudicia criminalia, quippe dispeximus, quaenam essent diversae procedendi formae, quaenam essent earum vices historicae, et quaenam ex hisce formis magis convenirent in hodiernam praxim.

Item et quoad personas iudicium constituentes aut ingredientes et quoad acta seu partes, quibus necessario iudicium coalescit et instruitur criminale, ea consideravimus quae istius sunt propria, et discrepant a iudicio civili - Modo discedentes a *communi* notione et structura iudicii eccles. criminalis, accedimus ad *specialem* tractationem, qua evolvitur *tela iudicii*, seu complexus et series actorum, unde coalescit iudicium criminale iuxta *citatam* Instructionem.

269. Equidem *in prolegomenis* explicavimus originem et naturam *processus mixti*, advertentes pene innumeras fingi posse speciales huius processus formas (cf. supra n. 113) quae determinandae erant a iure positivo. Instructio *citata* non profitetur expressis verbis, se processum neque *pure accusatorium* neque *pure inquisitivum* proposuisse, sed veluti *mixtum*, prouti nullus commentatorum adhuc asseruit, per *citatam* Inst. inductum fuisse processum *mixtum;* sed ex una parte non erat officium Principis istam *doctrinalem* distinctionem denunciare; ex alia parte eamdem advertere et intimius considerare magnopere praestat pro recta explicatione et facili applicatione eiusmodi processus inibi ordinati. Ceterum absque haesitatione asserere audeo, *mixtum* processum ordinari *cit. Inst.* quia uti adnotavi et clarius infra patebit, ex contextu hoc evidenter eruitur. - Neque omnino nova et insueta foro eccles. haec ratio procedendi dicenda est, et hoc etiam adverti.

270. Intentio S. Congregationis fuit, suppeditare normas procedendi *oeconomicas* seu *summarias* uti advertitur in *proëmio* et explicat art. IX « Animadvertant Ordinarii praesenti *Instructione* haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus per s. canones, per Apostolicas Constitutiones et alias eccles. dispositiones inductis, quatenus eaedem libere efficaciterque applicari queant; sed *oeconomicae formae* consulere intendunt illis casibus curiisque in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant aut non expedire videantur ». Verum forma *oecono-*

mica quum attingat *solemnitatem* minime vero *substantiam* actorum, nihil mutat in ratione processus *mixti*. - Iure merito hae formae vocantur potius *oeconomicae* quam *summariae*, quippe, attento iure communi constituto per Clementinas *Saepe contingit. De verb. signif.* et *Dispendiosam - De iud.*, causae criminales inter causas *summario processu* definiendas non comprehenduntur.

271. Si vero quaeratur in quo consistat *solemnitas iudiciorum* criminalium ex iure *communi*, ita respondet Pellegrini, *op. cit. Part. II, - De causis summ. - n. 18* « *Forma vero a iure canonico et civili inducta* (in iudicio formali) *est solemnitas actorum quae in iudiciis ordinariis fiunt, ut sunt libellus, litis contestatio, publicatio, conclusio et similia* ».

Nemo non videt nimis generalem et indeterminatam esse hanc descriptionem et addendum esse, ipsum ius commune nonnulla exigere ad solemnitatem in *prolatione sententiae;* nihilo secius, potissimum in re criminali certum est, has solemnitates determinatas fuisse ex stylo curiarum seu *iure particulari*. Audiatur idem Pellegrini, versatissimus in iurisprudentia criminali, docens *op. cit. P. IV, Sect. 10, n. 1.* « Praxis procedendi in causis criminalibus non est eadem in omnibus curiis tam ecclesiasticis quam saecularibus; ideo non potest tradi certa regula *nisi in terminis substantialibus* et qui secundum ius canonicum servari debent ». Et *loc. cit. in Sect.* V, n. 68 ait: « *Servandus est stylus curiae, in qua ius dicitur et consuetudo locorum in quibus iustitia administratur, qui quidem stylus et si in civilibus servandus est, in criminalibus tamen fortiori vinculo pro lege servari debet* ». Item docent Menochius *De praesumpt. lib. 2, praes. 8*, et Mascardus *De prob. conclus. 133*.

272. Ratio, ob quam fortius obligat sive *consuetudo* sive lex scripta *particularis* in re criminali, haud difficile intelligitur. Etenim crimina detegere, criminosos compescere apprime in-

terest reipublicae; negotia e contra civilia in primis intersunt civium privatorum, qui, ut plurimum, ipsi in negotiis vel gravioribus, eligere valent processum *summarium*, quasi renunciantes iuri suo servandi formas solemniores. Cf. Vol. I, n. 598. In re autem criminali publica auctoritas non patitur, pro libito contendentium, servari formam *solemnem* vel *oeconomicam*, sed ipsa constituit rationem procedendi necessario observandam. - Quamobrem facultas facta in *cit. Inst.* adhibendi formam *solemnem* aut formam *oeconomicam* non est concessa liberae partium electioni, nempe accusatoris et accusati, sed remissa est iudicis prudenti arbitrio, qui tamen, vel praevia instantia partium, vel ex officio deliberabit an uni vel alteri formae processuali adhaerendum sit. - Nos has formas procedendi *oeconomicas* vel *summarias* nuncupamus indiscriminatim, ut obsequamur communi loquendi rationi.

273. Illud vero usque prae oculis habendum est, causas criminales dici *oeconomicas* quoad *solemnitatem* sed non quoad *probationes;* siquidem necessitati obtinendi probationes luce meridiana clariores ad edendam condemnationem nihil derogatum est per *cit. Inst.* - Cf. *Vol. I, n. 593.* Quandoquidem nulla probatio negligenda est in hisce causis quantumvis *summario ritu* agitatis: hoc expostulat gravitas negotii. - Imo ipsa tantum natura negotii intimius perspecta suggerit, quaenam vis probationum exquiratur ad sententiam definitivam; quae vis, equidem, est relativa gravitati causae. Quare unanimi sententia opinati sunt DD. *de levibus delictis*, ex iure communi, cognosci posse *summarie*, videlicet *expeditiore ratione* etiam quoad *probationes*, quippe minus praeiudicium afferunt. Cui praescriptioni consonat codex *iud. crim.* cit. Greg. art. 469 statuens. « In *delicta minora* processus ordinatus ad ea, pro suis *substantialibus adiunctis*, cognoscenda, est *brevis* et *summarius* in suis formis ». Quaenam vero sint delicta minora *taxative* determinatum fuit art. 14 cit. cod. - Praeterea codices quoque hodierni ordinant

processum *summarium* nempe *expeditiorem* dumtaxat in forma processuali, servandum *taxative* pro delictis nonnullis *gravioribus*, quae expostulant pene immediatam coërcitionem. Cf. Carrara § 985 (1). - Et huic proposito obsecuta est nostra Instructio.

274. Haec autem procedendi ratio *oeconomica* est apprime conformis naturae causarum hodie agitatarum in foro eccles. quae pressius spectant ad vindicandam clericorum disciplinam, videlicet ad compescenda crimina in disciplinam eccles. patrata, supra in tit. XIII comprehensa. Sane *cit.* Inst. edita est ad ordinandos processus oeconomicos in causis *disciplinaribus* et *criminalibus clericorum*. At hae causae expostulant celerem expeditionem, abhorrentem a solemnitatibus iudicialibus hodie potissimum quum laici homines pene omnes, ob praeiudicatam opinionem, sunt infensi iurisdictioni ecclesiasticae iudiciali. Ceterum ratione personarum quae, pene omnes *ecclesiasticae*, iudicium ingrediuntur sive uti iudices quâ magistratus sive quâ testes sive uti officiales, magis simplices expostulantur formae processus. - Siquidem fraudes et collusiones aut corruptiones tantopere arcendae a foro civili, facili negotio *in foro eccles.* praecavere fas est, etiam ex parte reorum. Denique hodie ea est conditio curiae eccles. ut dumtaxat formae simpliciores processus iudicialis executioni demandari possint.

Nihilominus si praetermitti possunt absque praeiudicio iustitiae solemnitates iudicii, non ita praetermittere integrum est ipsa iudicia, quia nedum impuniti clerici dimittendi non sunt sed et hos vehementer dedecet iudicari a iudice laico. Ad haec, probe illi iudicari ab isto non valent quippe disciplina eccles. exquirit rationem procedendi omnino diversam a processu iudicii saeculari, prouti latius explicavimus. Quare aut iudicia non exercere aut in clericos expetere iudicium magistratus saecularis est penitus subvertere eccles. disciplinam.

(1) Item in causis Fidei adhiberi *posse* processum summarium ad praescripta iuris comm., inferunt DD. *ex cap. Statuta 20, De haeret. in 6.*

275. Ast perlegenti *cit.* Instructionem statim in oculos insilit difficultas componendi iudicia iuxta hanc normam paucis nûmero articulis concinnatam. Namque tam varia tamque implexa sunt iudicia, vel oeconomico ritu instructa, ut plura disiderentur quae nullimode in hac Inst. significantur. Equidem ibi per suprema lineamenta describitur ordo iudicii criminalis; peculiares vero praescriptiones quae observantur in evolvendis singulis partibus iudicii substantialibus desumendae sunt e iure communi explicato a probatis auctoribus. Ast *hic opus, hic labor;* quia Decretales non parum discrepant ab hodiernis moribus et peculiares consuetudines (seu *styli curiarum)* quae ius Decretalium interpretatae fuerant, ob silentium fori eccles., iampridem in oblivionem abierunt. Unde, pro utilitate curiarum, lacunae supplendae sunt *cit. Instructionis* et mihi visum est, pluribus in locis facilem viam suppeditare *cit.* Codicem iud. Greg. poenalem. - Namque cit. Inst., dubio procul, non parum imitata est hunc codicem eumdemque non semel, referre videtur, quamobrem magnopere utile esse duco latine reddere articulos cit. Codicis quotiescumque hi explere videantur lacunas cit. Instructionis. Neque huic proposito obstat art. 15 Decreti *diei 18 Decemb. 1835* editi *pro instantiis appellationum* a S. Cong. EE. et RR. statuente. « Sciant denique Curiae Episcopales per novissimas leges quae ad investiganda et coërcenda crimina pro tribunalibus laicis promulgatae sunt, nihil derogatum esse formis et regulis canonicis, quas proinde omnino sequi debent non modo in conficiendo processu, ad quem spectant haec verba *edicti 5 Nov. 1831* (*id est. Codicis iud. poen. mox citati*) - *nihil innovetur quantum ad iudicia eccles. pertinet* etc. ». Etenim normae, quas pro re nata ex eiusmodi Cod. iud. poen. Gregoriano desumemus, non vim *coactivam* sed tantum *directivam* habebunt et istarum defectus tunc temporis in curiis eccles. non persentiebatur; quippe adhuc vigebant, potissimum in ditione pontificia, *styli* seu peculiares consuetudines forenses; utique,

in hac regione, referentes mores curiae Romanae. - Pellegrini Part. II. *De iud. summ. n. 37 sq.*

276. Quod si nonnullas processus normas mutuari opportunum est a cit. Codice, utputa pro expediendis examinibus sive testium sive delinquentis, pro expediendis articulis defensionalibus et pro edenda sententia definitiva, nihilo secius cit. Instructio, quippe respondens systemati poenali eccles. discrepat, in sua substantia, ab ordinatione processus *crim. civilis*. Siquidem proprium est Ecclesiae, fideles et potissimum clericos arcere ab occasione peccandi seu delinquendi atque ita culpis admissis consulere ut iisdem per sollicitam correctionem et resipiscentiam delinquentis si fieri possit, in primis, occurratur ad communem fidelium aedificationem; quamobrem nostra Instructio ab art. I ad VIII in apposita remedia ordinanda incumbit. Quotiescumque haec media in irritum cadant, imo, ob contumaciam accusati, fortius constituant argumentum de dolo et reitate illius quem Praesul a culpa et a iudiciali animadversione removere sategerat, progressus fit ad processus instructionem, in qua et *inquisitio* et *accusatio* iudicialis praecedunt sententiam definitivam.

277. Explicavimus in Vol. II n. 361 acta processus *summarii* vitio laborare nullitatis tantum ex triplici *capite*, nempe ex defectu 1) *citationis*, 2) *iurisdictionis* seu *competentiae*, 3) *mandati*, uti statuit Clemens VIII Litteris - *Litium dispendiis*. - Nimirum acta, dummodo consistant in sua *naturali* substantia, utputa dummodo sententia *definitiva* revera litis contineat *definitionem*, per querelam nullitatis, ratione normae *iudicialis processualis*, tantum ex illo *triplici* capite impeti possunt. Sit itaque

TITULUS II.

DE RATIONE IURIDICA APPLICANDI NONNULLA REMEDIA POENALIA EXTRAIUDICIALIA ORDINATA AD PRAECAVENDAS GRAVIORES DISCIPLINAE ECCLES. LAESIONES ET AD ORDINEM IAM LAESUM REPARANDUM.

Summarium. — 278. Eiusmodi experimentum expostulat intentio systematis poen. eccles. — 279. At quia haec remedia sunt poenalia, requiritur praevia inquisitio. — 280. Quaenam inquisitio exquiratur. — 281. Quaenam sint haec remedia. — 282. Quomodo *citatio* distinguatur a *monitione canonica*. — 283. Quinam ordo servandus sit in hisce remediis applicandis. — 284. De monitionibus canonicis. — 285. De canonica monitione in forma *paterna*. — 286. De canonica monitione in forma *legali*. — 287. Quando uni et quando alteri sit locus. — 288. De *praecepto* eiusque vi, forma et duratione. — 289. De *spiritualibus exercitiis*. — 290. De recursu sive appellatione ab hisce remediis et de eius effectu. — 291. Quomodo curia probare debeat suam agendi rationem. — 292. Utrum eiusmodi media *praeservativa* seu pure medicinalia semper praevia sint iudiciis.

278. Ab initio tractationis de re criminali (Vol. III, n. 4) advertimus, ante de poenis agendum esse seu de poenali systemate eccles. quam de iudiciorum ordinatione, quia haec utpote poenarum applicatio, respondeat oportet poenarum eccles. intentioni. Quocirca sapientissime Instructio quam modo commentamur, sub ipso exordio, praedicat specialem indolem magisterii poenalis in Ecclesia, dum *art. I* ait: « *Ordinario iudici pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi super eorumdem vitae rationem vigilando* REMEDIISQUE UTENDO CANONICIS AD PRAECAVENDAS *apud* EOSDEM ET ELIMINANDAS ORDINIS PERTURBATIONES ». Ecclesia enim incumbit in sanctificationem singulorum fidelium, in primis, *Clericorum*, eosdemque semel ac percipit vel in discrimen pertrahere suam morum sanctitatem occasionibus delinquendi se

exponentes non sine fidelium admiratione vel culpis iam se maculasse, hos materna sollicitùdine amplectitur, hortatur Ecclesia ut a lubrico tramite se retrahant vel etiam ut e lapsu se recipiant in rectam viam, sibi et fidelium aedificationi consulentes. - Equidem hic agimus de remediis ab Ecclesia adhibitis *pro foro externo*, quae remedia prospiciunt *externae* eccles. disciplinae tuendae et restituendae; proindeque horum applicatio mediorum non est legitima nisi iudici suppetat *apposita probatio* de ingruentibus morbis, quibus vult medelam afferre. Etenim haec remedia adhibita vel ad crimina praecavenda vel ad aliquas publici ordinis laesiones reparandas famam illorum onerant quibus applicantur. Quod si non *publice* sed *secreto* haec adhibeantur, tamen eos quos afficiunt deteriores faciunt in aestimatione iudicis ordinarii aliorumque prudentum virorum, cum non levi status iuridici praeiudicio. Huc spectant gravissima verba Melchiadis Papae *in can. 13, caus. 2, q. 1.* « *Primo semper diligenter inquirite ut cum iustitia et veritate definiatis. neminem condemnetis ante verum et iustum iudicium; nullum suspicionis arbitrio iudicetis; sed primum probate et postea charitativam proferte sententiam* ».

279. Hanc rationem agendi Instructio commendare non praetermisit Ordinariis in art. V. « *Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio, de qua Ordinarius aliquod documentum conficiat oportet ut* AD ULTERIORA, *si opus sit, procedere et certiorem reddere queat superiorem Auctoritatem in casu legitimi recursus* » (1). Revera eiusmodi remedia iure merito dicenda sunt *poenalia* quamvis ab Instructione vocentur

(1) Sane eiusmodi acta condenda sunt in *archivio secreto*. Normae quibus Episcopi sua archivia servare debent praescriptae sunt antea in motu proprio Sixti V - *Provida* - diei *29 Aprilis 1587* - et expressius determinatae a Benedicto XIII in Const. *Maxima vigilantia* a. 1727. Cf. apud Lucidi *De visit.* Vol. III, Doc. XXI. Hae Constitutiones editae sunt pro Italia.

dumtaxat *praeservativa*. Namque clericos praeservare nata sunt a *gravioribus* culpis sed aliquam vel *leviorem* culpam *externam* (1) praesupponunt eamdemque compescere intendunt. Quam ob rem Ordinarius antequam alicui impingat eiusmodi culpam, de eadem caute inquirere debet per *summariam facti cognitionem;* ille vero, qui de culpa postulatur et hisce remediis afficitur, ius habet se defendendi etiam per recursum seu appellationem *extraiudicialem*. Exinde Ordinarius *appellatione* provocatur apud iudicem superiorem ut probet suam agendi rationem adversus exceptiones recurrentis. At Ordinarius destituitur efficaciori probatione si obiicere non valeat quae sibi nota sunt ex praevia inquisitione, unde evincat, et ipsum prudenter egisse in remediis applicandis et recurrentem iure conqueri non posse de sibi facta iniuria.

280. In *prolegomenis* iam satis explicavimus quotuplex sit inquisitio iudicis criminalibus causis praeambula; et modo sufficit recolere inquisitionem *specialem* et *specialissimam* comprehendi in *summaria facti cognitione* et *in actis*, quae inde conficiuntur et servantur, prouti cavet art. V *cit.* Inst. - Huius inquisitionis occasio aut stimulus est aut ipsa inquisitio *generalis* ab Ordinario usque praestita *super eorumdem* (clericorum) *vitae rationem vigilando,* aut *rumor* seu *fama* aut *denunciatio.* - Iudex conficit inquisitionem *specialem* et *specialissimam*, potissimum per examina testium, qui dicuntur interrogari pro *informatione curiae*, uti explicat Pellegrini *l. cit.*

281. Quaenam sint *in specie* haec remedia modo expendemus. In *genere* Instructio recolens remedia poenalia haec docet art. II. « *Ex his remediis alia praeveniunt alia reprimunt et medelam afferunt.* PRIORA *ad hoc ordinantur ut*

(1) Si enim culpa vel occasio delinquendi est omnino *secreta* fit locus remediis vel applicandis tantum in *foro interno*, vel sententiis ex *informata conscientia* si res quamvis omnino *secreta*, tamen effectus parere nata sit in foro *externo*.

impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur. ALTERA *finem habent revocandi delinquentes ut sapiant reparentque admissi criminis consequentias* ». Media praeservativa ita determinantur art. IV. « *Mediis quae praeservant praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta* ». Quae numeratio certe non est *taxativa* sed *demonstrativa*, quod significat aperta ipsa ratio loquendi seu locutio: *praecipue accensentur*. - Ceterum Instructio noluit Ordinariorum potestatem *coarctare* sed dirigere ad rectam mediorum poenalium applicationem. Ut ecce, Episcopus clerico exprobrat, severioribus verbis, quamdam morum levitatem, quapropter illi non contulit officium quod alias libentissime se contulisse asseverat. - Eiusmodi *reprehensio* non est proprie *monitio canonica* neque *praeceptum;* at certe est remedium *praeservativum* cui congrua *facti cognitio* praemittenda est. Praeterea coercere valet Episcopus, utputa clerici arrogantiam aut nimiam otiositatem, apud eius cives aut confratres satis perspectam, ei denegando veniam omnibus concedi solitam, scilicet discedendi a loco sui domicilii cum litteris *discessoriis*. Haec remedia et alia, id genus non semel sunt ceteris efficaciora pro rerum adiunctis. Quod scite animadvertit Instructio cit., innuens, praeter media a se numerata, plura alia *recenseri*.

282. Verumtamen in numerandis hisce remediis, Instructio magis quam singula remedia describere intendit rationem procedendi. Etenim omnes subsequentes *articuli* docent, quomodo haec remedia executioni demandentur. Ad rem advertatur, quia *moniliones* accensentur *remediis praeservativis*, clare patet, inibi *monitionem* distingui a *citatione*, quamvis passim apud canonistas, potissimum in criminalibus, *monitio* usurpetur pro *citatione*. Ita Pellegrini *l. cit. Sect. V, n. 14 seq.* Attamen *simplex citatio* distinguitur a *monitione*, quae est *citatio cum poenae aut saltem alicuius damni* seu *discriminis commina-*

tione in citatum si non obtemperet. Vel uti, exempli gratia, docent pragmatici, ut videre est apud Pellegrini *P. II, sect. 2, subs. 13,* facta *conclusione in causa,* partibus fieri *monitionem ad dicendum et allegandum in iure et in facto,* seu ad explicandas tum viva voce tum scriptis probationes deductas; secus causa expedietur ipsis ulterius non auditis nec interrogatis.

Quum poenis et potissimum censuris non fiat locus nisi puniendus *praemoniatur,* in isto casu *citatio* coniuncta cum poenae comminatione speciem assumit *monitionis;* arg. *c. c. 26, 61. De appell. X* (II, 27) *et 48 De sent. excomm. X* (V, 38). Itaque simplex editur *citatio* quum inquisitus vocatur ad examen in quo ei fit contestatio de indiciis adversus eum exortis eum accusantibus de aliqua culpa. Hanc citationem exquirit *summaria facti cognitio;* non enim, *ordinario,* probationes inde collectae haberi possunt firmae nisi audiatur inquisitus qui, non semel, tales exceptiones adducit omnimode aptas ad refellendam quamcumque suspicionem. Si, ex adverso, ipsae responsiones inquisiti indicia ipsi adversa confirmant aut saltem nullimode profligant, tunc si iudex opportunum ducat, facit *monitionem* seu inquisitum advertit *ut prospiciat conscientiae suae* et *legitimo sui muneris adimplemento aliquid omittens, secus periclitatur gravem patrare laesionem in disciplinam eccles. et severiores animadversiones in se provocare.* - En *monitio canonica* distincta *a citatione.*

283. Magni ponderis est quaestio, quinam videlicet ordo servandus sit in diversis remediis applicandis. - Citatus art. IV tria ponit remedia quorum gravitas non desumenda est ex ordine numerationis. Siquidem *spiritualia exercitia* aliquando possunt esse remedium levius quam *monitio canonica* denuntiata in *forma legali.* - *Praeceptum* autem est remedium *complexum,* quum in *praecepto* comminari valeat Ordinarius vel levem vel gravem poenam, itemque unum vel alterum remedium praeservativum, veluti *exercitia spiritualia.* - Quocirca inter remedia

ab Instructione recensita non adest *ordo obiectivus* sequendus in applicatione, sed unius vel alterius remedii applicatio determinatur ex rerum et personarum adiunctis, habita ratione indolis cuiusque remedii, uti modo explicabimus.

284. Exordiemur a *monitionibus canonicis*, quas ita describit Instructio art. VI. « *Canonicae moniliones fiunt sive in forma paterna et secreta (etiam per epistolam aut per interpositam personam) sive in forma legali ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu* ». Distinguenda heic est *monitio canonica* PATERNA *a monitione canonica* LEGALI. - Monitionum usum insidere in ipso christianae charitatis praecepto iam advertimus, proindeque ab exordio Ecclesiae fuisse altius praedicatum, veluti morem a Christianis frequentandum ad crimina praevenienda et compescenda, docet textus Matthaei (XVIII, 15): « *Si autem peccaverit in te frater tuus vade et corripe eum inter te et ipsum solum.... Si autem te non audierit adhibe tecum unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae....* ». Eiusmodi monitio habita est quasi - *accusatio fraterna charitativa ad correctionem* - a christianis adhibenda loco - *accusationis ad vindictam* - a Romanis instauratae. Monitio *charitativa* ut suo respondeat fini expostulat intimum charitatis affectum; quare, frigescente fidelium charitate, mos exolevit huius monitionis, non secus ac corruptis civium moribus, *accusationis* systema cessit *inquisitioni ex officio*. Exinde factum est ut monitiones non amplius fierent a privatis fidelibus sed a Praesulibus Ecclesiae; unde eiusmodi monitio quamvis *fraterna, paterna, charitativa* dicta est *canonica* utpote facta vi publicae auctoritatis. Divus Gregorius Magnus in opere - *Cura Pastoralis* - *proleg. P. III* perbelle disserit de munere Praesulis mores corrigentis per eiusmodi *monitiones*, quae proinde ut sint efficaciores non a Vicario Generali sed ab ipso Episcopo, aut saltem Eius nomine fieri debent, quod velim animadverti. Iuvat praeterea recolere verba *Con-*

cil. Trid. Sess. 13. cap. 1, De ref. directa Episcopis. « Quos (*subditos*) tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate et patientia, *cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas* ». At ex modo quo ab Episcopo fit monitio, haec distinguitur in duas species, (uti ait art. VI), referentes praeceptum evangelicum, nimirum *primo* monitionis factae remotis testibus et *secundo* monitionis denunciatae adhibitis testibus.

285. Monitio *canonica* est *paterna* et *secreta*, quando Episcopus, - *monet aliquem ut faciat*, - *monet ut abstineat*..., *tali modo, intra certum tempus* - eumque sollicitat ut bene agat, habita ratione suae conscientiae, suae ipsius utilitatis, bonae existimationis, quae alias gravissime periclitantur; videlicet Episcopus sollicite, qua pastor, qua pater alloquitur filium confidens sua monita non cessura irrita, non ex timore poenae, non ex minis sed ex bona sui subditi voluntate. Quod si Episcopus non potest aut non vult istum ad se vocare et os ad os loqui, cavet *cit. art. VI*, monitionem fieri per *epistolam* aut *per interpositam personam*. - In *monitionibus* denunciandis per epistolas servetur art. XIV Inst. statuens has transmittendas esse - *ope commendationis apud tabellariorum officium illis in locis in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis. receptionis aut repudii* ». Nimirum *monitiones* non secus ac *citationes* expediri valent per publicos litterarum diribitores dummodo hae cautelae adhibeantur quibus certa fides fit de receptione aut de repudio litterarum ex parte illius cui litterae datae sunt.

Verum quia in monitionibus admodum operatur viva vox quae vividior pertingit usque ad cordis medullas, magis instans et sollicita in refellendis excusationibus quibus admonitus conatur suam culpam protegere, Episcopus per *interpositam personam*

monitiones facere potest. Supervacaneum est advertere quippe res evidentissima est, delegatam personam tanto muneri utiliter operam daturam esse, dummodo sit digna quae Episcopi nomine loquatur et sit prudens et pietate conspicua.

Huius monitionis intentio est ut maneat *secreta*, nihilominus cavet art. VI, indiscriminatim, monitiones ita fieri « *ut de earumdem executione constet ex aliquo actu* ». Diversimode vero servanda est memoria de una alterave monitione. Porro ipsa S. Cong. EE. et RR. (1) *die 7 Sept. 1801* iussit, monitiones paternas in cancellaria episcopali *publicis registris* inserendas non esse, at in archivio *secreto* earumdem memoriam *aliquo actu* servari pro casu quo vel ad *ulteriora* procedi debeat vel monitus recurrat ad Superiorem penes quem Episcopus suam agendi rationem probare adigitur.

286. *Si autem te non audierit*, iubet textus evangelicus, *adhibe tecum unum vel duos...* qui nempe sua auctoritate et attestatione magis excitent contumacem in resipiscentiam; qui si nihilominus contemnat et poenis, iudiciali sententia, compescendus fuerit, praesto sint testes qui probent illius contumaciam. Huc spectat *monitio canonica* quae *cit.* art. VI dicitur fieri in *forma legali*, seu in tali forma ut si oporteat, iudicium instaurare, adsit in promptu parata probatio de facta monitione. Forma est *legalis* seu apta probationi sive tantum adsit cancellarius referens *in acta* textum monitionis sive testes adhibeantur in testimonium monitionis sive Episcopus scriptis exaratum exhibeat textum monitionis et subscriptionem exquirat illius cui monitio facta est fidem facientis de secuta monitione. Cf. Monacelli *op. cit. Tom. 3, tit. 2, formul. 6, n. 20.* - Nihil prohibet quominus Episcopus per delegatum virum faciat monitionem in *formam legalem* redigendam. - Forma autem *legalis* saepissime componenda est *cum secreto*, quia in genere a cle-

(1) Analecta *Iuris Pont.* Vol. XX, p. 82; item cf. Vol. XIX, p. 1124.

ricis, quantum fieri potest, vel poenitentiae, vel poenae vel censurae secreto luendae sunt ne inhabiles omnino evadant eccles. ministerio; unde etiam in veteri disciplina clerici non submittebantur *publicis poenitentiis* (*can. Presbyter 5, Dist. 82*), et quia, iuxta sententiam *cap. 21, De accus. X* (V, I), nemo puniendus est *publice* de crimine *occulto*. Quocirca quamvis ordinario monitiones taliter redactae in *formam legalem* inserendae sint in publica regesta cancellariae, nihilominus, pro natura negotii, non semel in *secreto* archivio deponere prudens est. Cf. supra n. 278, not. 1.

Monitio *canonica paterna* non secus ac *can. legalis* versatur in genere circa obligationes - *de non alloquendo, de non frequentando, de divinis officiis pie et rite obeundis, de non retinendo* -, ast *paterna monitio*, utpote *secreta*, atque *legitima* probatione destituta a se repellit certam *sanctionem poenalem* in casu contumaciae: deesset enim *legitimum decretum* ad urgendam poenae *executionem* aut saltem ad edendam *sententiam declaratoriam* (1). Ex adverso *monitio canonica* in forma *legali* concepta, suapte natura, provocat ad sanctionem poenalem incurrendam a subdito contumaci qui una simul spernit et Episcopi auctoritatem *exhortantis* et *salutare* monitum. Attamen prudentiae et charitatis rationes non semel persuadent, ut monitio edatur in forma *legali* at non adiecta sanctione.

287. Ex intentione et indole harum monitionum inferri forsan posset, alteri post alteram fieri locum seu antea monitionem *paternam* postea *legalem* faciendam esse. Ast res indiget explicatione quoad omnem partem. Etenim:

1) Monitioni vel *paternae* non est locus nisi Episcopus *gravia* habeat indicia de culpa illius quem vult monere. Inquam - *indicia* - quia non requiritur *plena probatio* et hoc sensu DD.

(1) Episcopus abstinere debet a comminanda censura l. s. in *paterna monitione*, quia in casu contumaciae non produci posset textus sententiae cuius executio, uti iam secuta, *declararetur*.

tradunt sufficere *semiplenam* probationem. Cf. Acta S. Sedis XV, p. 378. Verum certâ regulâ res non potest definiri quia haec *gravitas* est *relativa*, nempe maior vel minor pro adiunctis rerum et personarum pensandis a prudentia Episcopi.

2) Praeterea in monitione *paterna*, utpote *secreto* manifestata, si indicia non sint gravia et animum prudentis relinquant ancipitem, utilis est monitio quae tamen culpam, uti *incertam*, pandat ex charitatis affectu, quo magis sollicitet admonitum ad propulsandam omnem suspicionem omnemque culpae labem.

3) In monitione *legali* requiruntur graviora *indicia* quia ista, ob suam formam, exui non potest intentione remedii poenalis. Verum si ex *summaria facti cognitione* non *plena* probatio exorta sit sed aliqua probatio quae Episcopum vehementer provocat ad media *poenalia* adhibenda, potissimum *praeservativa*, ex his *levius* applicat remedium in *monitione legali*, quae dum corripit viam pandit intimiori veritatis investigationi.

4) Ceterum *secretum* aliquando religiose observandum in hac monitione, prospicit tum famae subditi si crimen sit omnino *occultum* tum prudenti Episcopi deliberationi si culpa forsan non videatur satis probata.

5) Quare si ab initio inquisitionis vel ex denuntiatione erumpant eae probationes quae expostulare videntur *monitionem legalem*, praetermitti potest *paterna*, quotiescumque ex hac nullus speretur effectus.

6) In actu admonitionis fit admonito copia defensionis; quoniam ei integrum est docere, haud vera esse quae ipsi tribuuntur; nec non eidem concedi valet necessarium tempus ad parandam defensionem. Namque dum fit *summaria facti cognitio* examini subicitur *inquisitus* (nisi gravissima obstet ratio aut inutile sit examen ob evidentiam culpae); in examine autem fit aliqualis accusationis contestatio, quae satis pandit inquisito culpam quae ei impingitur quaeque deinde in *monitione canonica* sortitur poenalem animadversionem. Denique si subditus

admonendus antea examini subiectus non fuit. tamen dum vocatur ad audiendum Superioris verbum vel certo scit rem qua de agetur aut in citatione certior fit vel in ipso actu monitionis. - Hoc pacto dixi, ipsam *monitionem* inservire veritati detegendae.

288. Malo fato, aliquando in irritum cadunt monitiones; et ad graviora remedia veniendum est. - Iubet art. VII. « *Quatenus infructuosae monitiones evadant Ordinarius praecipit curiae ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum in quo declaratur quid eidem agendum aut omittendum sit cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione quam incurret in casu transgressionis* ». Forsan videmur nos praeoccupasse hoc remedium, quippe posuimus monitioni *canonicae legali* adiici posse sanctionem poenalem in casu transgressionis. Atqui, si hoc fiat, cum *monitione* coniungitur *praeceptum* et hoc servare nihil prohibet, imo hoc praestat facere quum iam irrita cesserit *monitio paterna*. - Secus si rerum adiuncta persuaserint ut initium haberetur a *monitione can. legali*. - Ceterum nemo non videt *praeceptum* adnexum *monitioni* formam induere benigniorem; quam tamen adhibere non expediret quoties subditus iam dederit talia contumaciae exempla ut non deceat verba solemnia impendere exhortationis.

Equidem *praeceplo* semper praemittenda est necessaria *facti* cognitio et nullius valoris est *praeceptum* editum absque certa *facti* notitia, ut ecce de periculo *proximo* quo versatur clericus delinquendi, nisi aliquid omittat aut deserat; vel nisi constet *de corpore delicti* quum hoc patratum sit et agatur de eo reparando. Verum necessariae *absolute* non sunt praeviae *monitiones canonicae*. Inquam - *absolute* - quia fingi potest casus quo clericus iam crimen patraverit ut puta fornicationem et sit ridiculum illum monere de risipiscentia nisi in primis ei fiat peremptorium *praeceptum* derelinquendi certam domum. Attamen cum Ordinarius statuit applicare *praeceptum*, utpote primum *idoneum remedium*, citatione *trina* vel una *peremptoria*

convocandus est praeceptandus ut sistat coram iudice, nisi sponte in curia comparuerit, ut examini subiiceretur. Tunc enim si responsiones ad interrogatoria culpam et contumaciam inquisiti confirment, potest iudex, extemplo, illi *praeceptum* indicere. Hoc vero, *caute* advertatur. Videlicet si in *praecepto* uti sanctio statuitur aliqua censura, quia censuris *necessario* monitio praecedat oportet, ad validitatem praemittendae sunt *tres* monitiones vel una *peremptoria*, arg. *c. c. 48. De sent. excom. X et 9 h. t. in 6.* Quae quidem monitio *trina* seu *una peremptoria* cum *trino* termino debet saltem continere spatium *sex* dierum et sic *duorum* dierum pro quolibet termino. Cf. Ridolfini, *Prax. iud. P. I, cap. 14, n. 244 sq.*

Praeceptum autem disiunctum a *monitione* est gravius remedium quippe maiorem testatur contumaciam in praeceptato et hinc edendum non est nisi *plena* adsit probatio vel de delicto iam admisso vel de periculo *proximo* istud patrandi. - *Praeceptum* enim vim habet sententiae condemnatoriae, sub conditione editae *suspensiva* seu remissae ad futurum eventum.

Quid iuris si non adsit in *praecepto* certa praefixio temporis intra quod opus praestari debeat ad evitandam poenam; quanto tempore tunc dicendum est durare praeceptum? Hanc quaestionem iure communi eccles. non habemus solutam, eamdemque sibi proponit Bizzarri *in Collect. in usum Secretariae S. C. EE. et RR. et pag. 193* affert declarationem editam a Secretaria Status pro negotiis civilis ditionis Pontificiae, edicentem - *quotiescumque non fuerit assignatus terminus durationis*, ista *censeri expirare post anni decursum.* Addit ipse Bizzarri: « *Quamvis suprascripta declaratio respiciat tribunalia laicalia tamen ex ea etiam tribunalia ecclesiastica normam desumere possunt* ». Cf. Vol. III, n. 66 sq.

Forma *praecepti* concinne determinatur ab instructione art. VIII: « *Praeceptum indicitur praevento coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis*

probatae integritatis. - § 1 *Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque si velit.* - § 2 *Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum quatenus id prudenter expetat tituli indolis de quo agitur* ».

Advertatur, Instructionem cavere, *praeceptum* enunciari coram *Vicario Generali;* dum monitiones satius est ut fiant ab ipso Episcopo aut eius nomine; iubet enim expresse art. VII « *Quatenus infructuosae monitiones evadant Ordinarius praecipit curiae ut delinquenti iniungatur praeceptum* ». Scio. Ordinarii titulo comprehendi etiam Vicarium Generalem sed in themate est clara oppositio Ordinarii Episcopi ad suam curiam et ad Vic. Generalem. Ceterum acta iudicialia aut prope iudicialia pene exclusive committere explenda Vicario Generali est regula sapientissimae gubernationis eccles. et nunquam satis commendata, uti probavimus lib. I, n. 147 sq.

Quia praeceptum munitur sanctione poenali, necesse est clarissime denunciari quid faciendum quidque omittendum sit cum certa termini praefixione et poenae determinatione.

289. Quaenam poena sancienda sit in *praecepti* transgressorem communi regula determinari non solet, quia res pendet ab adiunctis rerum personarumque. Hodie in clericos et etiam in laicos remedia poenalia, ad executionem expedita, praesto sunt *censurae.* Quae servari debeant in his ferendis iam innuimus; infra dicemus, data opera, in speciali tractatione. - Instructio expresse nominat *exercitia spiritualia* quae poenarum redolent naturam quum praecipiuntur in reparationem vel scandali vel culpae vel in morum correctionem Ordinarii reprehensione notatorum. Inde sequitur, aliquem adigi non posse ad *spiritualia exercitia* explenda, nisi ipse, *praevia facti cognitione.* repertus sit reus alicuius *culpae,* veluti *omissionis debitae diligentiae* in suis muneribus parochialibus.

Quaeritur an huic remedio *poenali* praemitti oporteat antea *monitiones,* postea *praeceptum.* - In primis *monitionem pater-*

nam debere praemitti certum est. quia satis aperte rescriptum fuit a S. Cong. Concil. in responsione *diei 20 sept. 1878* (1), et quia eiusmodi *monitio* aequivalet *citationi*, qua subditus advertitur ut valeat se defendere, si potest. - Sufficit autem *una* monitio nec *trina* expostulatur prouti in censuris observatur. Ceterum ut cavillationibus praecludatur aditus, praestat in litteris *monitionis* advertere, *monitioni* subsecuturum esse statim *remedium poenale*, si illa in irritum cedat - *Secundo*, non requiritur forma *praecepti;* siquidem Instructio art. IV *exercitia spir.* distinguit a *praecepto*. Sane *exercitia spir.* tota consistunt in spirituali saluberrimo opere adeo ut sacerdos, nisi perditissimis sit moribus, absque solemni *praecepti* comminatione ad ista peragenda facile inducatur; ad haec advertatur quod crescit ratio poenae quum praemittitur *praeceptum*.

290. Haec omnia et alia id genus remedia *praeservativa*, utpote *poenalia*, impeti possunt ab eo qui se arbitretur iniuste gravatum, per recursum, *appellationem extraiudicialem* instauratam intra decem dies a notitia decreti vel inlati gravaminis numerandos, et hoc explorati iuris est. At per appellationem non impeditur executio, quippe ex appellatione a decretis ad correctionem morum ordinatis unus derivat effectus *devolutivus* arg. *cap. 12 De off. ord. X* prouti edicit Concil. Trid. *sess. 13 cap. 1 De reform.* et declaravit S. Cong. Concil. in una *Sardiniae 16 Maii 1700*. Vol. I, n. 634.

(1) Cfr. Litterae Encyclicae Pontificum Alexandri VII, Innocentii XI et XII, Benedicti XIV qui vehementer laudant *spiritualia exercitia* et haec clericis sacris ordinibus initiandis praecipiunt. Ista documenta prostant apud Lucidi *De Visitatione SS. LL. part. 1 e 3*. Pius IX omnibus ista commendavit Litt. Encyc. *Qui pluribus*. - Rescriptum S. Cong. Concilii *primo* respondit Episcopum adigere posse sacerdotes ut semel in spatio quatuor annorum sp. exercitiis vacarent; et ad 2um *An possit Episcopus eos Sacerdotes qui sine legitima causa interesse detrectant aliqua modica poena mulctare;* respondit: « *Affirmative, praevia tamen paterna admonitione* ». Cf. *Acta S. Sedis Vol. 12, p. 609.*

291. Eiusmodi appellationi curia, uti par est, deferre debet transmittendo ad iudicem superiorem *acta*, quae rite expostulantur sive ab appellante sive a iudice ipso ad normam Decreti Concil. Trid. *Sess. 24, cap. 20, De ref.* - In sui autem defensionem curia trasmittet ea quae probant suam agendi rationem sive quoad praeviam facti inquisitionem sive quoad *monitiones canonicas* poenae aut praecepto indicendo praehabitas; quocirca pateat iuris, et prudentiae regulis satis fuisse factum. Huc spectat monitum Instructionis, nempe oportere de singulo actu vel de ipsa *monitione paterna* aliquod documentum servare.

292. Postremo loco quaeritur an semper haec media *praeservativa* praecedere destinata sunt formale iudicium; quasi experimentum *compositionis extraiudicialis* de controverso negotio antequam hoc subiiciatur tractationi iudiciali; non secus ac in re civili transactio vel compromissum in arbitros ordinata sunt ad praeveniendas vel sopiendas lites. - Iamvero, hodie potissimum, quum remedia poenalia eccles. etiam *vindicativa* (Vol. III, n. 62 seq.) consistant in privatione iurium, in foro eccles. utillime Ordinarius experitur vel media *praeservativa* vel *voluntarias* provocat iurium renunciationes et scandali reparationes, antequam deveniat ad sententiam iudicialem condemnationis. Equidem *mediis praeservativis* aliquando non est locus, ut ecce in parochum qui iampridem scandalose vivit vel qui ob recens facinus omnium odium et offensionem in se provocavit. Sacri canones infligunt in hisce gravioribus casibus beneficii privationem, sed praevio iudiciali processu unde pateat crimen et prodeat condemnatio. Hodie magis praestat hos infelices sacerdotes persuadere ut nuntium mittant beneficio, scandalum reparent et salubria expleant poenitentiae opera in sui bonum et fidelium sanctificationem. Praestat enim media coactiva iudicialia, quippe hodie non difficile spernuntur, tunc adhibere quando in cassum cesserit experimentum compositionis extraiudicialis. Cf. supra n. 186 et Vol. III, n. 173.

§ 1. *De Purgatione canonica.*

Summarium. — 293. Laudatur *purgatio canonica*, quatenus est remedium *extraiudiciale*. — 294. Sub hoc aspectu *purgatio can.* non abhorret a foro eccles. et utiliter frequentari potest. — 295. Quomodo hodie ordinari valeat *purgatio canonica*. — 296. Quid potissimum attendendum sit sive ex parte accusati sive ex parte testium ut admittere praestet eiusmodi remedium.

293. Conceptum et historiam purgationis sive *canonicae* sive *vulgaris* supra tradidimus *n. 112*, et advertimus *purgationem canonicam* in sua origine prouti illam commendabat S. Gregorius M. eamdemque adhibebat, fuisse *remedium extraiudiciale* ordinatum in abstergendam quamcumque suspicionis labem a Sacerdotibus, qui esse debent apud populum christianum sine *macula* et sine *ruga*. Atqui non semel sacerdos iudicialiter *accusatus* de crimine non convincitur, atque a iudicio victor discedit sed non omnino a labe suspicionis immunis, quippe homines in malum proni facilius absolutionem tribuunt probationum defectui quam accusati innocentiae. In hac rerum conditione versabatur sacerdos iudicio obnoxius S. Gregorii Magni (*can. 5, caus. 2, q. 5*) qui pronunciavit: « *et nullam in eo de his quae dicta fuerant, culpam invenimus* » en *absolutionem iudicialem;* verum subiungit « *Sed ne quid videretur omissum quod nostro potuisset dubium cordi remanere, ad B. Petri sacratissimum corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta praebere etc.* ». Inibi *iuramentum purgatorium* est *remedium extraiudiciale* qua consulitur integritati famae sacerdotum. Haec purgatio *canonica* mutuata est a *vulgari germanica* (uti demonstravimus l. c.) testes *assertores* seu *compurgatores* seu *sacramentales*, qui etiam *manus quinta, sexta, septima*, dicti sunt quippe manus dum porrigitur semper fuit symbolum fides et testes iurantes *manus* porrigunt super *Sancta Dei Evangelia*. Inde Innocentius III in c. 5 *De purg. can. X* (V, 34)

ita explicat ritum *purgationis can.* « *Porro purgationis tenor erit huiusmodi: Episcopus* (accusatus de crimine simoniae sed iudicialibus probationibus omnino deficientibus) *iurabit primum super sancta Dei evangelia quod pro Ecclesia S. Petri presbytero P. danda, nec ipse per se nec per submissam personam nec aliquis pro eo, se sciente, pretium recepit: deinde compurgatores super sancta Dei Evangelia iurabunt quod ipsi credunt verum esse* ». Verum quia *purgationis* ritus adoptatus fuit quasi probatio *iudicialis* exhibenda ab ipso accusato (dum actori seu accusatori inest onus probandi, non vero accusato), deflexit a suo instituto et ita reprobandus est et ob hanc reprehensionis notam nec non propter fallaciam iuramenti praestiti ab ipso accusato reiectus fuit etiam a foro eccles. Malo fato suffectum fuit peius remedium, *tortura.*

294. Purgatio *canonica* prouti est *remedium extraiudiciale* etiam hodie utiliter frequentari posse videtur; siquidem certum est simplicem *absolutionem* iudicialem aut etiam non instauratam *iudicialem* instantiam ob defectum probationum, non usque sufficere ad conciliandam presbyteris eam existimationem omnis maculae expertem, qua nisi fruantur utile ministerium gerere non valent. Ceterum nemo dicet nullius ponderis esse iuramentum praestitum solemniter a sacerdote, maxime cum suae assertionis adhibet testes omni exceptione maiores qui idem iurati asseverant. - Pondus huius probationis ius canonicum magni facit in ipsis causis matrimonialibus, quum agitur de impedimento impotentiae coeundi aut de matrimonio rato et non consummato. Qui enim eiusmodi facta asserit in iudicio, potissimum haec probat per suam *iuratam* assertionem et per testes *septimae manus,* quos adducit in confirmationem suae attestationis. Tunc eiusmodi iuramentum est, merito, probatio *iudicialis,* quippe ab eo exhibetur cui competit probare suam assertionem. Cf. Responsio S. C. C. *in una Varsavien. mense Iunio 1894.*

295. Ast caute adhibenda est *purgatio* ut suo scopo respondeat. - Ordinarii iudicis est discernere, quando sinistri rumores aut vulgi obmurmurationes nihili sint faciendae, quamobrem has aspernatur atque refellit Ordinarius, ipsi presbytero, mendaciis, obtrectationibus impetito, aperte tradens suae existimationis testimonia quae illius famam vehementer apud probos et honestos cives commendant: haec est *purgatio canonica* in primis expetenda a presbyteris honestis adversus malevolos homines, arg. *cap. 12 h. t.* Ast non semel, etiam in sanctissimos viros, indicia exoriuntur et suspiciones, et murmurationes famam laedentes quas spernere, at nullimode refellere non est prudentis viri. Tunc utiliter si alia non suppetant faciliora media, veluti libellum edere qui omnem suspicionem diluat aut quaestionem submittere arbitrio prudentum virorum qui omnibus rite perpensis pronuncient *arbitrium de moribus;* recursus, inquam, haberi potest ad *purgationem canonicam, remedium extraiudiciale* SUBSIDIARIUM. Cf. Van-Espen. *op. cit. III, 8, cap. 4, n. 57 sq.*

296. Hoc remedium non expedit admittere nisi Ordinarius, re cognita, idem probaverit. Ut probet haec concurrant oportet: 1) nempe non suppetere alia media *ordinaria*; 2) virum infamia notatum ad purgationem admittendum, dignum esse qui iuramento fidem faciat, arg. *cap. 1, h. t.* « *Purgatores illius honestatis et opinionis esse volumus quod verisimile sit eos nolle amore, odio seu obtentu pecuniae peierare. Ut autem* IDONEI APPAREANT *necesse est ut eius quem purgare debent,* VITAM et CONVERSATIONEM cognoscant » ita *cap. 7 h. t.* - Nam hi testes sunt *de credulitate* seu « *id solum tenentur iuramento firmare quod veritatem credunt eum dicere qui purgatur* » ita *cap. 13, h. t.* Proinde isti testes sint oportet personae *de vicinia* seu quae *vicinae sunt et honestae,* iubet *cap. 11 h. t.*

Nihilominus ipse Geraldi *Exposit. iur. pont.* ad h. tit. notat, *canonicam* purgationem *in curiis eccles.* pene exolevisse, eam-

demque, veluti inutilem in suo commentario praetermittit. Ast iam adnotavi defectus huius *purgationis*, utpote *probationis iudicialis*, (cf. supra n. 112) et de hac loquitur Giraldi. E contra heic ego recolui et laudavi *purgationem can.* quae est remedium *extraordinarium extraiudiciale;* atque ex eius usu, modo explicato, utilitatem capi posse mihi videtur; an vere recte dixerim, iudicabunt sapientiores.

TITULUS III.

DE INQUISITIONE IUDICIALI IN PROCESSU MIXTO OECONOMICO.

Summarium. — 297. Quomodo distinguatur inquisitio *iudicialis* ab *extraiudiciali* praemittenda remediis *extraiudicialibus* seu modo explicatis. 298. Quando instaurandum est iudicium. — 299. Quotuplici modo introduci contingat inquisitio *iudicialis*. — 300. De iudice *instructore* seu *commissario*. — 301. De promotore fiscali. — 302. De apparitore. — 303. De *basi facti criminosi* seu de *corpore delicti*. — 304. De examine testium. — 305. De examine seu de constituto rei.

297. In praesentem tractationem prima quaestio est, quid intersit inter inquisitionem praeviam remediis *extraiudicialibus* et inquisitionem instaurandam veluti primam periodum processus *mixti*. Iamvero solutio quaestionis repetitur ab obiecto cui una et altera ordinatur. Inquisitio praecedens remedia *extraiudicialia* remanet *extraiudicialis* seu destinata dumtaxat ad comparandam iudici ordinario cuiusdam facti cognitionem et notitiam; e contra inquisitio in processu sive *pure inquisitivo* sive *mixto* est *iudicialis* quippe obtinetur per regulas iudiciales et ordinatur ad pronunciationem sententiae iudicialis absolutoriae aut condemnatoriae.

Regulae autem iudiciales semper informantur huic principio, fundamentali in re iudiciali, nempe omnia acta et probata confici per processum *contentiosum*, cuius valorem inficiari non possit ipse reus. Severior est in processu *mixto* applicatio huius principii, quia inquisitus expostulare potest ut omnia acta iudicialia, eo inaudito, confecta *legitimentur* seu redigantur in formam contentiosam, uti supra innuimus.

Quamobrem si agatur de inquisitione *extraiudiciali*, Ordinarius satis consulet formae et auctoritati probationum inde collectarum, si de iisdem constet ex aliquo *actu* et potissimum inserviant iudici pro sua defensione apud Superiorem, ad quem

forsan recurrerit aut appellaverit inquisitus. - Ista vero inquisitio non redditur iudicialis nisi redigatur in formam iudicialem, prouti expostulant normae processus.

298. Art. X expresse dicit quando actione iudiciali opus sit, praecipiens: « *Quum procedi oporteat criminaliter sive infractionis praecepti aut criminum communium vel legum Ecclesiae violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus* ». Articulus innuit aliquando oportere iudicium instaurare criminale, atque adumbrat supremos casus, qui perpenduntur a iure communi. Videlicet quum locus amplius esse non potest mediis *praeservativis*, quia crimen est iam patratum neque *medicinalibus extraiudicialibus*, quia delinquens se praebet incorrigibilem, tunc per iudicium pervenitur ad *coactivam* criminis repressionem.

Quantumvis pro hodiernis curiarum adiunctis, formae *summariae* processus sint magis idoneae, nihilo secius caute advertitur, processum iudicialem fieri *absque strepitu* sed *servatis regulis iustitiae fundamentalibus*, et has regulas explicat per suprema lineamenta nostra Instructio.

299. Art. XI enumerat diversos modos quibus contingit instaurari iudicialem processum, nimirum: *Processus instruitur* EX OFFICIO, *aut in sequelam* SUPPLICIS LIBELLI *et* QUERELAE *aut* NOTITIAE *alio modo a curia habitae et ad finem perducitur, eo consilio ut omni studio atque prudentia veritas detegatur et cognitio tum criminis tum reitatis aut innocentiae accusati obtineatur* ». Hos modos late explicavimus in *prolegomenis*. Docuimus procedi *ex officio*, quum occasione inquisitionis *generalis* oritur necessitas inquisitionis *specialis* et *specialissimae*. Proceditur in sequelam *supplicis libelli*, quem porregit denunciator. - Habetur proprie dicta *querela* quum de iis criminibus agitur, qui non subsunt persecutioni criminali nisi ad *instantiam partis*, veluti ob *diffamationem*. - Denique innuitur

fons *notitiae alio modo a curiae habitae*, et haec obtinetur per simplices *delatores*, qui non porrigunt supplicem libellum veluti *denunciatores*, tum crimen manifestantes, tum probationum suppeditantes argumenta, sed dumtaxat referunt notitiam criminis, at probandi onus nullimode explent.

300. Art. XII iubet: *Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo viro ecclesiastico, adstante actuario* ». Heic non expresse iubetur sed consulitur constitutio *iudicis instructoris*. At praescriptio, quae hoc articulo continetur, aliquam facit difficultatem, quia instructio iubet servari formas *oeconomicas*, seu *expeditiores;* videtur autem magis implicatum reddere processum *iudicis instructoris* constitutio, quippe qui explet munus, quod ab ipso iudice perfici posset. Quare ergo personas multiplicare quae iudiciale compleant officium? - E contra advertatur, iudicem instructorem conficientem processum, probationes congerere quibus innititur accusatio. Sed valde incongruum est, iudicem *acta* conficere iudicialia de quibus ipse idem definitivam reddat sententiam. - Nihilominus ob angustias, quibus hodie premuntur curiae dioecesanae, Instructio tantum consulit constitutionem *iudicis instructoris* seu *commissarii;* quod consilium, attenta littera Instructionis et intentione, satis pandit rei gravitatem. Sive vero iudex *instructor* conficiat processum, sive ipse iudex ordinarius, requiritur opera *actuarii* seu *cancellarii* ut processus fidem publicam faciat. Cf. supra n. 154.

301. Articulus XIII spectat ad alium officialem, promotorem seu procuratorem fiscalem, ita conceptus: « *Unicuique curiae opus est procuratore fiscali pro iustitiae et legis tutela* ». Inde oritur quaestio: curnam huic officiali, explenti munus *accusatoris*, potius commissa non est *actorum* confectio? - Iamvero processus confectio non in id tendit ut accusetur reus, sed ut detegatur veritas, sive haec inquisiti detegat innocentiam, sive reitatem. Igitur processus confectio non accommode committeretur promotori fiscali, publico *accusatori*, cuius proprium est

promovere inquisitionem, urgere reorum persecutionem, probationes suppeditare, omnia, uno verbo, agere et perficere quae expostulat *iustitiae et legis tutela*. Ast *legis* et *iustitiae*, nimis *abstracte* perceptae, studium non semel ita abripit homines, vel publicos officiales, ut obliviscantur iurium, quibus fruuntur *singuli* cives, quaeque suam tutelam nanciscuntur in iudicio non minus quam iura reipublicae. Quodnam vero sit munus *promotoris fiscalis* abunde suo loco explicavimus (1).

302. Subsequens articulus XIV providentissime consulit casui, quo desit apparitor curiae, ait enim: « *Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit opera* APPARITORUM CURIAE, *suppletur exhibitione earumdem explenda per qualificatam personam, quae de facto certioret; sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium, illis in locis in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii* ». Articulus est satis clarus et commentario non indiget. De officio apparitorum disseruimus Vol. I, n. 162. - Apparitori autem esset aequiparanda eiusque munus legitime expleret *persona qualificata* seu idoneis praedita qualitatibus, quamvis *publico officio* non istructa, de qua loquitur articulus XIV. - In *cod. iud. crim. Gregoriano art. 261* ita explicatur ratio, qua apparitor exequitur actum citationis: « *Cursor seu ostiarius tribunalis exhibet* EXEMPLAR *libelli citatorii testi* (aut reo) *et si hunc non reperiat domi, inibi libellum tradit alicui ex domesticis illius. Ad calcem libelli citatorii originalis, quem restituit cancellario insinuandum inter acta, refert exhibitionem libelli a se factam et significat cuinam illum tradiderit, vel explicat diligentias a se conlatas ut posset munus exequi* ». Heic ponitur, apparitorem facultatem habere condendi *exemplaria* citationis authen-

(1) In processu *pure accusatorio* processum instruit *accusator*, sed hic est *privatus* civis non *publicus officialis*.

tica, sed quoties, pro stylo curiae, haec potestas apparitori vel *personae qualificatae* non concedatur, ipse iudex exarat hoc exemplar, quippe originale mandatur ad acta cum apparitoris attestatione de suo expleto munere, et exemplar per apparitorem traditur ei, qui in ius vocatur.

303. Hactenus de personis, quae operam dant inquisitioni *iudiciali;* cuius inquisitionis exitus est vel *negativus*, seu non conducens ad probabilem criminis cognitionem eiusque auctoris; vel est *positivus*, seu satis significans quinam fuerit criminis auctor, adeo ut hic convocandus sit ad examen. Equidem in primis hoc advertatur, non fas esse aliquem postulare de aliquo crimine seu formiter submittere iudiciali examini, nisi constet de *corpore delicti* seu adsit *basis facti criminosi*, uti loquitur articulus XV decernens: « *Basis facti criminosi constitui potest per facti narrationem e processu deductam authenticis comprobatam informationibus, aut confessionibus extraiudicialibus vel testium depositionibus. Quoad vero titulum transgressionis praecepti, constat* (criminis basis) *per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum normis enunciatis art. VII et VIII* ». Hic articulus respondet articulo *167*, cit. cod. Greg. ubi - *de corpore delicti* » statuitur: « *Probatio de existentia cuiusdam facti, quod per leges poenales plectitur in suo auctore et in complicibus, constituunt corpus delicti* ». Instructio maluit vocare *basim facti criminosi* ipsum *corpus delicti*, quia laesiones in disciplinam eccles. ut plurimum, constituunt delictum *facti transeuntis*, semper vero continent aliquod facinus, quod non praesefert ea elementa materialia proprius vocata *corpus delicti*, veluti cadaver hominis occisi, vel res furto ablatas, aut instrumenta, quibus crimen perfectum est. Nihilo secius eadem remanet necessitas obtinendi appositas probationes de facto criminoso antequam aliquis de crimine postuletur, saltem uti vehementer suspectus.

Fontes harum probationum recenset idem art. XV distinguens

duos casus. Nam 1) vel inquirendum est an crimen et a quonam patratum sit 2) vel iudicium instituendum est adversus eum subditum, qui et *monitiones* sprevit et *praeceptum* transgressus est. - In *primo* casu, instantia iudicialis, reapse, non instauratur, nimirum citato accusato, nisi de crimine satis constet. - In *secundo* casu, nulla praevia instituenda est *iudicialis inquisitio* ut constituatur *basis criminis*, sed sufficit exhibere *ad acta* textum *praecepti* eiusque transgressionem probare; unde praesto est *titulus accusationis*, quae per se, dirigitur ad obtinendam condemnationem in poenam comminatam in ipso *praecepto*. Verum ipse *accusationis actus* ulterius persequi potest poenalem coercitionem criminum admissorum a praeceptato, qui non obtemperans praecepto, in primis, iudicis sprevit auctoritatem et mandatum, sed forsan ulterius indulgens suae cupiditati, unum vel alterum patravit crimen.

In hoc *secundo casu*, praeter textum *praecepti transgressi*, aliae probationes exquiri usuvenit de aliis connexis criminibus; quorum accusatio, una cum *praecepti transgressione*, equidem non fit, nisi suppetant probationes, quae assertam facti narrationem comprobent. Istae probationes sunt *a*) *informationes authenticae*, veluti relationes *authenticae* factae a viris aut personis fide dignis vel, a publicis administris, veluti a promotore fiscali, a vicario foraneo, a parochis; *b*) sunt *confessiones extraiudiciales* factae nempe ab ipso inquisito, ad *acta* deductae vel per documenta scripta vel per *attestationes* vel per *indicia;* *c*) vel denique sunt *testium depositiones*. Et hic est fons ordinarius et communis probationum in criminalibus. Aestimare autem an haec probationum momenta satis primam constituant *basim accusationis*, est iudicis deliberare ad normam *moralis* intimae persuasionis, uti praedicat art. XVI et uti late supra explicavimus. Cf. supra n. 208.

304. Quia in *periodo inquisitiva* potissima probatio obtinetur per testes et supremae gravitatis est certas servare nor-

mas in iis excutiendis, harum nonnullas mutuamur - seq. paragrapho - etiam ex cit. cod. Gregor. Cf. supra n. 231 sq.

305. Ast quum ex inquisitione probationes ortae sint quae iudicem persuadeant, ut puta, Titium esse criminis auctorem aut saltem gravia indicia eum accusare, hic praesumptus reus vocandus est ad examen. - Verum prudentissime agendum est ne per hanc citationem incaute et iniuste gravetur fama inquisiti et ne veritatis indagatio a recto et faciliori tramite deflectet. Etiam ad hoc aliquas mutuamur normas a cit. cod. Greg. - In primis de *examine testium*, postea de rei examine seu *constituto* inquisiti.

§ 1. *De examine testium.*

Summarium. — 306. Regulae communes pro examinibus testium. — 307. De modo citandi testes ad examen. — 308. De casu quo testis aut nolit aut non possit venire ad examen. — 309. De modo proponendi interrogatoria. — 310. De teste periurio aut suspecto. — 311. De recognitionibus *realibus* et *personalibus*.

306. Art. XVII Inst., in propositum, hanc dictat regulam: « *Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim* ». Et seq. art. XVIII statuit: « *Testes ad probationem aut ad defensionem deducti, quoties legalia impedimenta* (1) *haud obsistant, sub iuramento audiendi sunt, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti* ».

1) Quoad primam regulam art. XVII recolatur art. XII, nempe processus confectionem fieri a *iudice instructore, adstante actuario*. Siquidem nedum seorsim testes examinandi sunt, sed testium examini *inquisitivo* seu excepto pro informatione curiae adesse non debent neque promotor fiscalis neque reus aut eius defensor. Equidem, in genere, *non licet actori*

(1) Revera nonnullis in locis leges civiles prohibent, quominus in curiis eccles. testes excipiantur iuramento adstricti.

seu accusatori quod reo licitum non existit, reg. iur. in 6 (1). - Praecipit *art. 248* cod. cit. Greg.: « *Examini testium, praeter officiales destinatos eidem excipiendo, nemo alius adesse potest neque ex parte fisci, aut fisco adhaerentis, neque ex parte inquisiti* ». Iam supra notavimus quantopere praestet etiam impediri ne testes iam examinati cum audiendis colloquantur. Cf. supra n. 234.

2) Altera regula art. XVIII, scilicet, *testis non iuratus non probat*, exploratissimi iuris est. Ast sedulo attendantur supra explicata, de testibus nimirum ad *iuramentum non admittendis*, quorum attestationes praebent *indicia* (2).

3) Praeterea notentur hae regulae cod. *cit. Greg.* art. 245: « *Admittuntur ad attestationem reddendam personae inductae a fisco et ab eius adhaerente, a denunciante, a querelam movente, ab inquisito. In actu examinis fit mentio de eo qui testem produxit* ». Sane ipse inquisitus, dum examini subiicitur, testes utiliter indigitat qui eius assertiones comprobant, non secus ac alia probationum momenta in veritatis cognitionem suppeditare valet, quae omnia attente in examen assumere oportet. Hoc iubet a. XXV Instructionis. - Deinde *cod. cit. Greg.* statuit

(1) Inquam examini *inquisitivo*, quia examini postea habendo in periodo *accusationis* hae personae adsunt. - Praeterea in causis matrimonialibus promotor fiscalis adest hisce examinibus, quia tunc non est *accusator*, qui ad aequalitatem debeat aestimari cum *accusato*, sed tunc promotor fiscalis est *vinculi defensor*, et fruitur privilegiata conditione ad sanctitatem vinculi matr. tuendam. - Equidem non puto esse causam nullitatis, promotorem fisc. adesse *examini inquisitivo*, imo opinor, gravissimas ob causas, hoc praecipere posse Ordinarium; verum *in actis* hanc admissionem promotoris fisc. *examini* inquisitivo oportet inserere.

(2) Monet Inst. S. Cong. de Prop. Fide ad Episcopos Statuum Foed. Americae *diei 20 Iun. 1878:* « *Ne quid in investigatione fiat quod aut ipsos* (inquisitores) *aut alios periculo damni aut gravaminis exponat, praesertim ne locus detur actioni libelli famosi vel alii alicui processui coram tribunali civili.*

art. 246: « *Quisque testis in iudicium deductus sive ad probandum, sive ab excludendum crimen aut eiusdem qualitatem aut adiunctum, debet iudiciali examini submitti. In actis explicanda est ratio, ob quam aliquis testis forsan fuerit praetermissus* ». 247: « *Quotiescumque aliquod adiunctum aut indicium indirectum minoris ponderis sit aperte probatum ex attestationibus duorum aut trium testium, potest abstineri ab examinandis reliquis in idem scopum inductis....* ». 249: « *Si testis non loquatur idioma italicum, constituendus est interpres a iudice instructore probatus. Interpres iuramento asserere debet, se fideliter redditurum esse et interrogatoria et responsiones* ». Art. 250 statuit idem servandum esse « *quoad interpretes, qui adhibeantur in audiendis testibus surdis, mutis* ». 251: « *Testes suam attestationem* ORETENUS *reddere debent et ipsis vetitum est attestationem legere scriptis antea exaratam* ». Sed testibus non prohibetur uti documentis, quibus, ut puta, referuntur computus vel alia, id genus, specialia factorum adiuncta.

307. Testes citandi sunt aut a cursore tribunalis, ea ratione citationem executioni mandante qua supra explicavi n. 302, aut per litteras *commendatas* apud officium tabellariorum, uti ad art. XIV. Sed nulla citatio exquiritur in casu, de quo in art. 262, cit. cod. Greg.: « Ad testium examen excipiendum qui sistunt coram iudice deducti ab ipso denunciante, querelante, aut accusatore, aut qui ab ipso iudice instructore reperiuntur in locis, ad quae iudex facit *accessus iudiciales* (Cf. Vol. I, n. 502) quum nulla tunc requiratur in ius vocatio, sub initio examinis *significatur modus quo testis accessit ad faciendam* attestationem ».

Instructio in art. XIX prospicit casui testium absentium, statuens: « *Testium absentium aut in aliena dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti; et auctoritas requisita petitioni respondet servando praesentis* INSTRUCTIONIS *formas* ». Quomodo unus iudex alteri praestet *sub-*

sidium iuris satis docet cit. art. et latius nos explicavimus vol. II, n. 321.

308. Sequens art. XX consulit testibus contumacibus aut alias impeditis, iubens: « *Quoties testes indicentur ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, qui examini subiici nequeant eo quod censeatur haud expedire ut vocentur; aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in* ACTIS *et curatur supplere eorum defectui per attestationes aliorum testium, qui de* RELATO, *aut alia ratione noverint id quod exquiritur* ». Intentio articuli est per se, perspectissima. Cf. supra n. 234. - Cod. cit. Greg. praeter conditionem personae in conspicua dignitate constitutae et inde adeundae ab ipso iudice ad eius attestationem excipiendam, perpendit casum infirmitatis et haec cavet art. 271: « *Si testis est morbo impeditus iudex instructor attestationem excepturus ad locum accedit eius commorationis, si in eius districtu moretur; secus res committetur iudici illius loci* ». 272: « Ex attestatione periti physici in acta causae inserenda probandum est, morbum non officere facultates mentales, eumdemque infirmum adaequate interrogatoriis satisfacere valere. Si periti iudicium sit anceps, examen excipitur non delato iuramento, quum possit repeti examen, si deinde testis factus sit idoneus ».

309. Modo aliquas regulas desumimus a *cod. cit. Greg.* de ratione proponendi interrogatoria. Ex art. 274 haec regula eruitur, iudicem instructorem immunem esse debere a studio partium et omnia fideliter ad acta amandare sive quae favent, sive quae nocent inquisito. - Hac de causa, advertimus promotorem fiscalem non adesse huic examini. Art. 275: « Abstinet (iudex instructor) a quacumque interrogatione quae non innitatur actis causae, aut quae indigitat distincte inquisitum, veluti facti auctorem; abstinet a suggestivis interrogationibus ». Art. 276: « Ante examen excipiendum interdicitur iudici instructori qualecumque extraiudiciale colloquium de merito causae et tantum in-

quirit an testis sit inquisito affinis aut consanguineus et in quonam gradu ». Art. 277: « Quum devenitur ad examen, praemittitur in actis dies et loci designatio, in quo fit examen, personae iudicis instructoris; et exordium fit ab interrogatoriis de nomine, cognomine, patria, patre, aetate, professione, domicilio et loco commorationis et responsiones una cum interrogatoriis exarantur in actis ». Deinde praescribitur necessitas et modus praestandi iuramenti; et subsequitur art. 280: « Deinde interrogatur testis, utrum cognoscat obiectum examinis ». Art. 281: « Si respondet se factum scire et de eodem se certiorem esse, exquiritur facti narratio et scriptis exaratur ». Art. 282: « Si sit locus suspicioni de sinceritate narrationis, aut quia nimis studiosae in defensionem inquisiti, aut quia nimis intentae in eius accusationem, aut quia aperte vero absimilis, debet cum circumspectione et diligentia interrogari potissimum, an cum aliquo sermonem habuerit de examine antequam ad idem subeundum accederet, an aliquam receperit instructionem aut promissionem et an aliquam habeat relationem cum inquisito aut cum adhaerente ». Art. 283: « Si testis non cognoscit obiectum examinis et se istud ignorare profitetur, interrogatur singillatim de iis quae iam ex inquisitione reperta sunt, quaeque ei cognita esse praesumi valet ». Art. 284: « In decursu examinis attenditur ut interrogatoria primum fiant de notitia facti et de cognitione personarum *in genere* et dein venitur ad *peculiaria* adiuncta, de quibus exquiri possunt magis speciales declarationes ». Art. 285: « Praeter ea quae sponte testis fatetur aut respondet, debet interrogari de iis quae forsan praeteriit, quae scire ille praesumitur, aut quae clare non explicavit potissimum quoad adiuncta arcte ordinata ad indicia aut probationes constituendas ». Art. 286: « Testis significare debet expressius quo fieri potest, tempus praecisum aut saltem proximum factorum quae memorat, nomina et magis exactam demonstrationem personarum, quae ad eius attestationem spectant, loca, distantias de quibus refert, quaeque attinent

ad factum et ad personas ». Art. 288: « Explicare debet potissimum principium et causam actuum, qui originem et occasionem praebuerunt crimini, distinguere principales auctores, conspiratores, fautores aut complices, et de omnibus docere fontem scientiae ». Art. 289: « Si expediat, interrogatur, an alii certiores sint de factis ab ipso narratis, aut de aliis, de quibus ipse specialia adiuncta referre non valet ». Art. 290: « Praeterea interrogandus est an alia cognoscat quae in interrogatoriis exquisita non sunt ». Art. 291: « Curatur maiore qua potest fieri diligentia, scriptis exarare narrationes et testium responsiones cum iisdem verbis, aut locutionibus ab ipsis usurpatis, praecipue quando referunt verba ab aliis prolata et in specie ab inquisito.... » Art. 296: « Quoties necesse sit, repeti valet examen testis sive ad declarandas iam redditas attestationes sive ad nova indicia exploranda, praehabita semper iuramenti prolatione ». Art. 297: « Expleto examine actuarius legit attestationem testi ita ut hic omnia expresse percipiat ». Art. 298: « Inde petitur a teste an suam attestationem confirmet, an aliqua habeat quae adiiciat aut corrigat. Quae dantur responsiones scriptis mandantur, et postea testi, in eumdem scopum, leguntur ». Art. 299: « Si testis scit scribere, apponit suam subscriptionem ». Art. 300: « Si est illitteratus crucem signare debet coram duobus testibus qui subscriptionem apponunt postquam sciverint a teste textum scripti examinis ipsi perlectum correspondere suae attestationi ». Art. 301: « Quaeque in scriptis litura, quae mutet aut supprimat verba, est absolute prohibita. Etenim si opus sit, debent verba corrigenda aut mutanda lineis includi ita ut legi possint; eademque in margine relata ab actuario et a teste subscribuntur; aut cruce signantur duobus testibus, uti supra, adhibitis. Idem subscriptionis modus servatur, si cum postilla correctionis aliquid attestationi adiiciantur ». Nimirum quaecumque mutatio *in textu* velit induci, *in margine* notanda est eademque, legitime, subscribenda.

310. Codex cit. Greg. in titulo VI inscripto: - *De testibus qui se reddunt suspectos* - perpendit quaestionem incidentem exortam ex suspicione falsae et periurae attestationis. Falsa attestatio est grave crimen; quare testis, qui convincatur, ipsum revera scienter veritatem occultasse et falsum attestatum esse, poenis coercendus est. Equidem ait art. 303: « Si testis iteratis examinibus submissus suis contradicit antea redditis attestationibus et suae contradictionis nullam praebet legitimam rationem... » iudex illum puniat, sed subs. art. 304 advertit, testi antea contestandos esse articulos contradictionis, et monitionem praemitti, iubens: « Quum ex actis pateat testem certiorem esse de facto aut saltem aliquam notitiam habere, at ipse fateatur se illud ignorare, aut recuset referre adiuncta de quibus interrogatur, aut respondeat cum haesitatione interrogatoriis iudicis, excutitur, ipsi manifestatis probationibus suae assertioni contrariis, atque advertitur.... » poenis mulctatum iri, si non probet suam agendi rationem. Sane hodie in foro eccles. media coactiva in testes laicos periuros non suppetunt nisi censurae aut mulctae (Vol. III, n. 182) quae tamen facile spernuntur. Verum testes suspectos diligenter excutere ut pateat an sint periuri necesse est ad veritatem detegendam, etsi peiurius poenis, prouti crimen expostularet, plecti non valeat.

311. Quia ex testibus maxime hauritur veritas, in processu criminali, non est inutile referre ex cit. cod. Greg. praescriptiones editas *de recognitionibus personalibus aut realibus*. Non semel testes, aut etiam accusator, aut querelans cognoscunt inquisitum sub certo nomine et cognomine, non distincte in personam, sed tantum per generales personales notas. Tunc ne fiat aequivocatio in persona et accusationes per testes aut accusatorem relatae non inquisito sed alteri referri debeant, testis aut accusator provocatur ad *personalem recognitionem* ita expediendam iuxta *cit. codicem*: art. 310: « Hoc experimentum faciendum est in inquisitum, commixtum cum duabus personis, quo magis

fieri potest, ipsi similibus, adstante dumtaxat iudice instructore et actuario ». Art. 312: Qui recognitionem facere debet, detinetur in loco separato adeo ut perspicere non possit quod praeparatur in altero loco ubi recognitionis fiet experimentum ». Art. 313: « Inquisitus ius habet seligendi locum, quem mavult, dum se offert cum aliis commixtus recognitioni; et de hoc iure monendus est... » Art. 316: « Qui ad recognitionem faciendam accedit, quum sistit in loco experimenti interrogatur an ex personis eius recognitioni oblatis aliquem cognoscat et utrum, inter illas, adsit persona, quam in suis attestationibus indigitavit ». Art. 317: « Si respondeat se ex illis non cognoscere personam a se memoratam, responsio *in actis* refertur qua expresse ipse declaret *se aut nescire aut non posse cognoscere, aut certe non ibi adesse personam, de qua testatus est* ». Art. 318: « Si e contra respondebit, se recognoscere personam in examine memoratam, significabit, an hoc asserat omni procul dubio, vel non sine haesitatione. Cancellarius illi iussum faciat ita determinandi personam ut haec eadem optime intelligat, in ipsam cecidisse recognitionem et non in aliquem ex aliis duobus ». Si a *teste* fiat eiusmodi experimentum *recognitionis*, (ait art. 315) exquiritur antea iuramentum, si vero ab *accusatore*, a *querelante*, iuramentum non expostulatur. Haec praescriptio servanda est etiam in foro eccles. uti supra docuimus. - Idem *recognitionis* ritus observatur in recognitionibus *realibus* seu in *ipsas res* vertentibus; quare ea tantum est differentia, in eiusmodi recognitione, *res commixtas, inter se consimiles* offerri *recognitioni*.

§ 2. *De examine seu constituto inquisiti.*

Summarium. — 312. Quando ad inquisiti examen seu *constitutum* deveniatur. — 313. De huius citatione et de tenore citationis. — 314. Quotuplex citatio requiratur ad contumaciam. — 315. Regulae communes servandae in examine. — 316. De modo proponendi interrogatoria. — 317. De contestatione delicti facta reo delictum neganti. — 318. De inquisito confesso aut partim aut in toto. — 319. De cautelis observandis in concludendo examine seu *constituto*.

312. Instructio in art. XXI ita determinat momentum processus, quo inquisitus ad examen vocatur. « *Quum collectum fuerit quidquid opus est ad stabiliendum factum et huius imputationem in accusatum, hic vocatur ad examen* ». Maximi ponderis est recte percipere *intentionem* huius articuli, eo magis quia *littera* facilem praebet aequivocandi occasionem. Etenim posset videri, inquisitum examini non esse subiicendum nisi quum, omni procul dubio, uti reus ex inquisitione convictus fuerit. Hic est maximus error, quem supra innuimus n. 202. Siquidem indicia, attestationes, coniecturae collectae ex inquisitione, quae forsan videntur, inquisito nondum audito, argumenta accusationis certissima, statim ac reus interrogatur, evanescunt veluti nubecula radio solis opposita. Sufficit non semel facti adiunctum in inquisiti responsionibus aperte manifestatum ad retundendam aciem accusationis. Itaque ne tempus frustra insumatur, quum collecta fuerint indicia, quae satis probant factum criminosum in suis *adiunctis* (et hoc significat in *citato art.* - *stabilire factum* -) nec non criminis auctorem, non obscure, indigitant, hic vocetur ad examen. Verum advertas velim, rem versari in prudenti iudicis arbitrio, qui dummodo consulat famae inquisiti ne scilicet eumdem, per convocationem in curiam, temere exponat gravissimo famae dispendio, prudentissime agit quotiescumque

alloquitur per *legitimas interrogationes* (1) ipsum inquisitum ad genuinam factorum hauriendam notitiam. Ast regula certa constitui non valet et tantum assignantur termini, quibus contineatur iudicis agendi ratio; nimirum ipsi curandum esse, ex una parte, famam alterius iniuste non laedere per accusationem implicite factam in ipso decreto citationis; ex altera, rerum veritatem, in primis, hauriri ex ipso inquisiti ore.

313. Tenor et forma citationis significatur in art. XXII Inst.: « *In libello citationis* (2), *nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes in eum deductae ut parari valeat ad respondendum* ». Uti patet, hic est formalis libellus citationis continens explicitam *accusationem*, tunc edendus quum tam graves militant probationes ut vix in dubium vocari possit accusati imputatio. Hoc fit quoties devenitur ad processum iudicialem, ut ecce ob *transgressionem praecepti*, vel ob crimen pene notorium, vel cuius notitiam curia sibi certam comparavit in inquisitione praevia mediis *praeservativis* aut *medicinalibus*. - Verumtamen si curia incubuerit crimini detegendo per *secretam inquisitionem*, quamobrem negotium iudicis est, crimen caute detegere eiusque auctorem per interrogationes proponendas ipsi praesumpto reo, tunc locus est praescriptioni enumeratae in sequenti art. XXIII: « *Quotiescumque vero ob accusationum qualitatem, aut ob alia adiuncta, prudens non sit eas patefacere in libello citationis, in hoc solum innuitur, eumdem vocari ad examen ut sese excuset in causa, quae ipsum respicit uti inquisitum* ». Verba quibus concipiendus est libellus citationis in hoc secundo casu, singula dictanda sunt a prudentia iudicis pro singularibus causae adiunctis, atque frustra

(1) Inquam - per *legitimas* interrogationes - quia neque legitimum neque prudens est quod iudex reum inquisitum alloquatur et interroget quasi amicus, omni deposita iudicialis inquisitionis forma. Cod. Greg. a. 276.

(2) In textu Instructionis legitur - *intimatio* - italice *intimazione*, quia non semel datur per simplices litteras.

exquiritur certa et communis regula. - Praeterea hodie, in casu quoque notorii criminis, iudex eccles. abstineat oportet ab accusatione in libello significanda, ne rapiatur in *querelae* iudicium apud iudicem *laicum*, vel ne alia huiusmodi discrimina patiatur.

314. Articulus Inst. XXIV citationem considerat quod ad effectum contumaciae: « *Si coram iudice sistere abnuat* (reus), *iteratur citatio, qua statuitur congruus peremptorius terminus atque citatus admonetur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax; et revera prouti contumax aestimabitur, postquam legitimo non probato impedimento, istam quoque citationem spreverit* ». In iure communi (Vol. I, n. 565) cautum est, *contumacem* fieri qui *trinam* citationem aut *unam* peremptoriam contempserit; et haec regula, per se, spectat ad negotia tum *civilia*, tum *criminalia*. Nihilominus Pellegrini *op. cit. P. IV, Sect. 6, n. 6*, quaerit *an in criminalibus sufficiat una citatio quamvis peremptoria*. Et respondet, *cum communi per se unam peremptoriam sufficere, sed statuta particularia* observanda esse quae tres vel duas citationes expostulant, et concludit: « *Unde patet quod in hoc standum est consuetudini loci et stylo curiae* ». Porro *unica citatio* eademque *peremptoria*, cum in criminalibus contumacia perniciosiores pariat effectus, visa est non sufficere. Inde nostra Instructio praescribit *duas* citationes, quarum altera est *peremptoria*. - De speciali processu servando quum devenitur ad sententiam definitivam adversus contumaces, infra dicemus.

315. Articulus XXV Inst. ita se habet: « *Si compareat* (reus) *auditur in examine; et quatenus inductiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest, exhauriri* ». Nimirum in *prima* parte praecipit articulus, inquisitum, qui obtemperans citationi compareat, quamvis eius crimen habeatur notorium vel ipse confessionem edere intendat, examini formali subiiciendum esse. - Confessionem *spontaneam* caute esse susci-

piendam supra vidimus. - Examen perficit iudex instructor, *adstante actuario* dumtaxat. - In *altera* parte articulus dictat quamdam regulam generalem, nempe exceptiones ab inquisito in sui defensionem oppositas, quas vel per testes, vel per instrumenta, vel per indicia probare spondet, esse attente considerandas et omni ex parte evolvendas. Videlicet etiam *ex officio* iudex instructor testes ad examen vocare debet et alia argumenta exquirere unde veritas plene elucescat. Idem expresse iubet, in cit. cod. Greg., art. 362, qui etiam advertit: « Si reus nominet testes, exquirendum est ut explicet quid probare intendat per eosdem testes, quasnam relationes cum ipsis habuerit, et utrum cum ipsis collocutus sit de re, ob quam inducuntur ».

Praeterea iuvat nonnullas regulas mutuari a cit. cod. Greg. art. 347: « Interrogationes esse debent simplices et clarae; non a proposito alienae et multo minus suggestivae ». Art. 349: « Responsiones esse debent positivae: si essent equivocae aut conditionales, exquiritur earumdem declaratio, cuius tenor in actis exaratur, relatis, quantum fieri potest, iisdem verbis quibus usus est inquisitus. Ipse, dum respondet, uti non potest scriptis, quibus facta memorantur et referuntur ». Art. 351: « Post primum examen et usque ad processus publicationem, potest inquisitus aliis examinibus subiici, quoties nempe hoc expedire videatur. Ipsi inquisito integrum est expostulare ut ipse denuo in examine audiatur ».

316. De modo quo proponuntur interrogationes inquisito, praestat has regulas excribere ex cit. cod. Greg. - Art. 355: « Inquisitus indicare debet suum nomen, cognomen..., patriam et aetatem. Admonetur de obligatione pandendi veritatem sed illi non defertur iuramentum, ne in casu quidem quo debeat interrogari circa personas sibi non coniunctas ». Art. 357: « Si inquisitus absolute profitetur se ignorare causam sui examinis, aut quum genericam admittit notitiam, at contendit se nihil habere quod ad ipsum spectat in ea re, tunc desumuntur ulteriores

interrogationes ab adiunctis delicti et a qualitatibus accusati ». Art. 360: « Si responsiones inquisiti ad eiusmodi interrogationes sint intentioni fiscali contrariae, *tunc illi in contestationem deducitur probatio e processu immediate erumpens aut, si hoc videatur opportunius, illi panditur quoque nomen illius, qui probationem instruxit* ». Art. 361: « Quod si negare prosequatur, tunc illi aperte explicatur intentio fiscalis unde ipse criminis de quo agitur aestimatur auctor; atque illi gradatim fit contestatio de indiciis et probationibus in processu collectis ». Equidem hanc contestationem praestat facere quum ex responsionibus inquisiti et ex aliis probationibus, accusatoris intentio veritati inniti certo videtur. Secus enim, si eiusmodi contestatio fiat, accusatione non satis ex inquisitione probata, ista nedum iniuste offendit famam inquisiti, sed hic certior factus de adversis argumentis, argumenta defensionis facilius comparare valet etiam per falsos testes. Sed distingui apprime debet partialis, seu quoad nonnulla adiuncta specialis contestatio, quae fit in decursu examinis, a contestatione finali et formali, quae finem ponit *inquisitioni*, atque *accusationis* processum exorditur.

317. Re quidem vera Instructio statuit, hanc contestationem fieri postquam iudex ex inquisiti examine firmiorem notitiam hauserit de eiusdem reitate; en art. XXVI: « *Proceditur inde ad contestationem facti criminosi et probationum ex processu habitarum, quibus evincitur, inquisitum esse criminis auctorem, eumdemque incurrisse appositas canonicas poenas* ». Quocirca hic sermo est de illo speciali actu, quo per *formalem* accusationem significantur accusato et factum criminosum, de quo postulatur et probationes quibus innititur accusatio. Quippe maximi momenti est eiusmodi contestatio, praestat sequi normas cit. cod. Greg. qui antea perpendit (lib. V, tit. IV) « *Contestationem delicti in casu negationis ex parte rei inquisiti* ». Art. 369: « Expletis de delicto inquisitionibus, perfectis per acta iudicialia et per testium examina, nec non per accusati constituta, quum

hic persistat in negando crimine, non obstantibus interrogationibus et probationum ac indiciorum manifestationibus sibi adversorum, *(en partialis contestatio facta in decursu examinis)* fit locus criminis *finali contestationi* ». Art. 370: « Continet contestatio substantialem facti relationem nec non generalium atque specialium probationum ex processu habitarum, quibus evincitur, inquisitum criminis aut criminum reum esse, ad quae determinanda contestatio usque refertur ». Videlicet determinatio delicti seu tituli accusationis necessaria est, quia unâ simul denunciatur poenarum comminatio, uti cavet art. 378. - Art. 371: « Probationes genericae aut speciales, quas in decursu interrogationum iudex speciali mentione contestatus est, in actu finalis contestationis dumtaxat ita innuendae sunt ut eaedem recolantur accusato, quin tamen integra facti relatio repetatur ».

318. Quia inquisitus aliquando aut *integre* aut *ex parte* fatetur suam culpam, tunc *contestatio* fit per declarationem poenarum, quas committet reus ob delictum ei *contestatum* etiam in parte ab eo *negata.* Ad rem, observentur hae normae cod. cit. Greg. positae in seq. titulo V, inscripto: « *De inquisitis* OMNIMODE *confessis aut in* PARTE ». Art. 373: « Si inquisitus se reddit confessum, exquiritur ab eo et scriptis exaratur integra facti relatio; et curatur, quantum fieri potest, ut, uno examine, eius confessio et recipiatur et una simul scriptis mandetur ». Nam praestat a reo exprimere integram confessionem, *uno contextu;* quia interrupto examine, reum forsitan poenitet factae confessionis et in novo examine eam retractare conatur. Attamen si nonnulla adiuncta *facti confessi* declaratione indigeant, repetitur examen. Art. 376: « Inquisitus quoque confessus vocari potest ad novum examen ut ea explicet aut referat quae scitu necessaria censeat iudex instructor. Item audiendus est in examine quotiescumque hoc efflagitet inquisitus ». Art. 377: « Si declaret se velle suam revocare confessionem, antea interrogatur de causis, quae illum ad confessionem faciendam induxerunt et

postea ad eamdem revocandam ut omnia rite pensentur, habita ratione probationum ab inquisito deductarum ». Art. 378: « Etiam inquisitis *confessis* declaratur commissio poenarum a lege latarum, per modum contestationis explicatae art. 370 ». Art. 379: « Inquisito partim *confesso*, partim *negativo* declaratio poenae commissae facienda est una simul cum *finali* contestatione delicti, suarumque qualitatum etiam quoad partem *negativam* ».

319. Ipse codex Greg. suggerit normas observandas sub fine singulorum inquisiti examinum. Art. 380: « Antequam singulum claudatur constitutum, eiusdem tenor legitur inquisito per extensum ». Art. 381: « Deinde advertitur inquisitus, in eius esse facultate quidquid vult adiicere aut quamcumque referre declarationem, quae adamussim in processualibus tabulis excribitur ». Art. 382: « Singulum constitutum (seu examen) subscriptione munitur a iudice instructore et a cancellario. Quamcumque paginam etiam inquisitus subscribere valet, si hoc expetat ».

CAPUT V.

DE INSTANTIA ACCUSATIONIS A SUO EXORDIO USQUE AD PUBLICAT. PROCESSUS HUIUSQUE IMPETITIONEM EX PARTE ACCUSATI.

Summarium. — 320. Quando incipiat accusatio. — 321. An exinde instauretur nova instantia. — 322. De libertate defensionis concedendae reo. — 323. De *publicatione processus*, quatenus iste actus sit alienus a formis *summariis* et *oeconomicis*. — 324. De opera advocatorum aut procuratorum in genere. — 325. De iis quae praevia sunt publicationis decreto. — 326. De legitimatione processus seu de *testibus repetendis:* an repetitio fiat coram accusato. — 327. An novi testes produci valeant sive ab accusatore sive ab accusato. — 328. Testes sive ab accusato sive ab accusatore producti admittuntur per decretum iudicis, cuius est pensare ius producentis - An pluribus et distinctis vicibus productio fieri possit. — 329. De testibus qui vocandi sunt ad *confrontationem*. — 330. Summa appositi processus. — 331. Quando haec periodus claudatur.

320. Processus *mixtus*, iam adverti (n. 113), non conflatur ex *inquisitione* et *accusatione*, adeo ut ex utroque elemento novus constituatur processus ab uno et ab alio elemento distinctus, sed processus *mixtus* constat ex *successiva* inquisitione et accusatione. - Quare necesse est inquirere et caute determinare quousque pertingat *inquisitio*, et ubi exordiatur *accusatio*. Porro una ab alia periodo non est adamussim distincta; ita ut unius *finis* sit *exordium* alterius, sed dum *inquiritur* instauratur sensim *accusatio*, quotiescumque reo inquisito fiat *contestatio* cuiusdam probationis, quae iudici culpam inquisiti magis persuadet quam huius negatio, aut adversa probatio eius innocentiam non evincat. Proinde partialis criminis *contestatio* facta inquisito occasione examinis est exordium *accusationis*, quae plene proponitur in actu finali contestationis modo explicato.

321. Caput nos inscribimus - *de instantia accusationis* - at dubitandi locus est an *accusatio* in processu *mixto* instantiam constituat seiunctam ab instantia inquisitiva. Iamvero quaestio expedienda est per *distinctionem*. Sane, per se, quia in processu *mixto* accusatio inquisitioni succedit, iure merito habentur duae instantiae, adeo ut *inquisitioni* iudiciali non subingrediatur *accusatio*, si ex *inquisitione* non detegatur fundamentum accusationis. Hoc sensu habetur post *inquisitionem* instantia *accusationis*. - Sed si considerantur non partes iudicii *mixti*, sed ipsum integrum iudicium, quo *causa* criminalis absolvitur et definitur, tunc una intelligitur *instantia* respondens actioni criminali, cuius est exercitium. Cf. Vol. I, n. 169.

322. Finalem contestationis actum vidimus continere *summam* probationum, quibus sustentatur accusatio et inde manifestari accusato quid adversus eum contendat accusator, eo consilio ut accusatus vel fateatur crimen, vel probet, si valet, suam innocentiam; quam si probare non valebit, erit crimine convictus et condemnabitur. Ast non devenitur ad condemnationem nisi reus expertus sit, plena cum libertate, media defensionis. Hoc ius plenissime, uti par erat, attribuit accusato Instructio in art. XXVII statuens: *Quum accusatus tali modo* (seu ex contestatione) *plenam habeat notitiam de iis, quae in actis adversus eum congesta sunt, nedum respondere valet* (in ipso actu contestationis) *sed iure uti valet a semetipso se defendendi* » (seu per allegationes postea deducendas). Ut has allegationes commode conficiat accusatus, eidem integrum est expetere dilationem probatoriam de qua haec habet subsequens art. XXVIII Instructionis: « *Praeterea, si id expetat accusatus, potest ei concedi praefixio termini ad exhibendum scriptis memoriale defensionis, praecipue quando ob praescriptionem art. XXIII nequiverit paratus esse ad responsiones in suam excusationem* ». In art. XXIII permittitur iudici in libello citationis non significare ipsam accusationem, gravem ob causam.

323. Compilator Instructionis, quia enixius incumbebat in praescribendam formam iudicii *oeconomicam*, abhorrentem a quacumque solemnitate ordinis iudicialis, praetermisit *processus publicationem*, timens forsan ne eiusmodi *actus iudicialis* secumferret observantiam plurium solemnitatum *publicationem* comitantium, prouti haec explicantur passim a canonistis et iamdiu in more fuerunt. Nihilo secius omissio huius actus, *publicationis processus*, est veluti lacuna, quae patet in ipsis verbis Instructionis. Nam in art. XXVII asseritur « *Quum accusatus tali modo* (seu ex CONTESTATIONE praescripta art. antecedente) *plenam habeat notitiam de iis, quae in actis* etc. ». Ast quaerere licet, undenam accusatus desumpsit hanc *plenam notitiam?* Non ex ipsa contestatione, quae continet *summam* probationum ex inquisitione comparatarum. Sane qui sui defensionem suscipit, nedum actorum *summam* cognoscere postulat, sed omnia vult scire et perspicere suis oculis, quae in actis prostant, atque singula testium verba pensare, rimari desiderat. Quamobrem post litem *contestatam* seu plene instauratam *accusationis* instantiam, acta processus inquisitivi submittenda sunt examini accusati: hoc concedere accusato, appellamus *processum publicare*.

Supervacaneum est quaerere, an haec publicatio inserviat quoque notitiae actorum suggerendae promotori fiscali. Nam hic non intervenit examini testium, commisso, uti innuimus, iudici instructori et actuario; ast illi vigilanti *in legis et iustitiae tutelam* acta fas est cognoscere quotiescumque velit; quae ipse instat ulterius produci; si accusationis reperiantur solida argumenta, vel eadem petit intermitti, si inquisiti culpa nullimode evincatur, vel reum iubet ad examen vocari, quum arbitratur hoc conducere ad veritatem detegendam, prouti diserte iubet art. 134 cit. Cod. Greg. statuens: « Quocumque in stadio reperiatur processus, usque ad publicationem, officium est procuratoris fiscalis addendi quascumque notitias et declarationes, atque ea omnia exquirendi quae conducere valent ad veritatis

cognitionem, tum in accusationem inquisiti, tum in eius excusationem ».

Ex dictis patet, necessarium esse processus *inquisitivi* seu *offensivi*, (quem vocant) indicere publicationem eamdemque absque ulla solemnitate huic fini ordinari ut accusatus cognoscat accusationis argumenta. Ab hac ipsa simplicissima forma non distat cit. cod. Greg. iubens art. 385: « Obiectum publicationis est, inquisito cognitas reddere, in sua integritate, probationes, adeo ut ipse suas comparet probationes proponendas ante sententiam iudicialem ». Art. 386: « Forma huius publicationis consistit in decreto, quo iudex instructor aut Gubernator *(iudex ordinarius)* declarat, processus instructionem esse absolutam proindeque istius communicationem fieri legitimo procuratori inquisiti, qui illam postulet ». Patet, inibi nullam decerni solemnitatem et dumtaxat servari *necessariam* formam; quippe publicatio fit *ex decreto* iudicis ordinantis, ipsum inquisitum aut per se aut per procuratorem admitti ad perlegenda acta processus. Quoad rem nostram, in relatum articulum, duo advertenda sunt. *Primo* decretum publicationis fieri a iudice *instructore* si hoc habuerit in mandatis, seu procedendi usque ad publicationem processus, *inclusive;* secus fit ab ipso iudice *ordinario* (1). *Secundo*, communicatio actorum fit aut ipsi inquisito aut eius procuratori; iuxta normas supra explicatas.

324. Etenim ex *a. a. XXX* et *XXXI* satis aperta est Instructionis intentio, nempe ut accusato adsit opera advocati, vel electi ab ipso accusato, vel ex officio deputati, sed singula acta, valide etiam per se, explere valet ipse accusatus; saltem ita fert consuetudo. Nihilominus attendatur articulus XXXII Instructionis statuens: « *Defensor caute notitiam haurit processus et*

(1) Officium *iudicis instructoris* est *delegatum;* inde iudex *ordinarius* potest sibi reservare facultatem decernendi publicationem *processus inquisitivi*, imo hanc facultatem sibi reservasse praesumitur nisi eam expresse concedat. Cf. supra n. 155.

restricti in cancellaria *ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subiicitur oneri secreti iurati quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare* ». Codices hodierni, item cod. Greg. *art. cit. 386*, expostulant ad *validitatem* operam procuratoris. Cf. Vol. I, n. 119.

325. Modo facilius intelliguntur praescriptiones, quae continentur a. a. XXIX et XXXIII Instructionis: art. XXIX haec habet: « *Absoluto processu, actorum instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem* ». Quae praescriptio concinit *articulo 384* cit. Cod. Greg. unde derivat, ita concepto: « Postquam probationes collectae sunt earumque contestatio facta est inquisito, a iudice *instructore* conficitur restrictus actorum processus, et tum processus, tum restrictus datur promotori fiscali, qui expleto suo munere ad normam art. 54, utrumque restituit iudici instructori ut procedat ad actum publicationis ». Idem cavetur in art. cit. XXXIII Instructionis iubente: « *Transmittitur dein promotori fiscali processus et restrictus ut munere suo ex officio fungatur* ». Verum quia in Instructione *de publicatione* ne verbum quidem habetur, inde heic sermo est, in genere, de processus et restrictus transmissione facienda promotori fiscali ut comparet suas animadversiones, antequam decernatur processus *inquisitivi publicatio*. Nam in praxi uti praetermitti non potest decretum, quo ordinatur pubblicatio, ita publicationi praevius est *restrictus* processus promot. fiscali transmittendus ante publicationem, quia promotoris est decernere an processus sit maturus publicationi vel potius alia accusationis argumenta perquirenda sint. Per publicationem enim definitive clauditur inquisitio seu processus *offensivus* et aditus aperitur accusato impetendi acta processualia per processum *defensivum*.

326. Revera, in *processu mixto*, accusato ius est comparatum, uti supra probavi (n. 240 sq.), expostulandi *legitimationem*

processus *secreti inquisitivi*, quia contendere potest, ut puta testem alia responsurum esse, si ei fiant certa interrogatoria ab ipso et coram ipso proponenda. Recolantur iam explicata et hic tantum innuimus, ordinem stricte oeconomicum non sinere ut necessario omnes testes *repetantur* ad legitimationem. Nam ex ipsa *publicatione*, processus intelligitur iure *legitimatus* et dumtaxat illi testes iterum audientur ad instantiam accusati, quando hic probaverit novum examen esse necessarium ad veritatem detegendam.

Quod si advertatur, Instructionem nullam mentionem facere de *legitimatione* processus, de *repetitione* et *confrontatione* testium, reponimus haec *permitti*, quippe non *prohibentur iure positivo*, et inde intelliguntur *implicite* concessa quia continent ius legitimum defensionis. Proinde Instructio de hac specie defensionis quum nullam fecerit mentionem, intelligenda est, dumtaxat voluisse attendere *ius* defensionis et necessitati huius iuris nihil addidisse solemnitatis ex iure positivo (1). Ceterum ius se defendendi nullis praescriptum limitibus apertissime Instructio recognoscit accusato in art. XXVII.

Ius autem defensionis non expostulat *repetitionem* omnium testium ad legitimandum processum *secretum inquisitivum*, quippe quae a iudice facta sunt legitime facta esse praesumuntur, sed eos repeti oportet quos accusatus iure merito interrogari postulat super aliis adiunctis a iudice instructore vel non cognitis, vel non memoratis. - Praeterea ipse accusatus, ob probabiles rationes facultatem habet postulandi ut duo testes, quorum attestationes sunt discordes vel suspectae, vocentur ad *confrontationem*, itemque iure merito efflagitare potest ut testis coram ipso interrogetur ad *confrontationem*.

Utrum vero accusati petitio sit iuri conformis et probabi-

(1) Haec species probationis *iure positivo* prohibetur in processu pure *inquisitivo*.

libus innixa rationibus est quaestio *incidens* a iudice definienda. In processu *oeconomico* satius est ut ista examina et acta processualia expleantur a iudice *instructore*, qui non censetur explevisse suum munus quousque processus instructio non sit matura sententiae definitivae. - Modum practicum et expeditum faciendi *legitimationem* iussit Pius VII Const. *Post diuturnas diei 30 Oct. 1800*, edicens processum *legitimari duplici* ratione. *Primo* per simplicem *lectionem attestationum* factam reo inquisito per cancellarium eo consilio ut reus opponat quaslibet exceptiones, sive in ipsam attestationem, sive in personam testis. Ista *legitimatio* dicta est per *confrontationem* VERBALEM et patet, *quoad substantiam*, non differre a legitimatione, quae obtinetur per *publicationem* processus, cuius acta per se, aut per suum advocatum perlegendi facultate pollet inquisitus. - Apposita vero prodiit *formula* nuncupata « *formula legitimationis per lecturam examinum testium* ». Huius tenor hic erat praecipuus ut inquisitum moneret, istam lectionem effectum parere *legitimationis* et proinde posthac reo facultatem non competere expetendi *repetitionem* testium ad legitimationem.

Praeterea *altera* ordinata fuit formula nuncupata: « *formula legitimationis per* PERSONALEM *confrontationem testium* ». Sane in gravioribus negotiis recognitum est, inquisitum iure merito expostulare *personalem confrontationem* testium ad legitimandum processum *inquisitivum*. Huius quoque formulae tenor cavet, post hanc confrontationem processum haberi irrevocabiliter *legitimatum*. Haec cf. apud Bizzarri *Collect. p. 174 sq.* Hodie, uti iam adverti, processus per *publicationem* legitimatur, et *confrontatio*, vel testium inter se, vel cum inquisito inservit ad veritatem intimius detegendam.

Et in hoc adest differentia substantialis inter processum ordinatum hac Instructione et processum cod. cit. Gregoriano constitutum, quia in hoc codice, non secus ac in codicibus hodiernis civilibus, legitimatio processus inquisitivi fit solemniter

per *repetitionem* testium, coram tribunali collegialiter praesente in aula audientiae, cui adest, si velit, una cum promotore fiscali et fisco adhaerente accusatus, et eius defensor, ad normam art. 22: « In iudiciis criminalibus de delictis maioribus, agitatio causae et examen et testium repetitio fient coram reo apud tribunal collegialiter praesens ad causae definitionem ».

327. Nullum dubium oriri potest accusato praeter testium *repetitionem* aut *confrontationem* ius competere expetendi ut novi testes deducantur in suam defensionem, qui adversis testibus contradicant. Difficultatem autem facessit nec minimam quaestio, an idem ius competat accusatori seu promotori fiscali. Ratio est quia, publicato semel processu *inquisitivo*, videtur accusator id tantum intendere, accusatum ex probationibus comparatis condemnandum esse, nisi se excuset hisce argumentis refutatis. Sane hanc regulam firmat cod. cit. Greg. art. 402: « Non fas est, ad fisci instantiam, aut eius adhaerentis, vocare testem, qui antea non fuerit in processu examinatus ». Supra n. 15 nos examinavimus hanc quaestionem et diximus hanc regulam prohibitivam *ordinario*, observandam esse in foro eccles. sed facilem admitti *exceptionem*.

Porro huius regulae rigor non viget in rem nostram, quia rem pensare debemus ad normam *iuris naturalis;* at hoc non vetat quominus accusator, ex novis adiunctis postea repertis, nova afferat accusationis argumenta usque ad sententiam definitivam. Sed parce hoc iure utendum est, nam accusator, qui per inquisitionem omnigena argumenta sibi comparare valuit adversus accusatum, semel instaurata accusatione, contendit hanc haberi undequaque probatam, si accusatus adversa non refutet argumenta. Redditur autem nimis difficile ius defensionis, si praeterea accusator in id incumbat ut nova producat argumenta accusationis et ea infirmet quae accusatus deduxit. Eo magis quod in criminalibus potissima probatio est per testes; sed quisnam ignorat non difficile esse sibi testes auro aut favore comparare?

Praeterea in iudicio favorabiliores sunt partes rei quam actoris seu accusatoris; sed multo favorabiliores evadunt partes accusatoris, si hic, postquam in periodo inquisitoria, collegit quae mavult documenta accusationis, inscio inquisito seu quin nullimode praepediri posset in sua inquisitione a sollertia inquisiti, si idem accusator, inquam, instaurata accusatione non desistat argumenta congerere, quae cum prodeant manifestatis iam responsionibus accusati, facile videntur directius ordinata ad has refutandas more advocatorum quam ad veritatem sincere detegendam. Quocirca promotor fiscalis et iudex instructor sedulo perpendant hanc iudicii criminalis conditionem et non decernant *processus publicationem* nisi actis diligentissime instructis; sed semel publicato processu, abstineant, quo magis fieri potest, a novis testibus aut instrumentis accusationis producendis. Etenim non sufficienter comprobant suam rationem agendi, asserentes sibi hactenus ignotas fuisse inquisiti exceptiones; siquidem in periodo inquisitoria inquisitum interrogare possunt quoties ipsis libuerit, eidem contestantes potiora momenta accusationis.

328. Iudicis *instructoris* sive iudicis *ordinarii* est decernere admissionem testium. Siquidem accusatus testes, quos vult in suam defensionem producere, debet, expressis nominibus, significare in libello, quem offert iudici, determinans praeterea *articulos*, de quibus vult interrogationes fieri. Iudex, omnibus rite pensatis annuit vel abnuit instantiae accusati. Reus videt testes iurare, sed non adest examinibus, quibus expletis, postulat ut ei publicentur attestationes. - Instantia eiusmodi potest etiam repeti ab accusato, si admissis prioribus testibus, pateat necessitas aut opportunitas alios producendi, qui suppleant defectui priorum, vel qui nova emergentia facta testentur. Sane non est prohibita nova testium productio *super novis articulis*, etiam bis vel ter repetita, sed quia nova productio maius periculum continet collusionis aut corruptionis, iudex, difficilius consentit, seu requiruntur rationes proportionate graves. - Equidem, uti probavimus in Vol. I,

n. 483 sq. regula generalis est, publicatis attestationibus, *super iisdem articulis eosdem vel novos testes amplius non admitti*, sed, in re criminali, haec regula faciliorem patitur exceptionem, quia reo concedenda est omnis copia defensionis; et aliunde iudex, ob probationes collectas *in inquisitione*, non difficile detegit aut repellit testium mendacia aut fraudes, quae nova fiunt accusationis argumenta in reum testes producentem.

Item promotor fiscalis, qui novos testes accusationis producere intendat, a iudice postulet oportet eadem ratione decretum admissionis, quod iudex, ob rationes supra expositas, non facilius concedit accusatori quam accusato. - Verum advertere praestat, nempe fisci promotori non usuveniet, frustra se expetere testium productiones, si non obliviscatur sui officii, cuius est omnia agere *in iustitiae et legis tutelam*, non ex praeoccupato animo in inquisitum, quem curabit absolvi, si reus criminis ex actis iste nullimode convincatur.

329. Re sane vera prouti iubet cit. cod. Greg. art. 391, ipse promot. fiscalis testes secreto examinatos in inquisitione, attestantes adiuncta facti graviora, expetit ut vocentur ad confirmandam attestationem coram accusato, seu *per confrontationem*. Si hoc facere negligat promotor, nedum ipse accusatus hoc postulandi ius habet, sed praestabit *ex officio* iudex. Nam haec *confrontatio* timetur a reo si criminis habet conscientiam; secus efflagitatur, et eius interest expostulare ut alii testes, praeter eos *ex officio* vocatos, audiantur, ii potissimum qui res et adiuncta *maximi ponderis* attestati sunt. Huic regulae obsecundat cod. cit. Greg. qui sub rubrica - *De testibus ad confrontationem vocandis* - haec statuit. Art. 397: « Censentur testes necessario vocandi ad confrontationem *ii*, qui *de visu* attestantur aliquod factum speciale; *ii*, qui factum attestantur proximum immediate praecedens aut immediate subsequens delictum; *ii*, qui referunt de confessionibus extraiudicialibus expressis; *ii*, a quo proveniunt res, instrumenta aut documenta ad veritatem detegendam

idonea ». Art. 398: « Si testes, de quibus modo sermo habitus est, in singula explicata classe plures sunt quam duo et sunt contestes, sufficit duos ex his vocare pro singulo facto. Ast defensor accusati exigere potest ut omnes vocentur quum arbitretur inde eruere variationes aut contradictiones in attestationibus ». Iudicis autem est admittere vel partim respuere accusati petitionem. - Ex novis attestationibus variatur aliquando vel *facti species* vel *titulus accusationis*, uti advertit art. 429 cit. cod. Greg. qui, inter alia, statuit, *id quod sequitur ex novis probationibus efformare basim iudicii, quamvis inde habeatur diversitas in titulo accusationis antea contestatae; et exinde huic novo accusationis titulo conformandam esse sententiam.*

330. In summa, haec est ratio procedendi. Accusationis fit finalis contestatio per appositum libellum quo *ei* denunciantur, per suprema capita, argumenta quae illum accusant. Non fit haec contestatio nisi audito promotore fiscali, qui perpendet an inquisitio secreta eo sit producta ut expediat accusationem edere. Accusatus per contestationem agnoscit crimen, de quo postulatur et poenas ei hoc titulo comminatas et si statim vult contrarias animadversiones facere, auditur, sed quia non adhuc cognoscit textum singularum attestationum aut instrumentorum, plenam defensionem, his non perlectis, conficere non valet. Ad hoc postulat actorum communicationem, at haec non fit nisi *publicato processu.* Huic publicationi consentiat oportet promotor fiscalis, cui a iud. instructore, pro necessario examine, traduntur acta et actorum *restrictus* qui facilius reddit examen. Ex ipsa publicatione, processus est *legitimatus* et tantum ii testes vocantur ad *repetitionem* aut *confrontationem*, qui in repetito examine aut admissis factis interrogationibus praesumuntur inservire veritati detegendae. - Libenter excipiuntur a iudice novi testes ex parte *accusati*, non ita facile ex parte *accusatoris*. - De hisce novis attestationibus fit quoque *publicatio* ad instantiam accusati.

Publicatio vero attestationum fit postquam omnes examinati sunt testes ab accusato producti; neque proceditur ad *publicationem*, nisi antea audiatur promotor fiscalis.

331. Haec pars processus, qua defensionis copia praebetur accusato, durat quousque iudici videatur, sufficientem *dilationem probatoriam* concessam fuisse, uti infra determinabimus. Quando vero decernitur, omnino non amplius concedi facultatem novas adducendi probationes dicitur fieri *conclusio in causa*.

CAPUT VI.

DE ORALI CAUSAE DISCEPTATIONE.

Summarium. — 332. Quinam actus aequivaleat *conclusioni in causa.* — 333. Art. XXXIII Inst. respicit actum praemittendum a iudice antequam claudatur *processus defensivus.* — 334. De citatione, an sit necessaria. — 335. Quare fiat oralis disceptatio causae et quomodo haec differat ab ea quae proponitur in cod. cit. Greg. — 336. Regulae observandae in hac causae disceptatione. — 337. An *ad substantiam* servanda sit haec oralis disceptatio. — 338. Si non observetur quaenam eius loco observari oporteat. — 339. An fisci animadversiones et accusati responsiones debeant tantum *in scriptis* exhiberi.

332. Iam advertimus *conclusionem* in causa in re *criminali* non ita observari ac *in civili*, quia neque promot. fiscalis seu accusator, neque accusatus absolute prohiberi possunt apposito decreto, quominus novas probationes afferant. Has enim iudex *ex officio* admittere aut provocare deberet, si veritati detegendae inservirent. Nihilominus quia aliquis terminus imponendus est processui *defensivo*, iudex sive *ad instantiam* accusatoris aut accusati, sive *ex officio* decernit, clausam esse hanc periodum seu *dilationem probatoriam* concessam accusato et locum fieri disceptationi causae, antequam deveniatur ad sententiam definitivam. Si vero istud decretum velit appellari *conclusio in causa*, uti fert stylus alicuius tribunalis, nihil habetur absurdi ex *subiecta materia*, scilicet dummodo distinguantur effectus inde secuturi sive in *civilibus* sive in *criminalibus*. Cf. Pellegrini *op. cit. Prac. civ. II, sect. 12, n. 7;* et supra n. 253.

333. Instructio ita dictat quomodo huic decreto deveniri debeat in art. XXXIII: « *Transmittitur dein procuratori fiscali processus et restrictus ut munere suo ex officio fungatur; dein uterque Ordinario traditur, qui, plena causae cognitione adepta, diem destinat, in qua ista disceptanda et definienda*

est, iubens ut de hoc decreto nuntium detur accusato ». Articulus ordinat actum orali disceptationi praemittendum, ut disceptatio locum habeat, quum expletus est processus sive *offensivus*, sive *defensivus*. Quapropter non destinatur dies disceptationis, antequam promotor fiscalis examinaverit *universum processum* et *restrictum*, quia non fit disceptatio nisi processus sit definitioni maturus. - Ante *publicationem* promotor fiscalis examinat processum *inquisitivum*, ante *disceptationem* et causae definitionem, processum *defensivum* examinat ut decernat an iste dicendus sit satis evolutus in scopum veritatis detegendae. Suam sententiam significat promotor fiscalis in *animadversionibus*, quae, si processus videatur satis manifestare accusatum crimen, nulla alia probatione exquisita etiam ex parte accusatoris, ita exarantur ut contineant *fisci requisitoriam*, uti solet dici, seu *poenarum postulationem in accusatum*. Nil aliud significant illa verba articuli, nempe tradi processum prom. fiscali « *ut munere suo ex officio fungatur* ». Qui, si putat processum non esse satis instructum, expostulat per animadversiones et appositam instructionem probationes coadiuvari. - Iudex, qui feret sententiam sive Ordinarius sive delegatus, sedulo perpendit processum et restrictum et, si omnia ei videantur adhibita legitima probationis media, idonea ad veritatem detegendam, sive praevideat sententiam fore *absolutoriam*, sive rei *condemnatoriam* diem destinat, qua habebitur oralis causae disceptatio, cui subsequetur definitiva sententia. Fisci animadversiones tunc perpendit iudex nec non defensoris accusati vel ipsius accusati allegationes in *iure* et in *facto*, et omnia sedulo rimatur ante causae disceptationem.

334. Postremo loco articulus iubet, reum citandum esse ut intersit disceptationi causae et sententiam audiat definitivam. Citatio autem est necessaria neque valet sententia definitiva, quae feratur, reo non citato, ita communiter DD. uti tradit Pellegrini *op. cit. p. IV, sect. 15, n. 2 sq.*; Bouix *l. cit. II,*

p. 233. Cf. supra n. 11. Verum res indiget explicatione. Etenim in cit. art. sermo est de citatione data ut reus, ante sententiam definitivam, intersit causae orali disceptationi et quaeri potest, an citatio sit aeque necessaria, *ad substantiam*, tum ut reus partem habeat in disceptatione, tum ut sententiam audiat. Et non dubii iuris est *citationem* requiri ad *substantiam*. Iamvero huius conclusionis solutio pendet partim a iure *naturali*, partim a iure *positivo*. - A iure *naturali* repetitur necessitas citationis, siquidem nemo damnari potest *inauditus*, quippe usque ad prolationem sententiae *definitivae* competit ius defensionis. - Porro ius *positivum* constituere potest ut hoc ius defensionis plenissime concedatur intra certum tempus, quo elapso, clausus intelligatur *processus defensivus*, et tunc si praetermittatur citatio, non offenditur ius *naturalis defensionis*. Pellegrini *l. cit.* Sed *ius positivum*, statuit, veluti in nostra Instructione, reum citandum esse ad *oralem disceptationem* et ad sententiam *definitivam* audiendam. Et quia praemittitur disceptatio, quae partem facit defensionis, reus citatione necessario conveniendus est.

335. Articulus XXXIV ita concipitur: « *Die constituta, proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus procuratore fiscali, defensore et cancellario* ». Scopus articuli est (quod clarius significat art. subsequens) explicare, per vivae vocis disceptationem, probationes iam collectas, minime vero novas comparare probationes, veluti novos testes adducere, aut iam collectas ratas et legitimas habere, ut ecce per confrontationem aut per repetitionem. Quod velim animadverti, quippe in hoc Instructio longe distat a cod. cit. Greg. qui sub titulo IV, lib. VI - *De propositione et causae disceptatione* - ordinat processus *inquisitivi* legitimationem per confrontationem et testium repetitionem et novas testium attestationes; quocirca, in hac periodo processus, evolvitur publica accusatio et accusati defensio, quae videtur efficacior esse, quia repetitio et confrontatio fit semper coram accusato eiusque defensore. Item hodie

servatur ubicumque viget processus *mixtus* et in dies apud criminalistas acuitur studium ut minuatur sphaera processus secreti inquisitivi et latius producatur processus publicus accusativus. Sed haec conflictatio testium, quae necessario longum exquirit tempus et non fit sine aestu cupiditatum, abhorret a foro eccles. et sapit strepitum iudicialem. Simplex vero disceptatio habita accusatorem inter et accusatum, qui coram iudice, viva voce, suas explicant probationes, simul conferentes adversa argumenta, vehementer iuvat ad detegendam veritatem. - Articulus, praeter promotorem fisc. et cancellarium, memorat accusati *defensorem,* at ipsum accusatum praetermittit. Verum dubitari non licet, ipsum accusatum posse, si velit, interesse disceptationi. Quia in art. XXXIII expresse edicitur, reum oportere certiorem reddere de die destinata ad disceptationem. Articulus XXXIV memorat defensorem, quippe necessario ipse interesse debet; accusatus disceptationi interest dumtaxat si libeat.

336. Articulus XXXV dictans regulas observandas in hac disceptatione praevia sententiae definitivae ita concipitur: « *Post votum procuratoris fiscalis et allegationes defensionis editur sententia etc.* ». Causae *propositio* et apposita *disceptatio,* uti patet ex claro textu articuli, continetur in voto seu animadversionibus promot. fiscalis et in responsionibus accusati; disceptationis exitus hic est ut clarior et determinatior erumpat ipsa quaestio tum in *facto,* tum in *iure;* quocirca conclusiones huius controversiae deducuntur a iudice et assumuntur quasi *rationes decidendi* in sententia definitiva mox edenda. Ad rem iuvat recolere nonnullas praescriptiones cod. cit. Greg. quae utiles constituunt normas processus: art. 428: « *Expletis testium attestationibus adhaerens fisco, si interfuerit in proprium interesse, et eius defensor deducunt instantias tum in facto, tum in iure: deinde fiscalis promot. adiicit suas animadverstones tum in facto, tum in iure, facit poenarum postulationes, quas e suo munere exquiri arbitratur, pro sua intima persuasione*

ex actis deducta ». Art. 430: « *Defensor* (accusati) *argumenta explicat defensionis, quae sibi comparavit aut collegit in processu disceptationis* ». Art. 431: « *Adhaerens fisco et fiscalis promot. replicandi ius habent, sed defensor accusati interloquendi ius habet aliis novissimus et etiam accusatus admonetur, ipsum iure pollere addendi ea, quae libent, in suam utilitatem* ».

Sane integra disceptatio in id potissimum ordinatur ut accusatus convincatur de crimine, et condemnationis tunc subeat sententiam, quando iam ne ipse quidem accusationis argumentis aliquam opponere valeat probabilem responsionem; unde antea convincitur evidentia veritatis, postea compescitur poenarum luitione. Denique etiam in foro eccles. accidere potest quod praevidet art. 437 cit. cod. Greg.: « *Si disceptatio non expletur una audientia, prorogatur ad subsequentem diem, et tribunalis praeses horam praescribit, qua reassumetur disceptatio* ».

337. Pro hodiernis curiarum conditionibus, quibus consuluit Instructio, praescriptis normis *oeconomicis*, quaerere praestat, an haec disceptatio causae sit servanda ad *substantiam*, qua nempe praetermissa, nullitatis vitio inficiatur integer processus. - In resposionem quaestionis, huc redeat animadversio iam facta, scilicet Instructionem nil aliud iubere ad *substantiam* nisi normas iuris naturalis, - *servatis semper regulis iustitiae substantialibus* - (art. X). Quamobrem si fingamus, Ordinarium perspecte cognoscere eiusmodi disceptationem fieri non posse, interessente accusato, prouti enixe postularet, quippe rixas et clamores excitaret; ipso autem remoto, disceptationem nullum habere valorem et fieri calumniarum et oblocutionum occasionem, iure meritoque causa definitur, non praehabita hac disceptatione. Nam hodie curiae non habent familiam *armatam*, cuius auxilio opus est in moderandis eiusmodi disceptationibus; *urget* vero quam saepissime necessitas amputandi omnem solemnitatem in iudiciis criminalibus. Porro *regulae iustitiae*

substantiales expostulant sententiam, potissimum in criminalibus, non edi nisi excusso reo eique se defendendi facta potestate, usque ad sententiam definitivam; sed nullimode iubent, sententiae definitivae praemittendam esse disceptationem accusatorem inter et accusatum habendam coram iudice; quae disceptatio est *utillima*, sed non *necessaria*. Hanc disceptationem non servant S. Congregationes romanae, quae etiam in prima instantia, sententias edunt definitivas in re criminali.

338. Verum disceptatio, uti advertimus, est species defensionis; quare inquirere oportet, an haec auferri possit accusato, quin alia subrogetur aequipollens ratio defensionis. Iamvero nil derogatur iuri defensionis, si accusato, qui plene cognoscit accusationis argumenta, integrum sit exhibere suas responsiones, nec semel, sed pluries prouti necessitas et opportunitas defensionis expostulat. Non alius est stylus, qui hodie servatur apud SS. Congregationes rom. Quod si quae documenta vel attestationes, aliqua in parte, aliquando non panduntur accusato, hoc fit, incolumi iustitia etiam iudiciali, si fiat ad vitandum gravius incommodum et si exinde, omnibus rite perpensis, non deest accusato facultas se defendendi.

339. Denique quum art. XXVIII Instructionis statuat, fieri accusato *ad eius instantiam - praefixionem termini ad exhibendam defensionem per memoriale seu in scriptis, praecipue quando ob dispositionem* art. XXIII *nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione* - est dubitandi locus, an prohibitum sit fisci animadversiones vel accusati responsiones *typis* imprimere. Nam quaestio est ita enuncianda, nempe *cumulative* quoad fisci promotorem et accusatum, quia - *non licet actori quod reo licitum non existit* - ex *reg. Iuris* 33 in 6. Quum vero articulus mentionem faciat de memoriali *scriptis* exarato, dubitatur, an prohibere voluerit, idem *typis* mandari. Arbitramur stylo *oeconomico* et *summario* nec non hodiernis cleri conditionibus morem melius respondere non edendi typis

animadversiones et defensiones iudiciales in causis criminalibus clericorum; sed ratio et vis iussionis non praetergreditur limites prudentiae et opportunitatis (1).

(1) Iudex, qui praetermittit oralem *disceptationem* et sententiae prolationem coram accusatore et accusato editam, moneat oportet accusatum, processum *defensivum* esse clausum, seu factam fuisse *conclusionem in causa* et mox sententiam editum iri, quae ei denunciabitur. Haec *monitio* locum tenet citationis *praeviae* sent. definitivae.

CAPUT VII.

DE CAUSAE DEFINITIONE.

Summarium. — 340. Explicatur art. XXXV et in primis, notatur, hic sermonem fieri de sententia *definitiva*. — 341. Quotuplex haec esse possit. — 342. De effectu seu de exceptione *rei iudicatae*. — 343. An et quomodo pronunciatio sententiae habeatur, servato veluti *uno contextu*, conclusio *disceptationis causae*. — 344. De parte *dispositiva* sententiae: explicatur *textus* articuli. — 345. An addenda sit pars *narrativa* et *motiva*. — 346. Quare articulus XXXVI iubeat, sententiam *denunciari* accusato. — 347. De modo quo fertur sententia *definitiva* a tribunali collegiali.

340. In art. iam relato XXXV, quod ad sententiam definitivam statuitur « ... *editur sententia dictando* DISPOSITIVAM *cancellario, expressa facta mentione, in casu damnationis, de canonica sanctione in accusatum applicata* ». Hic sermo est de sententia *definitiva*, quia quaestiones et hinc sententias *interlocutorias* seu *incidentales* in omni parte processus exoriri contingit et, e contra sententia, de qua in articulo, ordinatur vel ad *absolvendum* vel *ad condemnandum* accusatum.

341. Haec, uti innuebam, est aut *absolutoria* aut *condemnatoria*. - *Absolutoria* vel ab impetitione accusatoris, vel ab instantia tantum iudiciali absolvit. In *primo* casu absolutio significat, accusatum vel repertum esse *innocentem* vel saltem repertum non fuisse *culpabilem;* et in genere, *accusatore non probante accusatus, etsi nihil praestiterit, absolvendus est*. - In *altero* casu absolvitur tantum ab *instantia*, quia aliquando *reitatis* gravia habentur indicia sed non visa sunt adeo gravia ut accusatus damnetur, at placet iudici magis supersedere *sententiae definitivae*, quousque alia argumenta perquirantur; quare respondet *ex hactenus deductis* accusatum non posse nec *condemnari* nec *absolvi*. Cf. Matteuccius, *Off. Cur. cap. 54, n. 78*. -

Sed in quodnam tempus suspendi potest eiusmodi sententia? Cod. cit. Greg. art. 446 respondet, *reassumi posse processum, quousque terminus praescriptionis non dilapsus sit.* - Haec decisio non est aliena a lege eccles. imo etiam in foro eccles. servari potest, quotiescumque absolutio accusati videatur contradicere veritati facile in posterum detegendae et per famam publicam denunciatae. Secus iuvat abrumpere moras et, uti monent Monacelli *Append. ad form. leg. pract. decis. 13, n. 4,* et Matteuccius *l. cit.* decernere *absolutionem,* quia, accusatore non probante, accusatum absolvere oportet, et tunc, iuxta *cap. 6 De accus. X* (V, 1) « *De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari* ».

342. Quamobrem locus est exceptioni *rei iudicatae,* opponendae a promotore fiscali adversus reum damnatum aut quemque alium, qui sententiam *condemnatoriam,* praeterlapso tempore utili ad appellandum, velit iterum in quaestionem adducere. Verum haec exceptio non vetat, quominus gravibus de causis aliquando concedi possit *revisio processus,* seu remedium *extraordinarium,* uti supra probavimus, quo sensu sententiae *condemnatoriae,* in *criminalibus,* dicuntur non transire *in rem iudicatam.* - Exceptio *rei iudicatae* opponitur *peremptorie* ab ab ipso accusato semel *absoluto* per sententiam *absolutoriam,* quoties processus accusationis iterum instaurari vellet.

343. Ex verbis articuli patet disceptationem praemitti sententiae ad declarandam *facti et iuris* quaestionem, et haec ita arcte inter se connecti ut veluti *uno contextu* absolvi debeant. Quod si disceptatio, una audientia aut *sessione* non absolvatur, (prouti aliquando fieri advertimus) tamen servatur intentio articuli quum immediate, post absolutam disceptationem, non interposita mora seu dilatione, editur sententia vel *absolutoria,* vel *condemnatoria.* Hoc praeceptum clarius ita significatur in art. 438 cod. cit. Greg.: « *Absoluta disceptatione, iudices, qui dimissis aliis, in aula audientiae permanent, inde abire non*

possunt nisi edita decisione etc. ». Ratio est, quia iudices, qui aulam audientiae non deserunt nisi definita causa, hanc definiunt cum plena rei cognitione mox desumpta ex ipso contendentium ore; et quum neminem alloquantur ante pronunciationem sententiae, ita animum servant immunem etiam a suspicione ne importunae commendationes, aut extraiudiciales notitiae praevaluerint intimae persuasioni ex processu haustae. - Nemo non videt utillime etiam in foro eccles. servari hanc normam, quamvis expresse haec non iubeatur in cit. art. - Quare tempus intermittere inter disceptationem causae et definitionem non erit causa nullitatis, sed ratio procedendi, nisi ratio suppetat gravis, erit minus prudens et recta. - Partes vero, scilicet accusator et accusatus iterum ingrediuntur aulam audientiae ut sententiam audiant.

344. Articulus cit. statuit, *sententiam edi dictando dispositivam*, quocirca, praeter *dispositivam*, nihil aliud videtur *requiri* in sententia. Verum exquiri partem etiam *narrativam* et *motivam* infra dicam. Sane sententia per se continetur in *dispositiva*, et reliquae partes, *postea*, quoque addi valent, ad sententiam integre perficiendam. Codex cit. Greg. ita rem distinguit, iubens in art. 450: « Sententia sive absolutoria, sive condemnatoria continet factum, et eius principalia adiuncta, refert declarationes editas a tribunali et, in casu condemnationis, articulum citat aut articulos legis inibi applicatae ». Postea seiunctim enumerantur partes sententiae; scilicet in art. 451: « Pars *dispositiva* a praeside tribunalis subscripta et a iudicibus immediate in eodem folio traditur cancellario, a quo coram iudicibus, prom. fiscali et adhaerente, et eius defensore et accusati defensore legitur et una simul evulgatur in aula audientiae ». Art. 452: « *Sententia exaratur a praeside tribunalis aut ab aliquo ex iudicibus, qui ad hunc effectum delegatur* et si ob factorum implicationem aut, ob aliud adiunctum, non potest illico exarari, in termino saltem trium dierum, datur cancellario et transcri-

bitur in quodam *actorum codice* expresse ordinato et a iudicibus, qui interfuerunt, subscribitur et a cancellario et una simul per cursorem, *in copia*, traditur accusato ». In hoc articulo potissimum priora verba advertantur, quia posset obnorme videri, sermonem haberi de *textu sententiae* exarando, postquam *pars dispositiva*, ex art. 451, iam tradita est cancellario. Iamvero *exarare sententiam est*, eam in suo *textu* perficere, additis parti *dispositivae* partibus *narrativa* et *motiva*.

345. Sed quaeritur, de iure *positivo can.*, an necessario addenda sit pars *narrativa* et *motiva*. Porro ad ius commune quod attinet, supra in prolegomenis, docuimus sententias non esse perfectas nisi contineant etiam partem *motivam* seu *rationes decidendi*. Modo ex ipso textu art. XXXV Instructionis non obscure innuitur, sententiae *condemnatoriae* addendam esse *partem* quoque *motivam;* ait enim art. « *facta explicita mentione, in casu damnationis, de sanctione canonica accusato applicata* ». Atqui memorare *sanctionem canonicam* est recolere ipsum legis poenalis articulum, quem offendisse reus condemnatus edicitur. Haec autem mentio, nisi consentiat cum facti specie et peculiaribus facti adiunctis in processu evictis, nullam auctoritatem conferret ipsi sententiae; quae dum recolit articulum canonicae sanctionis eo consilio ne videatur condemnatio simplici iudicis imperio ferri, nihilo minus sententia videretur *arbitraria*, si non pateat quonam nexu condemnatio coniungatur cum lege poenali. - Praeterea mentio sanctionis applicatae in condemnatum, pandit ipsum condemnationis titulum; quem, si appellare sibi expedire arbitretur, condemnatus impetat per instantiam appellationis. - Si sententia est *absolutoria*, res expeditior est. Sufficit enim enunciare ex *actis* et *probatis* non constare, Titium, accusatum, criminis fuisse auctorem.

346. Denique non vacat difficultate art. XXXVI Instructionis praecipiens « *Sententia indicitur reo, qui appellationem interponere valet ad superiorem eccles. potestatem* ». Namque

in art. XXXV statuitur, disceptationem habendam esse coram iudice, inter promotorem fisc. et accusati defensorem et ipsum accusatum, si velit interesse; deinde, veluti *uno contextu*, sententiam edi definitivam; hanc proinde si percipit suis auribus accusatus aut accusati defensor (quod est idem) cur eamdem iubet Instructio, reo denunciandam esse? - Verum expeditio difficultatis clare deducitur ex *relato* art. 452 Cod. Greg. unde desumptus fuit art. XXXVI. - Etenim prolationem sententiae patet constare pluribus momentis. *Primo* datur *dispositio condemnatoria* aut *absolutoria*, quae statim *cancellario dictata* mandatur *ad acta* (art. XXXV). Dum editur *dispositiva* accusatus, si praesens, aut eius defensor, suis auribus percipit absolutionem aut condemnationem. At, praeterea, deliberandum est an expediat appellationem instaurare. Sed prudentem deliberationem assumere non potest reus condemnatus nisi prae oculis habeat textum sententiae, instructum rationibus, quae iudices moverunt. Sunt ne istae iuri et veritati innixae? Recta solutio huius quaestionis interest etiam reipublicae, quae proinde, praeter *dispositivae* evulgationem in aula audientiae, curat ut condemnatus prae oculis habeat exemplar sententiae: huc spectat iussum articuli « *Sententia indicitur reo* ».

347. Instructio, in genere, loquitur de prolatione sententiae et nihil cavet de sententia proferenda a iudice *collegiali*. Appositam procedendi rationem explicat cod. Greg. cit. art. 438 sq. et nos quid expediat facere in foro eccles. supra docuimus.

CAPUT VIII.

DE APPELLATIONE.

Summarium. — 348. Hic agitur non de *iure* sed de *processu* appellationis. — 349. Interponitur apud iudicem, ratione *gradus hierarchici*, competentem. — 350. Hodie vero solet appellari in *secunda* instantia ad S. Cong. EE. et RR. — 351. De *fatali* ad appellandum; quando decurrere incipiat. — 352. Ad *quemnam* iudicem appellandum sit. — 353. An *acta originalia* et quaenam sint transmittenda a iudice *a quo*. — 354. De *fatali* ad *prosequendam* appellationem. — 355. Condemnatus appellans constituit defensorem. — 356. Promotor fiscalis defendit sententiam appellatam. Iudex *a quo* per *apostolos* seu litteras *dimissorias* explicat suam agendi rationem. — 357. De appellatione *incidenti*. — 358. De *peremptione* appellationis. — 359. In causa appellationis observatur processus oeconomicus. — 360. Sed apud iudicem ad *quem* nonnulla tantum acta expleri oportet, habita ratione obiecti appellationis. Quidnam edicere intendat iste iudex in sententiam appellatam. — 361. An facienda sit *contestatio* et an novae probationes admittantur. — 362. Processus appellationis apud S. C. EE. et RR. regitur a Decreto *18 Decemb. 1851*, aliqualiter mutato per Decretum *a. 1885*. —363. De remediis *extraordinariis*. — 364. De sententiis executioni demandandis.

348. In prolegomenis supra egimus *de appellatione* quam interponere omnes possunt qui e sententia iudiciali *gravamen* persentiunt. - At ius positivum limites posuit huic iuri, tum prohibens nonnullis in causis appellationem, tum concedens aliquando effectum tantum *devolutivum*. - Sed modo agimus dumtaxat de *processu* servando in causa appellationis.

349. Prima regula est, instantiam appellationis instaurari apud iudicem competentem ratione *gradus hierarchici*. In quod propositum ius *commune* et *speciale* explicavimus Vol. I, n. 621.

350. Ius vero *consuetudinarium*, maxime in Italia, fert ut *duae* tantum habeantur instantiae appellationis, quippe a

curia dioecesana solet appellari vel ad S. Congr. Concilii vel ad S. Congr. EE. et RR. (1). Imo quia in Decreto S. C. EE. et RR. *18 Decemb. 1835*, confirmato alio decreto diei *26 Martii 1886*, iubetur art. I: « *Reis a curis episcopalibus damnatis spatium dierum 10 conceditur quo ad S. C. EE. et RR. appellare possint* », dubitatum est, an hae *duae* instantiae appellationis tantum servandae essent. Ast omne dubium abstulit Instructio in art. XXXIX et XLII et res intelligi debet uti cautum est *in Appendice* ad cit. cod. Greg., art. 9: « *Appellationes a sententiis criminalibus tribunalium eccles. deferuntur ad S. C. EE. et RR., salvis iuribus metropolitanorum ubi adhuc observantur* ». Ceterum, in re criminali, duas instantias iudiciales sufficere supra probavimus.

351. Tempus ad appellandum fatale est *decendium*. Etiam explorati iuris est, hoc esse tempus *continuum* in decursu, seu currere etiam in diebus feriatis, sed *utile* esse in initio Vol. I, n. 361; quippe incohatur - *a notificatione sententiae* - uti iubet art. XXXVIII Inst. ita conceptus: « *Instantia ad introducendam appellationem facienda est intra terminum 10 dierum a notificatione sententiae, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in statu executionis reperitur* ». Et clarius *in decreto 18 Decemb. 1835* (de quo fit mentio in art. XXXVII cit. Inst.), ad art. 2 praecipitur: « *Decem dies numerari non a die, quo sententia lata est, sed a die, quo reo vel eius defensori* (2) *per cursorem denunciata fuit* ». Sed hic articulus loquitur de *cursore*, cuius tamen operam non semper hodie praesto esse advertit art. XIV Inst.; quare recurrendum est ad publica officia littera-

(1) Etiam S. Cong. Concilii iudicat has causas in 2ª instantia, sed S. C. EE. et RR. habet appositum officialem, Iudicem Relatorem nuncupatum in cit. decret. *18 Decemb. 1835*.

(2) Quia defensor tenetur suum clientem monere de sententiae prolatione et etiam, ne tempus praetergrediatur, appellationem interponere, sed eamdem non tenetur prosequi.

rum diribitoria. Tunc dies notificationis est dies, quo littera *commendata* apud haec officia remittitur aut *reo*, aut eius *defensori*. Commentator in ephemeride *Acta S. Sedis*, Vol. XV, p. 396, opinatur, adhuc posse, imo deberi praecepto obtemperari decreti *a. 1835*, quia curiae non habent cursores, qui dioecesim peragrentur, sed cursorem non deesse qui defensori, apud curiam constituto sententiam denunciet. Ast haec opinio non satis in certo iure fundata videtur. Quare in eadem eph. et eodem *Vol. p. 550* traditur: - *tutius esse sententiam per cursorem defensori, reo per litteras denunciare ad normam* - art. XIV, et decendium currere a die qua - *postrema notificatio in defensoris vel accusati manus pervenerit.* - Sed quia art. XIV facultatem facit Ordinariis denunciandi sententias per *litteras*, non video quare haec facultas restringenda sit quae adeo utilis est, maxime in magnis urbibus, ubi residet curia. - Alia quaestio est, an decendium decurrat *a notificatione*, quando ipse defensor aut reus et forsan uterque interfuerunt evulgationi sententiae die disceptatae causae - Petrus Rota *Enchiridion* - n. 805, asserit, tunc decendium decurrere a die latae sententiae, quia dum editur, denunciatur. - Ast haec sententia non videtur congruere textui Instructionis, quae in art. XXXV ordinat sententiae prolationem coram ipso reo aut eius defensore, et in art. XXXVI iubet, *sententiae* indictionem ad *effectum appellationis*. Rationem distincti actus explicavimus. Siquidem *indicitur* reo sententia absoluta in omni sua parte etiam *narrativa* et *motiva*, dum *editur* a iudice pro tribunali sedenti, tantum in parte *dispositiva*. Cf. Carrara § *1006, not. 1*, qui maxime laudat hanc procedendi rationem. - Si vero in curia servetur ritus ita oeconomicus ut tantum fiat in aula audientiae editio sententiae breviter enunciatae in parte quoque *narrativa* et *motiva* et moneatur reus, aut eius defensor nullam aliam fieri sententiae indictionem et ab isto momento decurrere *decendium*, certe, hoc in casu, recte sentit Rota.

352. Naturalis ordo processus expostulat ut appellatio interponatur apud iudicem *a quo*, cuius est appellationem respuere si causa appellationem non patiatur; vel admittere, sed redditis *apostolis* seu litteris, quae iudicem *ad quem* de rei statu certiorem reddant. Recolantur quae explicavimus Vol. I, n. 369. - Sed appellatio interposita apud *iudicem ad quem* eumdem habet effectum, quia hic iudex alterum monet de instaurata appellatione rerum notitiam exquirens. Imo appellandi propositum utiliter manifestatur apud testes, si neque ad unum neque ad alterum iudicem pateat aditus. Can. *Biduum, c. 2, q. 6.*

353. Officium iudicis *a quo* ita explicat art. XXXIX, Inst.: « *Interposita appellatione infra decem dies, curia absque mora remittit ad auctoritatem superiorem eccles. ad quam appellatum est, omnia acta causae originalia, idest, processum, restrictum, defensiones et sententiam* ». Idem praecepit in art. IV Decretum 18 Decemb. 1835, sed littera circularis 1 Aug. 1851 (Acta S. Sedis XV). Haec monet: « Meminisse iuvat tandem, actus intimationis sententiae et appellationis, pariter apparitoris relatione munitos, inserendos allegandosque esse in processibus respectivis, qui ad normam art. IV decreti *18 Decemb. 1835*, absque mora, addito eisdem chronologico indice, transmitti debent ad H. S. C. una cum restrictu atque allegationibus ac etiam cum exemplari sententiae; cum authographum manere debeat penes respectivam curiam, quae appositum servat registrum in cancelleria criminali ». Revera quia in cit. art. XXXVII Inst. cavetur normas ibi constitutas componendas esse cum aliis Decretis et constitutionibus pontificiis et, in specie, cum litteris *diei 1 Aug. 1851*, patet, integrum esse Ordinariis mittere *exemplar* sententiae, servato *originali* penes cancellariam curiae. Praestat vero dare acta processus *originalia* 1) quia removetur periculum cuiuscumque mutationis in actis, et 2) quia parcitur non levibus expensis. - Concilium Trid., *Sess. 24, cap. 20, De ref.*, et clarius Clemens VIII in Decreto - *Ad tollendos* -

art. II (cf. Vol. I, n. 638) iubent non *originale* sed *copiam* processus libere exhiberi posse. Sed hodie difficile non est *tute* transferre *originalia*, prouti tunc erat.

354. Instantia seu iudicium *appellationis* instauratur apud iudicem *ad quem*. Quare iudex *a quo* excipit libellum partis appellare expetentis, et suis litteris (seu *apostolis*) munitum, nisi iure respuendum esse arbitretur, iudici *ad quem* remittit una cum *processu*. Iudex *ad quem*, visis actis, deliberat an *instantia* appellationis instauranda sit. Porro art. XL Inst. statuit « *Auctoritas eccles. superior, capta cognitione actus appellationis, indici iubet appellanti ut infra terminum viginti dierum defensorem sibi constituat qui approbandus est ab eadem superiori auctoritate* ». Articuli sensus est, iudicem *ad quem*, cognitis actis, deliberare an locus sit *instantiae* appellationis, et suam deliberationem participare iudici *a quo* ut eamdem denunciet appellanti. Vel ipse iudex *ad quem* istam appellanti denunciat, si hic versetur apud curiam iudicis *ad quem*. - Si instantia admittitur, tunc ad *prosequendam appellationem* appellanti statuitur terminus *viginti dierum* et appellationem *prosecutus esse* intelligitur, cum constituit suum procuratorem seu defensorem. Eumdem terminum *peremptorium* praescribebat cit. Decret. a. 1851. - Iste terminus ad *prosequendam* est *peremptorius*, quatenus non debet secunda et tertia vice repeti denunciatio sed terminus non *currit impedito*. Inde art. XLI Inst. iubet: « *Decurso hoc termino* PEREMPTORIO ABSQUE EFFECTU » (seu quin terminus dilationis tulerit suum *effectum*, cum ferre posset, id est, nullo obstante impedimento), *censetur appellans nuncium misisse appellationis beneficio et consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate* ».

355. Sed hodie etiam simplicior est ratio procedendi saltem apud S. C. EE. et RR. postquam latum est a S. C. EE. et RR. cit. Decretum a. 1856, quocirca non constituto defensore,

appellans etiam per se prosequitur appellationem. Ob eamdem rationem, non puto reprobandam esse rationem agendi curiae Metropolitanae, acceptantis in *prosecutionem* causae, ab ipso appellante animadversiones aliasque allegationes, quibus ipse sibi patrocinari intendit.

356. Sententiam appellatam defendit promotor fiscalis curiae *apud quam* est *appellatum*, prae oculis habens animadversiones promot. fisc. curiae *a qua* et litteras seu *apostolos*, quibus curia probat suae sententiae rationem.

357. Quando sententia est *absolutoria*, tunc promotori fiscali aut eius adhaerenti non semel onus incumbit appellationem instaurandi. Casum hunc ita perpendit cit. Decr. a. 1851: « *Quoties autem promotor fiscalis, aut fisco adhaerens appellet et pariter appellatio a S. C. excepta sit, admissioque Ordinario patefacta, hoc casu cum appellatio etiam appellato communis fiat, huic erit notificanda, ac una cum S. C. decreto, quo eadem admittitur, eique iniungendum erit quod, nisi intra peremptorium viginti dierum terminum, defensorem inter advocatos vel procuratores romanae curiae elegerit, tenendum erit, ipsum ab interventu in iudicium abstineri velle* ». Haec appellatio, quae ab una parte instaurata alteri iuvat, vocatur *appellatio incidens* (cf. supra n. 261) quia, praeter appellandi propositum, seu *incidenter* usuvenit appellato ut eamdem causam iterum agitet, a qua tamen abstinere potest vel *expresse* vel *tacite* renuncians *interventui* in causam. Illud advertatur, appellationem *incidentem* efficere ut, si promotor fiscalis unam tantum sententiae partem directe impetat, et aliam impetere vel non curaverit, vel expresse se probare profiteatur, nihilominus reus eamdem impetere valet *incidenti* appellatione, seu postquam sententia *in suspenso* remanserit per appellationem a promotore fisc. factam.

358. Art. XLI Instr. ita determinat peremptionem instantiae « *Decurso dicto termino peremptorio* (20 dierum) *absque*

effectu, censetur appellans renunciasse appellationis beneficio et haec consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate ». Haec *peremptio* obstat *prosecutioni* appellationis; sed non dissimilis *peremptio* impedire valet vel instantiae definitionem, vel alicuius actus adimplementum. Veluti si iam inchoata appellatione, appellans petat novos admitti testes et iudex ei praefigat peremptorium terminum, quem delabi sinat appellans, non productis testibus nec legitima allegata excusationis ratione, iudex declarat dilapsum esse terminum *peremptorium* et testes non amplius admitti. - Declararetur *perempta* ipsa instantia appellationis, si intra terminum assignatum probationibus deducendis, appellans negligat probationes comparare et deducere et aliquid agere in *prosecutionem* appellationis. - Verum *ex iure comm.* arg. *c. c. 5, 8, De appell. X* (II, 28), et Clem. 3 *eiusdem tit.* tempus concessum ad *prosequendam* et *finiendam* appellationem est *unus annus* et, legitimo obstante impedimento, *biennium*. Sed *in criminalibus* praestat negotia celerius expediri; quare celebris lex - *Properandum* - Cod. Iust. *triennium* causis *civilibus* constituit, *biennium* criminalibus. Inde iure can. praeter *fatalia* a iure constituta, inoleverunt *fatalia* ab *homine* (cf. Vol. I, n. 648 sq.), seu termini *peremptorii a iudice* determinati, quibus inutiliter elapsis, appellatio declaratur *deserta* seu *perempta*. Sane ad *inchoandam* appellationem Inst. iubet concedi *viginti dies;* et alii termini constitui valent *ab homine* nempe imperio iudicis ad *finiendam* appellationem, dummodo in decreto explicite caveatur, terminum assignatum esse *peremptorium* et assignari ut, eo inutiliter elapso, appellatio edicatur *deserta* et *perempta* seu non fuisse concessam simplicem *dilationem* ad aliquem actum *peculiarem*, veluti ad producendum instrumentum. - Quod tamen *peremptorium* decretum edi non valet, si probetur, adfuisse legitimum *impedimentum* quominus actus interponeretur. Cf. Maschat, *Inst. II, tit. 28, n. 18.*

359. Normas processus, quas sequetur iudex appellationis

ita determinat Instructio art. XLII: « *Quum appellatio producitur a sententia alicuius curiae episcopalis ad metropolitanam, Archiepiscopus in cognitione et definitione causae sequitur normam procedendi in hac Instructione traditam* ». Attamen non singula acta *primae instantiae* observantur etiam in *secunda,* prouti modo explicabimus.

360. Tota pars *inquisitiva* non adhibetur in iudicio appellationis; quaeritur enim an *bene* vel *male iudicatum fuerit.* Hoc praeceptum in cod. cit. Greg. *art. 464* ita concipitur: « Iudicium appellationis quippe tantum eo spectat ut cognoscatur an fuerit legitima declaratio reitatis aut utrum adfuerit excessus in applicatione poenae, numquam potest istam asperare in suo gradu aut in sua extensione. Ei non fas est nisi confirmare, revocare aut diminuere primam condemnationem ». Reiff., *De appell. n. 232,* confirmat hoc principium, tamen advertit, *aliquid posse addi sententiae* appellatae, veluti applicari poenam *a iure,* quam iudex primae instantiae non decreverat, minime vero *arbitrariam.* Sane in iure *can. comm.* non est ita firmum hoc principium, sed in genere ab eo non est discedendum nisi gravi *significata causa.*

361. Sub initio instantiae appellationis facienda est *contestatio* ut pateat utrum sententia aut *integra,* aut tantum *aliqua* in *parte* sit appellatione impetita et utrum accesserit appellatio *incidens.* Actus *contestationis* perficitur postquam iudex cognitionem sumpserit de actis prioris instantiae; in quem scopum, loco *iudicis instructoris,* accommode delegatur *iudex relator,* uti statuit *cit. cod.* Greg. art. 456. Nimirum Praeses tribunalis appellationis, *iudicem* constituit *relatorem,* qui in termino decem dierum, acta examinat, eademque remittit procuratori fiscali, et interim aliis iudicibus diribetur copia *restrictus processus* confecti in prima instantia. Si non valeat constitui iudex relator, ipse iudex relationem conficit actorum, quibus constat instantia appellationis ut pateat quinam sint controversiae limites. Deinde proceditur

ad *contestandam litem*, videlicet coram reo, aut eius defensore et promot. fiscali, aut si appellaverit promotor fiscalis et reus appellatus interventui renunciaverit, coram ipso promot. fiscali, legitur relatio exarata ab ipso iudice appellationis, aut a delegato iudice relatore et praeterea legitur sententia, a qua est appellatum. Rem ita ordinat cod. cit. Greg. art. 461: « Die destinata aperitur audientia, in qua primo legitur relatio iudicis relatoris, et deinde sententia, a qua facta est appellatio ». Inde habetur *litis contestatio*, quia partes non excipientes adversus relationem quaestionis a iudice factam intelliguntur controversiam acceptare in iis terminis. - Taliter *contestata lite*, est locus animadversionibus adversis, seu tum illius, qui sententiam confirmari expetit, tum alterius, qui eamdem aut revocari, aut infirmari efflagitat. Art 462, cit. cod. Greg. ad rem ait: « Deinde promotor fiscalis suas explicat conclusiones et defensor condemnati animadversiones deducit in eius excusationem usque dum declaret nihil aliud habere quod adiiciat ». Si vero qui sententiam revocari aut corrigi postulat novos deducere intendat testes, hi admittendi non sunt nisi gravissima instet causa et remotum sit quodcumque collusionis periculum, uti advertit art. 460, cit. Cod. Greg. et iam praeceperat Clemens V, *in Clem. 2, De testibus* (II, 8): « ..... *cum non minus in appellationibus, quam in principali causa subornatio sit timenda* ». Cetera vero argumenta veluti *instrumenta, indicia* libere deduci valent, quippe remota a periculo collusionis. - Haec tantummodo, quae memoravimus, aliquid singulare continent, reliqua exiguntur ad communes regulas processus.

362. Ratio procedendi in causis appellationis apud S. C. EE. et RR. regitur cit. decreto 18 Decemb. 1835, hisce articulis concepto: « I. *Reis a curiis episcopalibus criminali iudicio damnatis spatium 10 dierum conceditur, quo ad S. C. EE. et RR. appellare possint.* II. *Decem dies numerari incipient non a die, qua sententia lata est, sed a die, qua reo*

vel eius defensori per cursorem denunciata fuit. III. *Eo tempore elapso, quin reus vel eius defensor appellaverit, latam a se sententiam Episcopus exequetur.* IV. *Interposita intra decem dies appellatione, curia episcopalis acta autographa totius causae ad S. C. continuo transmittet, nempe* 1) PROCESSUM *ipsum in curia confectum*, 2) *eius* RESTRICTUM, *seu compendiariam expositionem eorum, quae ex eodem processu emergunt*, 3) *defensiones pro reo exhibitas*, 4) *denique sententiam latam.* V. *Ipsa curia reo eiusque defensori denunciabit, appellationem coram eadem S. C. prosequendam esse.* VI. *Si nemo compareat, aut si appellationis acta negligenter aut malitiose protrahantur, congruum tempus a S. Congr. praefinietur, quo inutiliter elapso, causa deserta censeatur et sententia curiae episcopalis executioni mandetur.* VII. *Reo aut illi, qui eius defensionem suscepit, tradendus est* RESTRICTUS *processus, qui a iudice relatore conficitur.* VIII. *Allegationes seu defensiones EE. PP. distribuendae typis non committantur, nisi iudex relator veniam dederit.* IX. *Causa definietur stata die ab EE. PP. in pleno auditorio congregatis.* X. *Eidem Congregationi procurator generalis fisci* (1) *et iudex relator intererunt.* XI. *Iudex relator de statu causae ad EE. PP. refert et procurator generalis fisci stabit pro curia episcopali suasque conclusiones explanabit.* XII. *Post haec EE. PP. iudicium proferent, sententiam curiae episcopalis aut confirmando aut infirmando aut etiam reformando.* XIII. *Prolata sententia, una cum omnibus actis causae ad eamdem curiam episcopalem, remittitur ut eam exequatur.* XIV. *Revisio seu recognitio rei iudicatae non conceditur, nisi eius tribuendae potestas a Sanctitate Sua facta fuerit et sub-*

(1) Procurator gen. fisc. munus habebat *tuendi iustitiam* in negotiis criminalibus et hinc partem habebat in iudiciis criminalibus apud principalia Curiae tribunalia. Cf. De Luca, *Rel. cur. dis. 46, n. 88 et 119.*

sint gravissimae causae, super quibus cognitio et iudicium ad plenam congregationem pertinet ».

Praeterea *die 6 Iunii 1847* eadem S. C. ut satisfaceret iteratis instantiis, quibus expostulabatur interventus defensoris rei in plenaria comitia EE. PP., hoc prodiit rescriptum quod latine reddo: 1) *In iisdem conventibus S. C. EE. et RR. quum habebitur relatio causarum criminalium, praeter iudicem relatorem et procuratorem generalem fisci, locus fiet etiam rei defensori aut publico aut privato (dummodo ille ex iis sit rite probatus).* 2) *Procurator fisci generalis suas deducet observationes tum in facto, tum in iure et suas faciet conclusiones.* 3) *Rei defensor explicabit media defensionis, quibus poterit promot. fiscalis replicare et defensor rei usque, postremo loco, facultatem loquendi habebit.* 4) *Inde tum procurator fisci generalis, tum defensor secedent a conventu, sed manebit iudex relator ut dilucidationes suppeditet sibi exquisitas; EE. PP. vero suffragia ferent in causae definitionem.*

Hisce decretis eadem S. Congr. aliqua ex parte, derogandum esse decrevit, ob temporum et curiae rom. mutata adiuncta. Sane perpensum fuit, non expedire *ipsa processus acta* rei defensori tradere, uti praecipiebat *Litt. circul.* a. 1851. Itemque non amplius expedire visum est rei defensorem admittere apud EE. Patres in plenario conventu deliberantes, proindeque neque procuratorem fisci generalis; sed rei defensori facultatem sufficere conficiendi animadversiones EE. PP., scriptis aut typis editas distribuendas; ad operam vero supplendam procuratoris fiscalis, ipsi curiae *a qua* significanda esse quae forsan noviter deducta sint ut ista suas referret allegationes. Hae normae editae fuerunt in decreto S. C. EE. et RR. *diei 26 Martii 1886* dictam derogationem sex articulis italice conceptis ita edicente, quod latine redditum, est sequentis tenoris: « I. *Defensor rei aut reorum, seligendus inter advocatos a SS. Congregationibus adprobatos, praevio consueto deposito, caute cognitionem assu-*

mit de restrictu et apposito processu apud iudicem relatorem. II. *Quoties, ob causae qualitatem, videatur Emo Card. Praefecto opportunum, praecipitur defensori ut secretum servet interposita etiam iuramenti religione.* III. *Quum deductae fuerint scriptae animadversiones, hae, quum istud opportunum visum fuerit Emo Cardinali Praefecto, possunt communicari procuratori fiscali curiae* A QUA, *unde si hoc necessarium iste arbitretur, scriptis responsionem conficiat.* IV. *De responsione procuratoris fiscalis defensor notitiam capere potest cum necessaria circumspectione apud iudicem relatorem ut replicandi ipse polleat facultate, postremo loco et in scriptis.* V. *Ceterum prohibetur omnimode defensoris rei et procuratoris fiscalis interventus in Cardinalium conventum, dum causa proponitur ad definitionem* ». In reliquis confirmantur anteriora decreta prouti iubet art. VI ultimus. - Hodie etiam magis *oeconomica* procedendi ratio invaluit, nempe ut reus per se, non constituto defensore, agere et respondere valeat.

Apud S. Congr. Concilii expediuntur quoque causae criminales clericorum disciplinares ad normam Concil. Trid. sed nulla ordinata est specialis procedendi norma et plena fit facultas tum reo per se, aut per defensorem, tum curiae, cuius sententia appellata est, deducendi ulteriores allegationes et animadversiones. Omnium autem actorum Secretarius conficit relationem in *folio* typis edito et EE. PP. distribuendo nec non ea edere curat documenta *in summario ex officio* collecta, quae causae cognitioni necessaria videantur. Si vero aut reus aut curia aut uterque constituat defensorem, huius est et restrictum *facti et iuris*, nec non *summarium* documentorum typis edere, prouti mos est. Cf. Vol. II, n. 165 sq.

363. De remediis *extraordinariis* (quippe appellatio est medium *ordinarium*) sufficiat aliquid innuisse in prolegomenis n. 261 *in nota*, et cf. Vol. I, n. 652 sq. Sane *restitutio in integrum* non potest competere quippe haec pertinet ad rescin-

denda *acta* ab eo ipso posita qui petit *in integrum* restitui. Competit autem *querela* et *revisio*, quam memorat Decret. relatum S. C. EE. et RR., a. 1835. De *abolitione* seu *dispensatione* aut *gratia* Principis, cf. supra n. 186.

364. Executioni sententiarum fit locus, quando sententia non amplius potest appellatione impeti, siquidem transiit in rem iudicatam, prouti patitur res criminalis. Cf. supra n. 259. Aliquid singulare est in executione sententiae adversus contumacem, qua de re modo agemus.

TITULUS IV.

DE CONTUMACIA ET DE MODO PROCEDENDI IN CONTUMACES.

Summarium. — 365. Contumacia est crimen. — 366. Ex parte accusatoris vel querelam moventis aequivalet renunciationi accusationis seu querelae. — 367. Quomodo probanda sit contumacia. — 368. De effectibus contumaciae; et in specie de praesumptione criminis in contumace. — 369. Litis pendentia non potest invocari a contumace, praecipue ad determinandam causae praeventionem. — 370. De poenis in contumaces, tum ratione contumaciae, tum ratione criminis unde accusatur contumax. — 371. De ratione procedendi ad sententiam absolutoriam seu condemnatoriam adversus contumacem reum. — 372. Contumaci condemnato non competit ius appellandi.

365. Leges humanae et divinae, uti admonet Gratianus *in Decreto c. c. 1, § 4, caus. 3, q. 8; et 13, c. 3, q. 9* non patiuntur - *absentem iudicari*, - nisi in casu *contumaciae*. Sane non concipitur iudicium, nisi reus citatione apud iudicem conveniatur, suam causam dicturus antequam a iudice absolvatur vel condemnetur. Sed reus rite citatus aliquando iudici obtemperare renuit atque iudicialia acta prosequi contemnit: in hoc consistit contumacia. Unde ex contumacia oritur quaestio *incidens*, quia per se accusatio definienda esset coram reo praesente; ex adverso, ob eius contumaciam, accidit causam accusationis expediri adversus absentem. - Iure autem canonico causa contumacialis est semper *criminalis*, quia contumacia seu spretus auctoritatis iudicis, est crimen. Cf. Vol. I, n. 564 sq.

366. Porro in re civili, seu quando agitur de iuribus privatorum, adest etiam aspectus *civilis*, seu praesumpta renunciatio iuris controversi, seu iuris agitandi iudicium. In re *criminali* numquam considerari potest hic aspectus in contumacia

ex parte *accusati*, quippe interest reipublicae ut crimina non remaneant impunita; sed considerari valet aliquando (sed raro) ex parte *accusatoris*, quum nempe agitur de iis criminibus, quae non accusantur nisi ad instantiam partis laesae (n. 110). Tunc si ille, qui movit querelam, ut puta diffamationis, stato tempore non compareat, et sinat litem declarari *desertam*, revera praesumitur renunciasse querelae et inde accusatus absolvendus est ab *impetitione* accusatoris, seu per *abolitionem accusationis*. Cf. supra n. 186. Sed praeter hunc casum criminis persequendi tantum ad instantiam laesi, in aliis hodie agit promotor fiscalis, qui neque contumax esse potest neque expresse renunciare valet iuri et officio accusationis. Iure romanorum quomodo *praescriberentur actiones*, si accusator esset *privatus civis*, idemque fieret contumax, supra delibavimus n. 188. In praesentiarum nos agimus de accusati contumacia.

367. Contumaciae crimen consistit in spretu auctoritatis iudicis, quocirca aliquis est contumax, quum spreverit legitimam citationem. Ex iure communi committitur contumacia post spretam *trinam* citationem aut *unam* peremptoriam trinae aequipollentem. At ex iure particulari, seu ex stylo etiam curiae romanae, mos inolevit, ut refert Pellegrini *loc. cit.*, *P. IV, sect. XVIII, nn. 13 et 17*, *duas* tantum dandi citationes, sed necessario distinctas et, hac altera spreta citatione, incurri contumaciam. Hanc procedendi rationem amplexa est Instructio, quam modo commentati sumus art. XXIV. De cautelis adhibendis ut citationis notitia perveniat ad accusatum iam egimus.

368. Contumacia, quae per se est *crimen*, tamen est causa *incidens* et inde parit effectus in causam principalem. - Canonistae plures recensent effectus, et ad rem nostram unum et alterum considerare praestat. *Primo* ex contumacia oritur indicium criminis seu praeiudicium adversus accusatum. Nam qui iudicium fugit videtur fateri crimen, quippe is conatur iudicis effugere condemnationem qui suam culpam iudici celare non valet. Tamen

esset gravis error contumaciam assumere uti confessionem, seu plenam criminis probationem. Etenim ista constituit non levem praesumptionem, quae tamen roboranda est aliis probationibus ut plene evincatur crimen contumaciae. Contumacia vero non semper idem praebet indicium, sed aliquando gravius, veluti ex *insordescentia* in *excommunicatione*. Cf. Vol. III, n. 144. Nimirum interrogandi sunt testes, exquirenda documenta arg. *c. c. 8*, 8, *De dolo et contumacia X*, (II, 15) et 11, *De cleric. non resid. X* (III, 4).

369. *Alter* effectus hic est. Quia contumax *spernit* actum citationis, non obtinet *litis pendentiam* in sui favorem, quare potest inquiri contra contumacem in *loco domicilii*, quamvis processus inchoatus fuerit in *loco delicti*. Inde nec ille iudex, qui primo incepit processum, impedire poterit quominus alii iudices contra eumdem contumacem procedant; neque pars, quae accusavit, ut ecce, coram iudice *loci delicti*, valet de *litis pendentia* excipere coram iudice *domicilii*. Cf. Pellegrini, *Pars IV, sect. VII, n. 29*, et Bouix, *De iud. II, p. 168.*

370. Remedia, ad compescendos contumaces, comparata, suapte natura, sunt *censurae*. Inde iure Decretalium contumaces compellebantur censuris arg. c. c. 1, *De iud. X* (II, 1) et 8, *De dolo X* (II, 15). Ast Concil. Trid., *sess. 25, c. 3, De ref.* iubet in causis quoque criminalibus antea recurrendum esse ad alia remedia, veluti ad mulctas pecuniarias *piis locis assignandas*, ante quam ad censuras, quas nullimode inferre praestat, si easdem facile sperni contingat. Et hodie revera in hac versamur conditione, maxime si agatur de *laicis;* in *clericos* censurae, quatenus prohibent a divino ministerio, efficaces esse solent. - Si effectum sperare non fas sit, tunc processus instruitur et definitur adversus reum contumacem, seu eo absente, et in hoc iam continetur poena, quia contradicitur regulae - *absens nemo iudicetur - ex can. citato*. Ista sunt remedia, per se ordinata, ad compescendos contumaces.

Ipse contumax, praeterea, ratione criminis, de quo postulatur, si probationes ab accusatore deductae eumdem de crimine convincant, ea poena mulctatur, per sententiam condemnatoriam, quam crimen meretur. Tamen quia necessarius inest defectus in processu, ob rei absentiam, ita leges civiles poenam *capitalem* in contumaces non sinunt ferri, et canones *degradationem* in clericos contumaces. Pellegrini, *cit. sect. VII, n. 24.*

371. Ratio procedendi in contumaces haec est. Ad instantiam sive *privati* sive *publici* accusatoris, sive iudicis ex *officio*, proceditur ad litis *prosecutionem* et *definitionem*, antea latis censuris, aut poenis ad compescendam contumaciam, si casus ferat, prouti supra explicavimus. Litis *contestatio* non fit, sed aequipollenter *ex officio* determinari debet obiectum litis prouti erumpit ex inquisitione praehabita citationi. Verum iudex, antequam procedat ad instantiam accusatoris aut promotoris fisc., ad determinandum, ex officio, litis obiectum, loco *contestationis*, expostulare debet ut clare constet omnia expleta esse acta unde probatur rei contumacia et potissimum, nisi gravissimae obstent rationes, reum in libello *citationis* admonitum fuisse de obiecto *accusationis*. Ita probata contumacia, accusato deputatur defensor *ex officio*, cuius est adiuvare iudicem inquirentem argumenta, quae reo quoque suffragantur. Quum iudici videatur, processus tum *offensivus*, tum *defensivus* satis fuisse instructus, edit sententiam sive absolutoriam, sive condemnatoriam; et hanc omnimode curat denunciari reo. Qui si compareat et *serio* probare intendat suam innocentiam, tum quoad crimen contumaciae, tum quoad crimen principaliter *accusatum*, audiendus est et absolvendus, si utrumque probet. Si probet tantum, se a crimine accusato esse immunem, sed non a contumacia, puniendus est tantum ob contumaciam. - Denique si evincere tantum valeat se non fuisse contumacem, quippe legitimo impedimento detentum, quominus citationi responderet, processus iterum aperitur, et excipiuntur rei allegationes, tamen

caute ne collusionis fiat fraus, et novis pensatis actis iterum fertur sententia (1).

372. A sententia contumaciali non datur appellatio, ex decret. Clem. VIII, *16 Oct. 1600*, § *14*. Patet *recursus*. Vol. I, n. 656 sq.

(1) Etiam testes possunt esse *contumaces* et in eos proceditur uti supra diximus, n. 235, agentes de testibus *cogendis*.

TITULUS V.

DE PROCESSU PURE INQUISITIVO.

Summarium. — 373. Hodie processus *mixtus* aliquando explicari non potest, quia testes non reddunt attestationes nisi eorum nomina occulta maneant. — 374. Instructio S. C. EE. et RR. formas a se propositas non iussit *taxative*, sed praecepit servari *normas iustitiae substantiales*. — 375. Quando hic processus servari possit iuxta canonistarum sententiam. — 376. In eiusmodi casu inservit processus *pure inquisitivus*. — 377. In quo consistat eius *specifica* natura. — 378. Commendatur praxis adhibendi assessores seu consultores. — 379. Quomodo consulatur iuri naturalis defensionis. — 380. Utrum processui instaurando praerequiratur infamia. — 381. Appellatio deneganda non est nisi *expresse* prohibeatur a iure. — 382. Tunc iudici *ad quem* seu appellationis pandendae sunt omnes probationes in prima instantia collectae.

373. Hodie, quia Ecclesiae praesto sunt dumtaxat remedia *spiritualia*, in primis censurae, iudicia autem explicari non valent, nisi iudici in contumaces remedia praesto sint *physica* coercitiva, potissimum ad cogendos testes, contingit non semel, Ordinarium ex inquisitione speciali, vel etiam ex denuntiatione certiorem fieri de crimine et criminis auctore, sed iudicium instaurare ipsum non valere, quippe ii, qui rem cognoscunt, nolunt attestationem reddere *iudicialem*, vel quia timent odium et offensionem inquisiti, vel quia Ecclesiae spernunt auctoritatem. Sed frequentius accidit, hos nolle testes esse in foro eccles. quoniam eorum attestatio, quum civilis auctoritatis non obtineat praesidium, ipsi testes, forsan, praeter domesticas offensiones, facile sustinere cogerentur iudicialem querelam apud laicale tribunal. Huic incommodo haud difficile occurreret Episcopus si ipsi liceret testes excipere, hac adiecta promissione, se eorum nomen numquam esse evulgaturum: sed licetne hoc Episcopo,

salvo iure defensionis, quod accusato competit? Nam accusato ius est exceptiones movere tum in attestationem, tum in personam testis et, ut plurimum, aestimari non potest valor attestationis, nisi cognoscatur ipse testis. - Instructio autem in art. XVII cavet, - *accusato* PLENAM *cognitionem exhibendam esse omnium actorum processus* et hanc *plenam* cognitionem et defensionis copiam *reo* concedi in *processu mixto* satis explicavimus.

374. Verum si quaestio hisce terminis concipiatur, utrum iudici fas sit, accusato pandere dumtaxat attestationem, reticito testis nomine, quaestionis definitio danda est, attento tum iure *naturali*, tum iure *positivo*. - Ius *positivum* conditum Instructione modo explicata, certe difficultatem non facit, quia *taxative* non *praecipit* normas *mixti processus*, sed magis *consulit;* quocirca articuli *demonstrant* et laudant, generali quadam dictione, regulas processus substantiales, prouti advertitur in proemio hisce verbis art. X: « *Processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus* ». Ius *commune* Decretalium, uti explicavimus Vol. I, n. 483, ipsam *publicationem attestationum* non iussit ad *substantiam processus*, sed tantum ad normas *iustitiae*, seu prouti expostulat *ius defensionis*. - Sane in cap. 22 *De sent. et re iud. X* (II, 27) quaestio fit de appellatione interposita, quia iudex sententiam tulerat, *testium depositionibus coram partibus minime receptis nec ostensis eisdem*. Innocentius III in cit. *capite* non admittit, hunc defectum publicationis esse causam nullitatis, sed edicit, *sententiam esse confirmandam*, si constet testes revera vel non esse *suspectos* et *infensos* accusato, vel non eam fecisse probationem, quae animum moverit iudicis ad sententiam. Quare, uti *cum communi* probant Pirhing *De testibus n. 202* et Reiffenst. *De test. n. 524*, vel non publicare attestationes, vel tantum nomina non publicare testium non est defectus substantialis in processu; sed est ratio legitima appellationis, ut iudex decernat an iure vel iniuria se

gesserit prioris instantiae iudex, denegans plenam testium et attestationum notitiam. - Haec vero conclusio continet adamussim praeceptum *iuris naturalis* et planum est.

375. Haec animadversio, ni ego fallor, est maximi momenti, quippe viam aperit expeditam et certam definitioni propositae *practicae* difficultatis. Quod passim non advertentes Ordinarii vel praetermittunt reos compescere ecclesiastica coercitione, utpote, temporum iniuria, a suo ministerio impediti, vel recurrunt ad *remedium extraiudiciale*, nempe ad sententiam *ex informata conscientia;* at incidunt *in Scyllam* cupientes vitare *Carybdim.* - Nam ex *informata conscientia* non fas est procedere, nisi in *crimine occulto,* prouti infra docebimus; neque in casu a nobis expenso huius extraiudicialis remedii urget necessitas. Quamobrem Ordinarius utatur iure suo instaurans processum inquisitivum, atque enixius curet testes adhibere qui non erubescant veritatem; si vero timidos nanciscatur veritatis amicos, qui non faciunt attestationem nisi eorum nomina occulta usque manere promittatur, nec alii suppetant idonei testes, tunc iudex collectis attestationibus aliisque documentis per *specialissimam* inquisitionem, deliberabit, an eiusmodi testium dicta sint suspecta, et utrum a veritate aliena vel magis cum veritate cohaerere videantur. Ceterum iudex interrogans testes eiusmodi *occultos*, caute rationem exquiret, ob quam nolunt sua nomina evulgari. Et rationes non semel vigent adeo perspectae ut has reprobare non possit iudex, qui arbitratur prudens esse nomen occultare testis et nihilo secius plenam fidem mereri huius attestationem. - In *constitutis* reorum fit *contestatio* probationum et attestationum *secreto* exceptarum et accusatio ita aperitur inquisito ut ipse efficacius consulat suae defensioni, quoniam etsi ignorat nomen testis, tamen cognoscit substantiam attestationis. - Processus autem habetur sufficienter instructus, quum iudici videantur ex *actis* et *allegatis* inquisiti scatere aut reitas aut innocentia; quamobrem pronuncianda est sententia aut *con-*

demnatoria aut *absolutoria*. - Hic processus est *pure inquisitivus* idemque *iudicialis*, quamvis *extraordinarius;* adhiberi enim non debet nisi id expostulet ratio boni publici.

376. Quippe *extraordinarius* hic processus iure Decretalium observatus fuit in causis criminalibus adversus *haereticam* pravitatem, late sumptam. Cf. c. c. 17 et 20, *De haeret., in 6.* - Quandoquidem crimina graviora, veluti spretus vel abusus sacramentorum nec non contemptus quasi *schismaticus* potestatis Romani Pontificis per interpositam appellationem ad futurum concilium, equidem severiorem et *secretiorem* exquirunt *iudicialem* animadversionem. Cf. Pignatelli, *Consultationes novissimae, Consult. 126.* Sed isti casus *demonstrative* determinati sunt; graviora vero crimina clericorum quae hodie, hominum iniuria, compesci non valeant nisi per processum *secreto inquisitivum*, sane, pro rei gravitate, comparanda sunt *haereticae* pravitati eiusque labem in populum fovent, proindeque eadem *extraordinario* remedio inquisitionis compescere oportet.

377. Iamvero in *cap. 20, De haeret., in 6*, Bonifacius VIII ita determinat regulas fundamentales huius processus: « *Concedimus quod in inquisitionis haereticae pravitatis negotio procedi possit* SIMPLICITER ET DE PLANO ET ABSQUE ADVOCATORUM ET IUDICIORUM STREPITU ET FIGURA ». Praeterea iubetur « *quod si accusatoribus vel testibus in causa haeresis intervenientibus seu deponentibus (propter potentiam personarum contra quas inquiritur)* videant Episcopus aut Inquisitores, grave periculum imminere, si contingat fieri publicationem nominum eorumdem ipsorum: nomina non publice ea sunt ostendenda coram dioecesano Episcopo vel, eo absente, eius Vicario, etc. ». Pirhing commentatus hoc caput, *tit. De haeret.* § *VII*, docet, processum fieri posse absque libelli oblatione scriptis exarati et absque litis contestatione; « *non tamen est ommittenda citatio, et probationes ac defensiones necessariae sunt admittendae et, universim loquendo, omitti possunt quae sunt*

solemnitates iuris civilis et positivi, non tamen item iuris naturalis ac gentium, sine quibus nec iuste nec valide causae tractari possunt ». Quamobrem ratione *publicae necessitatis* permittebat Bonif. VIII processum summarium et oeconomicum et *pure inquisitivum* fieri in causis haeresis; quam procedendi rationem hodie certe non prohibet Rom. Pontifex servari in quibuscumque causis criminalibus, quotiescumque processum ordinarium non fas est aut non expedit observare.

378. Nihilo secius quia secreto procedere, reticitis testium nominibus, aut aliis quoque documentis non publicatis, grave constituit periculum ne ius pessumdetur naturalis defensionis, quod usque religiosissime permittendum est quibuscumque inquisitis, iuvat recolere cautelam, quam prudentissime praescripsit in hisce processibus idem Pontifex in cit. capite, videlicet iubens ab Episcopo, aut ab Inquisitoribus adhibendas esse *personas providas et honestas iurisque peritas « quas ad hoc vocari et eis per totum processum, super quo deliberandum est, seriose manifestari ac integraliter explicari et de ipsorum consilio ad sententiam pel condemnationem procedi volumus* ». Hanc cautelam adhibendi assessores seu consultores, quorum exquiratur votum ante sententiam definitivam, postquam iis *seriose manifestata et integraliter explicata fuerint omnia acta*, prouti in more est apud Sacras Cong. Romanas numquam satis possumus commendare iudicibus ordinariis, qui hoc pacto, secreto inquirentes et iudicantes et seipsos arcent a periculo errandi in re gravissima et suam sententiam maiore auctoritate fulciunt et exornant.

379. Isti assessores seu consultores iuris periti, ex mente Rom. Pontificis, substituere maxime debent operam advocatorum, quotiescumque hos admittere non expediat, aut iis admissis, omnia acta processus ipsis manifestare non expediat. Ceterum, in genere, naturali iuri defensionis consultum satis fuisse patet, si inquisito pandantur argumenta accusationis potiora, seu quae

maxime iudicis animum movere nata sunt, reticito et celato, quantum fieri potest, et prouti necesse est, probationis *fonte*.

380. At canonistae sedulo disserunt de requisito *infamiae*, quae praecedat oportet *inquisitionem*, ad praescriptum *cap. 24, De accus. X* (V, 1). Recolantur quae supra late explicavi n. 150; et huc referentes conceptus explicatos, advertimus, maxime quum proceditur iudicio *stricte* inquisitorio, adhaerendum esse *iuri naturali*, nempe posse instaurari processum etiam de crimine *occulto*, seu nulla praecedente *infamia*, quotiescumque crimen *iudicialiter* probari possit. Sed probato crimine, quod naturâ sua usque *occultum* manere posset, non est condemnatio edenda, quae crimen prodat et delinquentem, nisi hoc expostulat extraordinaria conditio boni publici.

381. Edita autem sententia non fas est denegare appellationem nisi expresse hoc praecipiatur a iure positivo, uti in *causa haeresis* arg. cap. *Ut inquisitionis - De haeret. in 6.* Imo eo fortius urget praeceptum iuris naturalis indulgentis praesidium appellationis quo minus plena reo facta est copia defensionis. Quibusnam in negotiis concedenda sit appellatio cum effectu tantum *devolutivo* supra vidimus.

382. In iudicio appellationis iudici *ad quem* omnes pandendae sunt probationes integre, prouti continentur in fasciculo actorum. Iudex enim appellationis id in primis decernere debet an inquisito condemnato sufficiens facta sit copia defensionis; deinde an sententia *condemnatoria* certis innitatur probationibus. Item, servatis ordinariis regulis, non prohibentur in iudicio *appellationis* ulteriores probationes. Quoties vero (et hoc adverti debet) iudex *a quo* timet ne apud Metropolitanum res secreto gesta evulgetur, denunciabit appellanti quod ipse acta processus tantum transmittet ad S. Sedem cum necessariis declarationibus.

TITULUS VI.

DE SENTENTIIS EX INFORMATA CONSCIENTIA.

Summarium. — 383. Remedium inducere oportebat ex quo crimina compescerentur attenta rerum veritate, quamvis ista probari non possent *iudicialiter*. — 384. Inde est remedium *extraordinarium, extraiudiciale*. — 385. Inductum est per extensionem in clericos *saeculares* disciplinae tunc vigentis tantum in clericos *regulares*. — 386. Est quidam regressus in disciplinam antiquiorem. — 387. Haeretici Iansenistae hac de re, damnatas sententias protulerunt. — 388. Scriptores catholici diversimode interpretati sunt textum huius legis. — 389. Decreti citati explicatur *contextus* in sensu litterali. — 390. Adhibenda est stricta interpretatio. — 391. Quomodo inoleverit hodierna denominatio *sententiae ex informata conscientia*. — 392. Nihilominus expostulantur probationes efficaces in *foro externo*.

383. Intentio legum *iure decretalium* editarum haec fuit, potissimum in re poenali-iudiciali, ordinare *forum externum* Ecclesiae, prouti hoc ab *interno* distinctum leges expostulat, quae conveniunt societati hominum *externae* (seu visibili) *perfectae*. Porro vidimus, maximo studio iudicia ita fuisse ordinata ut ratio haberetur omnium iurium, quae homini naturaliter competunt in societatem coalescenti (1). - Sufficiat recolere ordinationem iudicii *inquisitivi* inducere oportuisse ad persequendos delinquentes *accusatione* non impetitos, in primis haereticos, nihilominus caute praescriptum fuit, praerequiri *infamiam* comprobandam sub initio processus *iudicialis* uti vidimus supra n. 150 (2). - Verum effectus hic fuit, ut remedia poenalia

(1) De hoc momento historico, quo ius eccles. e fronte societatis civilis magis in dies rebellis, intendit in explicanda sua iura societatis *externae perfectae*, aliqua tetigimus Vol. III, n. 49 seq.

(2) Cf. Comment. Fagnani in cap. 4, *De temp. ord. X* (I, 11); Benedictus XIV, *De syn. dioec. XII*, cap. 8, n. 3, sq.; Bouix *De iud. eccl. II*,

sive *medicinalia*, sive *vindicativa* applicari non possent nisi in eos, qui iuxta *acta* et *probata* essent *iudicialiter* de crimine convicti. Equidem *in cap. 4, De temp. ordin. X* (I, 11) Alexander III rem ita perpendit. « *Ex tenore tuarum litterarum accepimus quod R. Clericus adeo deliquit quod si peccatum esset* PUBLICUM *degradaretur ab ordine, quem suscepit et amplius non posset ad superiores ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipsius fore* OCCULTUM *dixisti, mandamus qualenus poenitentiam ei condignam imponas* et SUADEAS ut, parte poenitentiae peracta, ordine suscepto non utatur, quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat: verumtamen quia peccatum est *occultum*, si *promoveri* VOLUERIT, *eum non debes aliqua ratione prohibere* ». Quocirca clericus aliunde certe indignus dissuaderi poterat, prohiberi non poterat a suscipiendis ordinibus vel a susceptis ministrandis. Item iubet *cap. ult., h. t. X.* - Nemo non videt, exinde grave obvenisse incommodum; quamobrem posthabito iuris rigore, prospiciendum erat ut, rerum veritate inspecta, indigni a sacris ordinibus arcerentur, unde *Trid. Conc. Sess. 14, c. 1, De Ref.*, iussit (1): « *Cum honestius ac tutius sit subiectis debitam praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire quam cum prae-*

p. 310, sq. *Des sentences episcopales dites de conscience informée*, par Mons. l'évêque de Luçon, Paris 1852; Braun *De suspensione ex informata conscientia ob occulta tantum crimina inferenda*, Wirceburgi 1868; Bassibey, *Des sentences - ex informata conscientia -* (Journal du droit canon. 1893, p. 143, sq.); Card. Cavagnis, *Inst. iur. pub.*, edit. 3, P. II, n. 57; De Angelis, *in V Decret.*, tit. 1, p. 50, sq.; Santi, *eod. tit.*, n. 8, sq.; Pierantonelli, *Praxis fori eccles.*, p. 234; Pallottini, *Pugna iuris Pontificii statuentis suspensiones extraiudicialiter seu ex informata conscientia, et imperii easdem abrogare molientis*, Viennae 1863.

(1) Facta fuit exceptio in cap. cit. ult. *De temp. ordin.* quoad crimen *homicidii*, item quoad crimen *haeresis*, ratione *irregularitatis*; et quoad religiosos viros arg. *cit. cap. 5.*

positorum scandalo, graduum altiorum appetere dignitatem; ei, 1) *cui* ASCENSUS AD SACROS ORDINES A SUO PRAELATO EX QUACUMQUE CAUSA, ETIAM OB OCCULTUM CRIMEN, QUOMODOLIBET, ETIAM EXTRAIUDICIALITER *fuerit interdictus; aut* 2) *qui* A SUIS ORDINIBUS, VEL GRADIBUS, VEL DIGNITATIBUS ECCLESIASTICIS *fuerit suspensus,* 3) *nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promovere faciendo aut ad priores ordines, gradus, et dignitates sive honores restitutio suffragetur* ». *Numeros* posuimus ex nostra industria, in textu tridentino, ut *tres* distingueremus partes.

384. Quod si advertatur apud Gratianum in *can. 1, caus. 2, q. 1.* D. Augustinum docuisse: « *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus nisi aut convictum aut sponte confessum* » respondemus hoc, in genere, spectare ad moralem certitudinem, quam iudex habeat oportet de crimine antequam sententiam edat, minime vero obstare quominus quis dicatur de crimine *convictus* aut *confessus,* etsi extra *iudicium,* prouti patet ex cit. cap. *Ex tenore* Alexandri III. Attamen quia media poenalia spectant ad forum *externum,* in quo proceditur iuxta *acta* et *probata iudicialiter*, regula generalis est, poenas non decerni nisi in reum *iudicialiter convictum* aut *confessum;* quamobrem sententia *condemnatoria* ex *informata conscientia,* seu ex morali certitudine *iudicialiter* non comparata, est remedium *extraordinarium,* utpote *extraiudiciale.*

385. Conc. vero Tridentinum non ex novo condidit hoc decretum sed exscripsit e Decretali Lucii III in *cap. 5, De temp. ordin. X* (I, 11), quae statuebat, Praelatos regulares posse suos subditos ab ordinibus sive susceptis, sive suscipiendis prohibere: « *quoniam esse potest quod Praelati eorum commissa secreta noverint ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeant sublimari* ». Fagnanus in *commentariis* ad *hoc caput* docet, cum *communi,* ad *Regulares* dumtaxat hanc disciplinam spectasse, iure Decretalium. Re sane vera ad Regulares non per-

tinebant normae iudiciales praescriptae in tit. *De accusationibus*, uti docet Reiffenst., *h. t. n. 313, sq.*

386. Quum ex applicatione iuris Decretalium, orta fuerit necessitas ampliandi potestatem Praelatorum adeo ut hi, inspecta magis rerum *veritate* quam ordinis *iudicialis solemnitate*, aliquando possent devenire ad remedia poenalia, etsi crimen *iudicialiter* probatum non existeret, sequitur, disciplinam a Tridentino Conc. inductam magis inhaesisse iuri antiquiori decernenti ob eiusmodi *occulta* crimina *publicas* indici *poenitentias*. - Tradit Thomassinus, *De vet. et nova Eccles. disciplina*, P. I, lib. II, cap. 7, n. 14, sq., eiusmodi *publicas poenitentias* ob crimina vel *occulta* in Oriente exolevisse saeculo V ineunte, in Occidente vero diutius perdurasse at raro frequentatas fuisse saeculo XII. Gratianus in *Decreto* evulgans canones *poenitentiales* antiquiorem disciplinam instaurare conatus est. Effectus autem publicae poenitentiae erat prohibere ab ordinibus suscipiendis. Cf. Phillips *Du droit eccles.*, lib. 1, § 54. Inde clericis ex iure particulari nonnullarum Ecclesiarum non solebant imponi publicae poenitentiae ne inhabiles fierent ministerio sacerdotali. Quae disciplina *indulgentiae* (ita suadente communi morum corruptela) in dies magis inolevit, quare ob *secreta* crimina *publicas* poenitentias ne laicis quidem imponi consuevit; et hi, ob *secretam peractam* poenitentiam, non arcebantur absolute a sacris ordinibus, sed *suasionibus* retrahebantur, quocirca Alexander III *in cap. 2 De cleric. non ordinat. mist. X* (V, 28), sinit eiusmodi laicum *secreto poenitentem* sacris initiari, sed eumdem monet ut ad *vitam regularem se transferat;* et idem Pontifex *in cit. cap. 4 De temp. ord.* tantum suadet ne isti *occulti* poenitentes ad ss. ordines promoveantur. Excipiuntur vero nonnulla crimina, quae etsi secreta pariunt *irregularitatem*, veluti crimen *homicidii*, uti cavet Greg. IX in cit. cap. ult., *De temp. ord.* Proinde, iure Decretalium, quum non observarentur *publicae poenitentiae*, quae indignos arcebant a ministerio altaris, determinantur

irregularitates ex delicto etiam *occulto* provenientes, *ipso iure* incurrendae (1). Cf. Vol. III, n. 187. - Quare *irregularitates*, iure Decretalium, maxime evolutae constituerunt temperamentum, quo medendum erat incommodis, ex vigenti disciplina, scatentibus.

387. Porro intentio Decreti Tridentini intimius perspici non potest, nisi prae oculis habeantur haec historica adiuncta disciplinae eccles. unde patet natura remedii *extraordinarii*, quod tamen certis limitibus continere praestat, tum ne *ordinaria* procedendi regula subvertatur, tum ne ipsum remedium impar evadat suo scopo et gravius pariat incommodum. - Haeretici Iansenistae Ecclesiae auctoritatem in *externum* regimen pro viribus extenuare studentes, impetierunt sententias *ex informata conscientia*, veluti *nullius valoris;* at hos damnavit Pius VI in Const. *Auctorem Fidei*, diei *28 Aug. 1794* (2).

388. Scriptores catholici in contrarias abierunt sententias, alii nimio exaggerantes, alii nimio coercentes potestatem Ordi-

(1) Quum sub saeculo XI et XII parum observarentur *poenitentiae publicae* et studium tunc foveretur instaurandae eccles. disciplinae, vehementer agitata est quaestio, scil. an criminosi *occulti* prohibendi essent ab ordinibus sive susceptis sive suscipiendis et hanc quaestionem agitat Gratianus in Decret. ad dist. 25, can. 7; dist. 50, can. 32, 33, 34, et ad *dist. 51, prol.* advertit: *Ecce quod criminosi, vel non vere poenitentes, vel publicam poenitentiam agentes a sacris prohibentur ordinibus* ». Et Urbanus II in Epistola ad Episc. Constantiae praecipit: « *De presbyteris, diaconis, subdiaconis, qui post acceptum ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint, sive palam, sive clam, constat quidem canonum censura ab eccles. officiis inhiberi. Tuae tamen providentiae, discretionique committimus utrum eorum aliqui, qui tamen infamiae notis non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiae urgenti et ipsorum sancta conversatione promerente, in eius gradibus recuperari debeant* ».

(2) Episcopus Lucionensis in *citata dissertatione* exaggerat *malum*, quod proveniebat ex iure Decretalium et *bonum* profluens ex decreto Tridentino.

nariis a Trid. Concilio tributam; mediam autem viam inibimus insistentes vestigiis iurisprudentiae, in primis, S. Congr. Concilii, quae innumeris responsis declaravit sensum decreti Tridentini. Equidem huius textus est suboscurus et facilem praebet occasionem interpretationibus vel contrariis.

389. Ut viam sternamus interpretationi singularum Decreti partium, iuvat antea quamdam expungere difficultatem veluti *praeiudicialem,* attingentem integrum contextum. Nam potestas *extraordinaria* continetur hisce verbis seu - *nulla restitutio suffragetur* « .... *ei cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter fuerit interdictus.* - Deinde per particulam disiunctivam *aut* ita sequitur periodus: « *aut* (ei) *qui a suis ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus* ». At iam ab edito decreto dubitatum est an haec potestas *extraordinaria* procedendi *etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter* - possit exerceri in suspensiones ferendas ab officiis sacris iam *possessis.* Ratio dubitandi aliquod fundamentum videtur habere nedum in textu, sed in ipsa subiecta materia, quia facilius quis prohibetur a iure *quaerendo* quam a *quaesito;* quippe - *turpius eiicitur quam non admittitur hospes.* - Inde hoc dubium e medio auferre non poterat nisi *authentica* interpretatio, quam saepius exhibuit S. Congr. Concilii; et resolutiones authenticas refert, inter alios, Bouix, *De iudicis II,* p. 320 et has non excribo, quia *indubie* asserunt, facultatem *extraordinariam extraiudicialem* Episcopis concessam respicere etiam *ordines susceptos* et *apposita officia* iam possessa.

390. Neque dicenda est S. Congregatio fecisse interpretationem *extensivam;* « Nam (ait Fagnanus in cap. *Ad aures De temp. ordin.*, n. 7) etsi verba illa *ex quacumque causa etiam ob occultum crimen,* etc. non sint apposita nisi in priori parte dicti capitis, ubi agitur de *interdictione;* tamen censeri

debent repetita etiam in sequenti, ubi agitur de *suspensione;* tum quia Concilium sub unica oratione ac verborum structura complectitur *interdictionem a suscipiendis* et *deiectionem a susceptis*,... tum quia alioquin Concilium, in secunda parte, nullam potestatem Episcopis attribuisset; nemini enim dubium esse poterat quin ob crimen manifestum et iudicialiter liceret Episcopis sacerdotes suspendere ». Quare interpretatio facta est *declarativa*. - Ceterum *latae* interpretationi locus esse non potest, quia res est de remedio *extraordinario* iuri communi derogante; et heic *strictam* interpretationem adhibendam esse, explorati iuris est. Cf. Vol. III, n. 78.

391. Procedendi ratio a Tridentino inibi instaurata a canonistis appellata est sententia *ex informata conscientia*. In textu Tridentino ne vestigium quidem reperitur huius appellationis, quod forsan detegere licet in cap. *Ad aures*, Lucii III quod magna ex parte, *ad litteram*, exscriptum in *ius commune* induxit idem Conc. Trid. Nam in *cit. cap.* advertitur - *quod salva conscientia nequeant sublimari* - hi occulti delinquentes. - Appellationem vero *sententia ex informata conscientia* veluti *canonizarunt* et Bened. XIV in Const. *Ad militantis* et Pius VI in Const. *Auctorem Fidei*.

392. Conscientia Praelati ita debet esse *informata* seu *instructa*, prouti expostulat negotium fori *externi*. Quare probationes non exquiruntur *iudiciales*, sed eae sint oportet *obiective* efficaces ut suapte natura inducere valeant in virum prudentem eam persuasionem moralem, quam semper concipiat et foveat Praelatus oportet edens sententiam condemnationis. Etenim hae sententiae pertinent ad regimen *fori externi*.

§ 1. *Sententiae* ex informata conscientia *tantum in crimina* occulta *eduntur quibus vel interdicitur ascensus ad sacros ordines, vel fertur suspensio ab ordine aut ab officio.*

Summarium. — 393. Hae sententiae feruntur propter *crimen*, non propter clerici *incapacitatem* seu *inidoneitatem*. — 394. At dumtaxat propter crimen *occultum*. — 395. Quodnam crimen *occultum* habendum sit. — 396. Refellitur opinio eorum qui tenent, istas *sententias* ferri etiam propter *crimen publicum*. — 397. Sed sufficit quod ex pluribus criminibus, unum tantum sit *occultum* aut *occultum* esse probetur postquam in cassum coepta est *probatio iudicialis*. — 398. Suspensiones non fas est ferre *perpetuas*. De eius duratione. — 399. De suspensione ab ordine aut ab officio et utrum haec sit *censura* aut *poena*. — 400. An liceat decernere suspensionem *a beneficio*. — 401. Violantes hanc suspensionem fiunt *irregulares*.

393. Quum ipsum Concil. Trid. in sequenti *cap. III, Sess. 14, De ref.* facultatem faciat Episcopo ut - *clericos suos, quos ad divina officia celebranda, seu ecclesiastica sacramenta ministranda minus idoneos et capaces repererit, a susceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, suspendere et illis, ne in altari, aut aliquo ordine ministrent, interdicere possit.* - S. Congr. Concilii in Calaguritana *10 Maii 1625* censuit quod, si Episcopus in vim *huius cap. III* procedat contra *clericos illiteratos*, a decreto suspensionis dari appellationem ad effectum *devolutivum* tantum, non autem *suspensivum*. Ceterum si processerit contra eos tamquam *delinquentes*, in vim *cap. 1. Sess. 14, De Ref.* seu *ex inf. cons.*, a suspensione lata nullam dari appellationem. Apud Giraldi *Ius Pont. P. II sect. 43.* Unde patet, sententias *ex informat. cons.* esse remedium *poenale* omnino *extraiudiciale* nullam admittens *appellationem*.

394. Utpote EXTRAIUDICIALE hoc medium est etiam *extraordinarium* adhibendum dumtaxat in criminibus *occultis*. - Ratio enim ordinaria procedendi in negotiis criminalibus est ut ser-

ventur normae iudiciales, uti iubet ipsum Concil. *Sess. 24 De ref. cap. 5* confirmans *cap. 24 De accus X* (V, 1). - Quare Concilium sibi contradiceret, si *in cap. 1, Sess. 14* permisisset Episcopis procedere extraiudicialiter in delictis *publicis*, quae nempe in iudicio probari valent. Et S. C. Concil. *die 22 Iunii 1582* rescripsit, Tridentinum Decretum correxisse *c. 4, tit. De temp. ordin.*, et ampliasse *c. 5 eiusd. tit.* Atqui in hoc *capite* sermo est, quoad Regularium disciplinam, de criminibus taxative *occultis*. Hanc propositionem, extra omnem dubii aleam, posuisse dicendus est, auctoritate pontificia, Benedictus XIV in Const. - *Ad militantes* - quum varios recensens casus, in quibus non datur appellatio, iis accenset *sententias ex informata conscientia*, aiens « *Item a denegatione sacrorum ordinum vel ascensus ad alios maiores; prout etiam adversus suspensionem ab ordinibus iam susceptis* OB CRIMEN OCCULTUM SIVE EX INFORMATA CONSCIENTIA, *iuxta dispositionem Sacri Concilii Sess. 14 De ref. c. 1* ». Ubi ratio loquendi ita, data opera, est concinnata ut significet - *ob occultum crim.* - et - *ex informata conscientia* - idem sonare. Nam particula - *sive* - quando media est inter duas dictiones non contrarias, sed similes, vim habet *explicativam* et *declarativam* quasi *id est*. Barbosa *Dictiones usu frequentes* - dictio 363, n. 7 et dictio 375. Et S. Congr. EE. et RR. *in relat. Inst.* a. 1880, art. 9 confirmat, potestatem procedendi *ex informata conscientia*, tamen ad normam *rescripti* S. C. Concilii in causa *Bosnien. et Sirmien. 20 Decemb. 1873*, (*Acta S. Sedis* Vol. VII, p. 569) vi cuius rescinditur sententia lata ex *informata conscientia* in crimine *publico* et *in folio* refertur iurisprudentia H. S. C. istam regulam confirmans, praecipue in una *S. Severin. 19 Sept. 1778*, in una *Lucionen. 8 Aprilis 1848*, et in una *S. Agathae Gothorum 26 Februarii 1853*. Denique S. Congr. de Prop. Fid. in *Instr.* edita *die 20 Oct. 1884* observanda in sententiis ex *informata conscientia* a. a. 6, 7, 8 praecipit, has ferendas esse tantum in *crimine occulto* et notionem

criminis *occulti* tradit admodum strictam, sane strictiorem quam non contineat facti-species in saepe citata *Lucionen. 8 Apr. 1848*. Equidem hodie praxis SS. Congregationum est ut probent hanc rationem procedendi quando crimen *neque in iudicium deduci possit, neque in rumores vulgi deductum sit.*

395. Quaeritur, quodnam crimen dicendum sit *occultum*. - Hanc quaestionem iam alias agitavimus, explicantes potestatem dispensandi in criminibus *occultis* (Vol. III, n. 112); sed in praesentiarum non est determinandum *subtiliter* quodnam crimen habeatur *occultum;* sed res *morali* modo pensanda est, seu *relate* ad remedium *extraordinarium cap. 1, Sess. 14 De ref.* Quare illud crimen, ad rem, vocamus *occultum*, quod revera *latet*, quamvis de eo forsan *suspicio* haud levis apud populum excitata sit idemque iudicio vel probari non potest deficientibus congruis testibus, aut testibus illud attestari renuentibus, vel idem probare non expedit ne gravissimum oriatur scandalum et gravius praeiudicium famae ipsius delinquentis. Tum ob crimen *occultum* sed Episcopo comprobatum per argumenta *extraiudicialia*, licet edere sententiam *condemnatoriam ex informata conscientia*. Aliquando non desunt testes, sed nolunt ipsi detegere crimen *occultum* ne offensionem incurrant et vexationes delinquentis eiusque fautorum, aut ne ipsi prodant seipsos quippe criminis conscios et conreos; attamen ab Ordinario vehementer compulsi attestationem facere spondent, dummodo haec alto condatur secreto et eorum nomen nulla prorsus ratione et sub nullo praetextu, et nemini pandatur. Praeterea crimen est aliquando *publicum* (sed non *notorium*), nihilominus illi, qui factum cognoscunt, attestationem facere vel nolunt in foro eccles. vel non faciunt nisi eis spondeatur, iudicem eorum saltem nomen se nunquam fore publicaturum. - Tunc licetne procedere ex *informata conscientia?* Iamvero si servari possit processus *pure inquisitivus* (cf. supra), in quo certe datur amplior facultas se defendendi reo et competit remedium appellationis, planum est, non

esse locum processui *extraiudiciali* quum suppetit via *ordinaria* iudicialis. Ceterum *occultum proprie et stricte* non est dicendum crimen, quod in processu *pure inquisitivo* probari potest. Quamobrem arbitror Episcopis non licere neque expedire ut recurrant ad *remedium extraiudiciale* sententiae ex *infor. consc.* quando ipsis praesto est processus *pure inquisitivus*. - Inquam - neque *expedire* - quia sententiae *ex inform. cons.* sunt *odiosae*. Hodie autem in foro eccles. adhibentur formae adeo *oeconomicae* ut difficile non sit processu, saltem *inquisitivo*, crimen *iudicialiter* comprobare et compescere. Hanc doctrinam perbelle commentatur Avanzini *Acta S. Sedis, Append. I, Tom. V, pag. 35.*

396. Bouix *l. cit.* abscisse ponit contrariam propositionem, nempe Episcopum posse *ex inf. cons.* procedere etiam in criminibus *publicis* et pag. 342 tantum ponit hanc limitationem: « *Extra casum occulti criminis, videtur Episcopus ex informata conscientia* ILLICITE *procedere quando sufficiens motivum non habet a forma ordinaria recedendi* ». Bouix secutus Episcopum Lucionen. in *cit. dissert.* sufficiens motivum reperit maxime in hodiernis conditionibus, quibus fit ut testes *cogi* non possint ad deponendum, deficiente auxilio brachii saecularis, quod si attestationem facerint iudicialem, defendi non valent adversus potentiam et offensionem accusati. Putat vero hanc potestatem Trid. Concilium amplissimis verbis concessisse quia hos casus praevidit et expresse non exclusit aiens - *etiam ob occultum crimen*. - Hanc dictionem vocat *peremptorium argumentum*.

Sed, e contra diximus, hanc sententiam esse reprobandam et reprobant communiter omnes DD. seu ut praetermittamus antiquiores, De Angelis, Santi, Pet. Rota, Card. Cavagnis, Pierantonelli. Equidem hi duo postremi admittunt procedi posse *ex inf. cons.* etiam in crimen *publicum*, seu fama vulgatum quotiescumque, deficientibus testibus, aut *sine periculo* in foro eccles.

probari istud non valet, quocirca *iudicialiter occultum* habendum est. - Differunt vero substantialiter a Bouix, quia hi asserunt, *nullius* esse valoris sententiam ita pronunciatam nisi excuset dicta necessitas, dum Bouix ait, istam esse tantum *illicitam*. Verum, prouti hodie est praxis SS. Congr. et Concilii et EE. et RR. strictissime intelligendus est casus necessitatis, seu quando nullimode servari possit processus ordinarius vel *pure inquisitivus* (1). Caret vero fundamento opinio Bouix autumantis *peremptorium argumentum* fluere ex verbis Concil. - *etiam ob occultum;* - siquidem illa dictio - *etiam occultum* - aliquid *addit* antecedentibus verbis - *quacumque ex causa* - seu uti ferri possunt *inhibitiones* aut *suspensiones* ob defectum sanctitatis necessariae aut scientiae, ita etiam ob *occultum crimen*. Non secus ac ad verbum *quomodolibet* sequitur declaratio *etiam extraiudicialiter*. Cf. Barbosa, *Diction. usu frequent. dict. 112;* et Monacelli, *op. cit. tom. 2, tit. 15, form. 5, n. 15.*

397. Si contingat aliquem pluribus foedari criminibus, quorum unum dumtaxat est *occultum* et hoc urget compescere, Episcopo integrum est procedere *ex inf. const.* - Ad rem Pignatelli *Consult. 8, tom. 9, n. 5* ait: « *Quatenus censurae prolatae super pluribus delictis non substinerentur super unoquoque illorum, satis tamen est, quod ex uno tantum comprobaretur*

(1) Nimis insistendum non est in cit. causa *Lucionen.* quia omnino peculiaria erant eius adiuncta. Cl. D'Annibale qui *in Summ. edit. 2,* I *n. 384, not. 48* ad quaestionem - *utrum suspensiones huiusmodi ferri possint ob delictum publicum* - respondit - *sententiam affirmativam menti Concil. Trid. melius congruere;* - tamen in 3ª EDIT. correxit suam sententiam postquam perpendit iurisprudentiam S. Congr. Concil. docte explicatam a Petr. Rota; et in textu abscisse docet *n. 385,* has sententias ferri non posse *propter delictum publicum* - et in *not. 56* tantum *putat contrariam sententiam non adversari menti Tridentini.* Sed quia mentem Tridentini *authentice* interpretata est S. Congr. Concilii, hodie eiusmodi sententia non est *practice tuta.* Cf. S. C. C. rescriptum in una Perusin. *26 Sept. 1795.*

cum unum quodque sufficiens sit ad illas incurrendas ». Huic facit cit. *Lucionen. susp. 8 Ap. 1848*, et rescriptum S. C. C. *diei 27 Feb. 1875* apud *Acta S. Sedis* Vol. VIII, p. 547 sq.

Item si inchoato iam processu crimen nullimode probari valeat maxime, quia testes, rerum gnari, attestari recusant, Episcopus reum, *ex causis sibi notis*, condemnare valet. Cf. Pierantonelli, *p. 249*. Sed nemo non videt quam gravis sit haec procedendi ratio, quam non adhibebit Episcopus nisi certissimae sibi praesto sint *extraiudiciales* probationes.

398. Poenae, quas consentit ferri Tridentinum Decretum sunt *interdictio* ab ordinibus *suscipiendis* et *suspensio a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus eccles.* De *interdictione* ab ordinibus suscipiendis nulla quaestio. - De *suspensione* primo quaeritur an possit decerni *perpetua*. Et S. C. C. *die 14 Iulii 1583* censuit, istud decretum habere locum tam in suspensionibus temporaneis quam in perpetuis. Cf. Giraldi *l. cit.* Et *temporanea* dicitur suspensio indicta ad *beneplacitum Episcopi*, quippe tempus eius administrationis non excedit. Cf. De Angelis *l. cit. pag. 89*. - Sed notat extensor *Folii-Lucionen. cit. 8 Ap. 1848*, hodie S. C. C. recessisse ab antiqua praxi et non tolerare, suspensiones *perpetuas*, utpote aequipollentes privationibus. Et citatur decisio in una *S. Severini 19 Sept. 1878* et *Placentina 26 Feb. 1848*. Quare suspensio *indefinite* edita intelligitur *temporanea*, seu quousque suspensus aliquod dederit resipiscentiae signum. - Sed latae *absque definitione temporis* non dicenda est expirare, quasi *praeceptum*, quod resolvitur, aut morte aut translatione Praelati ferentis suspensionem. Cf. De Angelis *l. c. p. 89* qui cum communi hoc docet et rationem affert, quia sententia *ex inf. cons.* non differt a *iudiciali* nisi ratione *solemnitatum*. Quod certe admitti non potest, sed ratio repetitur a natura horum praeceptorum, quae pertinent ad externum Ecclesiae regimen, quaeque non resolvuntur, resoluto iure praecipientis; uti late explicavimus (Vol. III). - Verum tempo-

ranea habenda est suspensio seu ad vitam ferentis, si inferatur *ad eius beneplacitum*. Ita communis opinio DD. quae excepta est in Instr. S. C. de Prop. Fide *diei 20 Oct. 1884 n. 5* (1) ubi gene-

(1) En Instr.: « Omni tempore sollicita fuit Ecclesia ut non solum ascensus ad sacros Ordines interdiceretur indignis, verum etiam ab eorumdem exercitio criminosi suspensi manerent.

« Cum autem occultorum quoque criminum quaeque prodere non expediret, facilis et prompta, nempe a iudicialibus formis libera, coercitio aliquando necessaria sit ad sacri ministerii dignitatem et fidelium utilitatem tuendam; hinc sapientissimo consilio Tridentini Patres *sess. 14, cap. 1, De ref.* decreverunt: « Ei, cui ascensus etc. ».

« Ex hoc provido decreto, in eo quod refertur ad clericorum crimina, quae extraiudicialem suspensionem ab ecclesiasticis officiis merentur, iamdudum in usu fuit suspensionis poena ex causis Praelato notis, quae nempe audit *Suspensio ex informata conscientia*. Ad hoc itaque ut in eadem infligenda, cum maiori qua potest cautela et securitate Ordinarii catholicarum Missionum procedant, S. Congregatio de Propaganda Fide praesentem instructionem edendam censuit, cui iidem Ordinarii, in adhibendo hoc extraordinario remedio, sese conformare curabunt.

1. Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa quae per iudicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.

2. In hoc praecipue differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad eiusdem impositionem non requiruntur nec formae iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit proinde, si Praelatus hanc poenam infligens simplici utatur praecepto, quo declaret se suspensionem ab exercitio sacrorum officiorum vel ecclesiasticorum munium indicere.

3. Huiusmodi praeceptum semper in scriptis intimandum est, die et mense designato; ideoque autem fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem autem intimatione exprimendum est quod eiusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini Decreti *sess. 14, cap. 1, De ref.* ex informata conscientia, vel ex caussis ipsi Ordinario notis.

4. Debent insuper exprimi partes exercitii Ordinis vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio, cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta Oeconomus in cura animarum,

ralis regula ponitur, *exprimi debere tempus durationis eiusdem poenae*. - Haec regula non facit *ius commune;* sed ad *ius comm.* hodie pertinet alia regula, scil. hodie *has suspensiones non ferri perpetuas.*

399. Quod si S. C. C. non semel censuit, suspensionem *ex inf. cons.* latam sustineri etsi *perpetuam*, hoc factum est quia haec suspensio fertur etiam non uti *censura* sed uti *poena.* Nam censuris necessario praemittendae sunt *monitiones*, quae, per se, non expostulantur in sententiis ex *inf. cons.* latis ut plu-

tunc substitutus mercedem accipiet ex fructibus beneficii in ea portione, quae iuxta prudens Ordinarii arbitrium taxabitur. At si suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud Curiam Archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

5. Exprimi debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

6. Suspensioni ex informata conscientia iuxtam ac legitimam causam praebet crimen seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.

7. Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, ut neque in iudicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognita sit ut delictum censeri debeat notorium.

8. Verum tenet etiam suspensio, si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus: aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

9. Prudenti arbitrio Praelatorum relinquitur suspensionis causam, seu ipsam culpam delinquenti aut patefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et charitatis eorumdem erunt, ut si istiusmodi poenam suspenso manifestare censuerint, ipsa ex paternis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi eliminandam inserviat.

10. Meminerint vero Praesules, quod si contra decretum, quo irrogata fuit suspensio, promoveatur recursus ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam comprobari debet culpa, quae eidem praebuit occasionem.

rimum, non significata reo causa suspensionis. Nam S. C. C. in una *Vercellensis 21 Martii 1643*, censuit « *non teneri Episcopum exprimere delictum seu causam suspensionis ipsi reo sed tantum Sedi Apost. ad quam recursum habuerit* ». Nihilominus maxime congruere potestati et officio Episcoporum, his quoque sententiis praemittere *secretam paternam monitionem* et hanc praxim nullimode adversari rescripto S. C. C. docte probat P. Rota *op. cit. n. 528*, cui plenissime assentior. Verum quia suspensio *perpetua* aequivalet privationi officii, Suarez, *De*

Consultum idcirco erit, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius, quamtumvis extraiudicialiter et secreto colligantur; ita ut eo ipso, quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae ut plurimum occurrunt in istiusmodi iudiciis.

11. A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, eiusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

12. Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem; et in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. Interim tamen in vigorem permanet decretum suspensionis, usquedum ab ipso Pontifice vel a S. Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

13. Coeterum ex quo istiusmodi poena est remedium omnino extraordinarium, quod praesertim ad expiationem criminum absque formis iudiciariis adhibetur, prae oculis habeant Praelati id quod sapientissime admonet Summus Pontifex s. m. Benedictus XIV in suo tractatu *De Synodo Dioeces., lib. XII, cap. 8, n. 6*, quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua Synodo declaret, se deinceps ex privata tantum scientia cum poena suspensionis a divinis animadversurum in clericos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere ».

cens. disp. 30, sect. 1, n. 11 sq. visa est poena nimis gravis ut imponeretur non servato ordine iudiciali. Sed si praemittantur mohitiones, censuram iure merito appellabimus hanc suspensionem: cf. *Inst. C. P. F. a. 9.*

400. Textus Tridentinus clare iubet hanc suspensionem fieri posse *ab ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus eccles.;* exinde vero nonnulli DD., uti cl. Santi et Pierantonelli autumant, facientes interpretationem *extensivam in re criminali* (Vol. III, n. 79), suspendi posse etiam *a beneficio*. Sane hos non sequimur cum communi DD., quamvis suspensio *ex inf. cons.* per consequens, secumferat fructuum beneficii diminutionem in eius possessore, qui per alium munia implere tenetur. *Inst. S. C. de P. F. n. 4.* - Hodie apud competentes Cong. RR. adhibetur rigidior interpretatio huius remedii *extraordinarii,* potissimum quia hodie post editam Instr. a S. Congr. EE. et RR. *diei 11 Iunii 1880,* expeditissima est norma processus in causis criminalibus. Exinde Episcopi caveant, ne per sententias *ex inf. cons.* suspendant *a beneficiis.*

401. Clericus taliter suspensus etsi statim recurrerit ad S. Sedem, tamen si audeat ordinem suspensione prohibitum exercere fit *irregularis*, uti cavet cit. *Instr. S. C. de P. F. n. 11,* et iam censuit S. C. C. in una *Sagonen. 21 Iun. 1625* et in cit. *Lucionen. 8 Apr. 1848;* itemque in litteris a S. C. C. datis ad Nuntium Venetum (apud Ferraris Bibl. v. *Suspensio art. 1, n. 25).*

§ 2. *Cuinam competat potestas ferendi eiusmodi sententias et in quosnam ferri possint.*

Summarium. — 402. In decreto Trident. nomine Praelatorum in primis veniunt *Episcopi* neque excluduntur *Praelati Regulares.* — 403. An comprehendantur alii Ordinarii, veluti Praelati Nullius, Vicarii Apostolici, Administratores Apost., Vicarii Capitulares. — 404. De Vicario Generali. — 405. Eiusmodi sententia fertur in *laicos,* qui ar-

centur a s. ordinatione. — 406. Fertur in *clericos* etiam arctatos ad ordines ratione beneficii. — 407. An et quando *ferri possit* in *clericos* regulares.

402. In *c. 1, sess. 14 De ref.* Concilium appositam facit potestatem *Praelato*. - *Praelati* nomine venire in primis Episcopos, nullum est dubium quippe immediate in *prŏemio* Sessionis asseritur, sequentes edi canones *ut Episcopi liberius* suum munus explere valeant. Appellationem autem adhibuit Concilium valde latam quum vellet comprehendere, universim, omnes *Ordinarios* quibus commissum est clericorum tueri disciplinam. - Itaque hoc decreto certo comprehenduntur etiam *Praelati regulares*, quum Tridentinum C. ad clericos *saeculares* ampliaverit disciplinam vigentem in *regulares* in *cap. 5 De temp. ord.*, et Praelatos regulares comprehendi rescripsit S. C. C. *die 11 Decemb. 1621* et in cit. *Sagonen. 21 Iunii 1625*. Cf. Giraldi *l. c. not. 2.*

403. Inde excludendi non sunt Praelati *Nullius* et Vicarii Apostolici, siquidem obtinent iurisdictionem ordinariam et iure merito accensentur Praelatis seu Ordinariis. Istos comprehendit cit. *Instr. de P. F. in prol.* et rem amplius non dicemus dubiam post decreta S. Officii *20 Feb. 1888* et *26 Nov. 1897*, declarantia, quinam veniant nomine Ordinariorum. Hisce adnumerandus est etiam *Administrator Apostolicus*. Vol. II, n. 353.

De Vicariis *Capitularibus* docet De Angelis *l. c. p. 51:* « *Probabile autem est, eamdem potestatem tribui capitulo, sede vacante, ac proinde Vicariis Capitularibus, qui noscuntur habere iurisdictionem episcopalem, praeter casus iure vel Ecclesiarum consuetudine exceptos* ». Certe est longe conformior rationi loquendi Tridentini C., Vicariis Capitularibus istam adiudicare potestatem, quia *latissima* est appellatio *Praelati* idemque postulat notio ordinariae iurisdictionis, quam obtinet iste Vicarius. Quare certe *nullitatis* accusari non posset eiusmodi sententia a Vicario Cap. edita, quia omnia praestare valet acta potestatis Episcopalis, nisi haec *expresse* inveniantur excepta.

Ast ob gravitatem remedii *prudens* est, ut ad hoc non recurrat nisi gravissima urgente necessitate. Argumenta contradictorum cf. apud Bassibey *l. c. p. 343.* Cf. *Instr. S. C. de P. F. a. 3.*

404. De Vicario *Generali* ait Giraldi *l. c. not. 2:* « *An autem competat etiam Vic. Generali Episcopi, merito dubitare posset, cum ex cit. cap. Trid. videatur attributa esse solis Episcopis et Praelatis* ». Quoad Vicarios autem Generales ipsum *probabile* dubium impedit, quominus hanc potestatem isti exerceant, siquidem ista negotia, quae aestimantur *communiter graviora*, non praesumuntur comprehendi in mandato generali, nisi *expresse* committantur. Cf. De Angelis *l. cit.*

405. Hactenus de subiecto *activo*. Subiectum *passivum* huius potestatis in primis sunt *laici*, qui a s. ordinatione *ex quacumque causa*, seu ratione *naturalis* inidoneitatis, aut inhabilitatis, *etiam ob occultum crimen, quomodolibet* seu *etiam extraiudicialiter* comprobatum, prohiberi possunt a suo Praelato (1).

406. Quoad *clericos* saeculares S. Congr. Concilii *die 22 Iunii 1682*, uti refert Giraldi *l. cit.* censuit decreto *sess. 14, c. 1,* comprehendi quoque clericos saeculares etiam dignitates vel beneficia, quibus adnexus sit ordo, obtinentes, tam quoad facultatem prohibendi ascensum ad ordines, quam etiam suspendendi, ipsisque facultatem appellandi ademptam esse. - Hinc

(1) Ad rem iuvat advertere responsum S. C. C. in Rhemensi *die 21 Apr. 1668* relatum a Bened. *De Syn. XII*, 8: « Quum nullus ordinari debeat, quem Episcopus suae Ecclesiae utilem aut necessarium non iudicaverit, Congr. non semel declaravit, ab huiusmodi iudicio nullam dari appellationem, sed recursum tantum ad Sedem Apost. quae iuxta ipsius S. Congr. sententiam per Gregorium XIII approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit aliquem ordinare, Metropolitano aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eumdem recusatum ordinare ». Cf. Decisio S. C. C. in causa *Neapolitana, 15 Apr. 1848.* Lingen et Reuss, *Causae Select.*, S. C. C., p. 4.

nihil refert, an beneficia sint simplicia aut duplicia, curata aut non curata. - Clerici etiam *arctati* ad ordines prohiberi valent ne promoveantur, sed interim non incurrunt poenas, quas patiuntur *arctati* ordines suscipere negligentes; uti rescripsit S. Congr. C. *die 22 Iunii 1682;* apud Giraldi *l. cit.*

407. De clericis *regularibus* haec tradit Giraldi *l. cit.:* « Potest etiam Episcopus *ex inf. cons.* suspendere ab audiendis confessionibus Regulares, licet a se cum nulla temporis limitatione approbatos, ex nova superveniente causa confessiones concernente, absque eo quod teneatur eam ipsis Regularibus significare, ut declaravit Clem. X Const. *Superna, 21 Iunii 1670*, § *Et eos.* Item ex Const. Benedicti XIV *Apost. ministerium, 30 Maii 1752,* potest Vicarius Apostolicus pro missionibus Anglicanis deputatus amovere, inconsultis superioribus, Regulares Missionarios sive ineptos sive delinquentes in sacramentorum administratione; sicut et Superiores Regulares inconsulto Vicario ». Cf. Bened. XIV, Const. « *Firmandis* ». *6 Nov 1744*, § 11.

§ 3. *De normis servandis in his sententiis ferendis.*

Summarium. — 408. Praemittenda est inquisitio *specialis* et *specialissima* ad informationem curiae. — 409. Quomodo processus remaneat *extraiudicialis.* — 410. An sententia *in scriptis* edenda sit. — 411. Quaenam prudenter significanda sint in sententia, et, in primis an denuncianda sit causa suspensionis. De monitione *paterna* praemittenda. — 412. Ab hac sententia nulla competit appellatio sed tantum *recursus* ad S. Apost. — 413. Sed appellationi ordinariae est locus si aliqua subsit *incidentalis* causa.

408. Mirum esse non debet si loquamur de regulis servandis, dum editur sententia *ex inf. cons.* quia, etsi haec sit *extraiudicialis,* tamen normae nonnullae observandae sunt accomodatae gravitati negotii. - In primis, Ordinarius sibi comparet oportet eas probationes, quibus instructa eius *conscientia.*

integrum ei sit procedere ad *condemnationem*. Probationes obtinentur per inquisitionem *specialem* et *specialissimam* institutam ad curiae informationem, ut supra explicavimus. Probationum autem collectarum servandum est in curia *scriptum* documentum, vel saltem attestationes adeo certae etsi *viva voce* habitae exquirantur, quas testes, omni exceptiones maiores, spondeant se iterum illas fore repetituros, si opus sit ad probandam curiae agendi rationem apud S. Sedem.

409. Etenim quia hoc remedium est *extraiudiciale*, sequitur illa acta quae rem faciunt *contentiosam* seu *iudicialem*, non requiri nempe rei *citationem*, litis *contestationem*, *publicationem* processus *inquisitivi* seu *offensivi* ut fiat locus *defensionibus* rei, sed exposci illas cautelas quae rerum veritati detegendae natae sunt. Ideo Ordinarius seu Praelatus qui ferret talem sententiam, suae tantum innixus persuasioni, *probationibus destitutae*, limites transgrederetur suae potestatis et actum invalidum poneret. S. C. C. in *Oritana 20 Aug. 1735*, in *Bojanen. 9 Maii, 27 Iun. 1744.* Bouix *l. cit. n. 323.*

410. *Scriptis* proferendam esse eiusmodi sententiam *ad substantiam* actus, nullo textu iuris praecipitur: S. C. C. ita censuit in *Savonen., 14 Sept. 1782.* Utique, in *Instr. S. C. de P. F. art. 3*, hoc iubetur, sed non inde efformatur ius commune, quamvis perspectissima enuncietur prudentiae regula. Et hodie nisi certae et vehementes explicentur rationes, non probaretur a S. R. Congregationibus ratio procedendi Ordinarii, qui *viva voce* denunciaret decretum suspensionis; est enim res gravissimi momenti. Hoc declaravit S. C. C. *die 5 Sept. 1803.*

411. Quum *scriptis* praestet ferre sententiam, 1) necessario tunc signatur et *dies et mensis*, quibus editur, unde sumatur initium suspensionis. 2) Haec non *perpetua* sed ad tempus *determinatum* ferenda est, nisi Ordinarius tempus relinquat *indeterminatum*, quippe suspensionem ferre studuit ad *censuram*, nempe praeviis monitionibus et, in primis ad emenda-

tionem sed, per se, iure *communi*, gravi de causa ferri valet etiam absque definitione temporis. Cf. supra n. 389. 3) Ita concipiatur decretum suspensionis ut Ordinarius manifestet se uti facultate sibi concessa a Trid. *Sess. 14, cap. 1*, seu ex *causis sibi notis*, uti fert stylus harum sententiarum. 4) Suspensionis poena determinanda est clare, ut pateat quamnam partem sacri ministerii aut officii plectat et prohibeat. 5) Si suspensus cogatur per alium explere munus a quo est suspensus, expedit designari ab ipso Ordinario *substitutum* in officio, cui certa assignatur portio redituum de praebenda clerici suspensi. Haec assignatio non est in poenam, sed est provisio pastoralis ne salus animarum quid detrimenti capiat, seu est negotium *incidens*. 6) Ordinarius non tenetur manifestare causam suspensionis, uti edixit S. Congr. C. in *Vercellen. 21 Martii 1743*. Verum nihil prohibet quominus causa manifestetur si hoc conducere Ordinarius arbitretur ad rei emendationem. Cf. *Instr. S. C. de P. F., art. 9*-7) Denique magnopere praestat praemittere *monitionem paternam* nedum ut curetur emendatio, sed etiam ut pateat an rationes collectae *in inquisitione* aliquam forsan patiantur *exceptionem*, quae illarum vim dissolvit; uti recte monet Pierantonelli *l. cit., p. 238*. - Praeterea quia violatio huiusmodi suspensionis secumfert *irregularitatem* patet, hanc suspensionem, ex ipsa intentione iuris, indolem referre *censurae*, uti notat P. Rota *l. cit.* et uti late explicavi, *Vol. III, n. 225*.

412. Ab hac sententia *ex inf. cons.* nulla competit appellatio, quippe statuit Trid. Conc., - laico taliter interdicto a promotione vel clerico suspenso, *nullam suffragari restitutionem*, seu petitionem iuridice formalem ad restitutionem, videlicet remedium appellationis. Pluries hoc fuit decisum. Cf. Benedictum XIV Const. *Ad militantis*, § 22; S. C. C. rescripta *diei 22 Iunii 1682* et in *Bononien., 14 Nov. 1654*, in *Capritan., 18 Decemb. 1730*; et *Instr. S. C. P. F., a. 11*.

413. Attamen si in negotium suspensionis aliquod miscea-

tur negotium incidens, veluti assignatio *substituti* vel *mercedis* determinatio, et clerico suspenso videatur inde sibi derivari gravamen, tunc, seu hac ex parte, locus est appellationi quoad utrumque effectum *suspensivum* et *devolutivum* et servatur gradus hierarchicus per appellationem interpositam apud Metropolitanum; uti cavet cit. *Instr. S. C. P. F., a. 4.*

TITULUS VII.

DE PROCESSU IUDICIALI IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

Summarium. — 414. De causis matrimonialibus sermo fit, suapte natura, *iudicialibus.* — 415. De causis *incidentibus* quoad effectus matrimonii separabiles, et de dispensatione a matrimonio rato et non consummato. — 416. Quidnam habeat speciale hic processus. — 417. An per transactionem praeveniri aut finiri possit contentio iudicialis. — 418. — An compromitti valeat in arbitros. — 419. Attamen si fieri possit, a iudice aut a probo viro, de *mandato iudicis,* sedulo tentanda est *concordia.* — 420. Processus iudicialis est *oeconomicus* (summarius) quamvis *speciales* contineat *regulas.* — 421. Hae causae agitantur vel in *possessorio* vel in *petitorio.*

414. Huius tractationis institutum est disserere de negotiis matrimonialibus matrimonium christianum respicientibus quorum definitio repetatur a sententia *iudiciali* fori eccles. Siquidem plures quaestiones exoriuntur, hac de re, resolvendae *extra iudicium*, veluti an in tali casu vigeat vel minus impedimentum dirimens aut impediens matrimonium contrahendum, quae tamen controversiae fiunt *iudiciales* statim ac post initum contractum *sponsalitium* aut *matrimonialem,* istarum definitio exposcitur ab eo, cuius interest appositam obligationem aut probare, aut reiicere. - Quamobrem hic comprehendimus quascumque causas respicientes aut *sponsalia* et iura inde consequentia in sponsos, aut *matrimonium* et nupturientium iura. Siquidem iura provenientia ex uno alterove actu, instructa sunt quoque *actione iudiciali*, unde repetitur *a*) *adiudicatio* iuris seu observantia vel promissionis sponsalitiae vel obligationis matrimonialis, veluti ad ineundam aut restaurandam consuetudinem coniugalem, ad obtinendum debitum. *b*) Repetitur etiam *adiudicatio* libertatis a quocumque vinculo, seu exposcitur irrita declarari sponsalia, aut irritum ipsum matrimonium, aut separatio postulatur quoad torum

et cohabitationem. - Illud est singulare in his causis ut quum agatur de matrimonio utpote *sacramento*, iurium inde fluentium tutela seu *actio iudicialis* non tantum competat partibus, sed ipsi Reipublicae, quae sinere non potest ut sacrum matrimonii foedus aut per coniugum desidiam, aut per collusionem foede proculcetur. - Partes Reipublicae agit promotor fiscalis seu defensor matrimonii *ex officio*.

415. Causis matrimonialibus accensendae sunt eae, quae spectant ad *effectus* (quos vocant) *matrimonii separabiles*, veluti dotem, donationes propter nuptias, haereditariam successionem, legitimitatem filiorum, quatenus hae fiunt quaestiones *incidentes*. - Nam hae causae agitantur *dupliciter;* scil. vel *incidenter*, seu occasione alterius causae matrimonialis iam legitime instauratae apud iudicem eccles. vel in via *principali*, seu quum de istis instauratur instantia, ut de obiecto *principali* et *directo*. Et quia *accessorium sequitur principale (Reg. iur. 42, in 6)* hae causae *incidenter* exortae adnumerantur causis matrimonialibus, suopte iure, spectantibus ad forum eccles. - E contra hae causae consideratae per se, uti *principales* sunt causae mere *civiles* et *profanae*. Cf. Benedict. XIV, *De Syn.*, IX, *c. 9, n. 5.*

Praeterea quia S. Pontifici ius est relaxandi, per *dispensationem*, matrimonium *ratum* et *non consummatum*, si quis petat dispensationem, haec nunquam conceditur nisi rite constet de veritate non secutae consummationis. Ad hoc instituitur processus, et inde enascitur causa *matrimonialis iudicialis* quae revera est in suo scopo *graliosa* - seu ordinata - ad *dispensationem*, sed *iudicialis* in processu instituto ad veritatis inquisitionem (1).

416. Hae causae, utpote *iudiciales*, expostulant servari regulas ordinis iudicialis; utpote vero *matrimoniales*, seu non

(1) De criminibus *mixti fori* egimus *Vol. III, n. 44 seq.* Quod si agatur de *mero facto* veluti de *adulterio* sub simplici ratione *facti* est competens etiam iudex *laicus*.

respicientes obligationem *sponsalitiam* e sponsalibus ortam, sed ipsum sacramenti *valorem* aliquid singulare habent; nam gravissimum continent negotium attingens bonum publicum, unde in sua tractatione comparantur causis *criminalibus*, adscito promot. fiscali. Imo hisce graviores sunt; quare nonnullas omnino singulares habent normas processus et has modo exponemus.

417. Historia iuris can. docet, nunquam permissum fuisse christianis, *(arg. can. 48, Apost. et c. c. 1, 3, 4, caus. 33, q. 2)*, arbitratu suo, dissolvere in *perpetuum* vitae coniugalis consuetudinem, etsi impedimentum *dirimens* in probatis existeret, aut pene esset notorium; aut coniugalem conversationem intermittere per separationem quoad torum et cohabitationem etsi causa *legitima*, utputa *adulterium*, ultro admitteretur a coniuge infideli. Nam harum causarum cognitio et definitio reservata est iudici ecclesiastico. - Verum, ne fiat aequivocatio, distinguenda sunt iura, quae sunt firma et inalienabilia non minus quam ipsae obligationes derivatae a vinculo sacramentali, ab aliis iuribus, quae obnoxia sunt sive transactioni sive renunciationi. Huiusmodi sunt iura *sponsalium*, quibus sponsi renunciare possunt, dissolventes, mutuo consensu, sponsalia. Item, adversus coniugem adulterum, innocens coniux ius habet instaurandi instantiam *iudicialem* ad obtinendam *tori* et *cohabitationis* separationem; sed huic iuri valet renunciare vel ante instantiam, vel instantia iam inchoata, vel postquam istud ius sententia definitiva ipsi adiudicatum fuit. Ast ad istam separationem quod attinet, datur transactio seu conventio in *renunciando iure* ad separationem, sed transactio seu conventio non admittitur ad separationem *perpetuam* ineundam.

418. Huiusmodi iura, quae non sunt aliena a privata conventione partium, utpote quae mutuo consensu a sponsis aut a coniugibus determinantur aut rescinduntur, item submitti possunt arbitrorum *compromisso* et planum est.

419. Verum iudex eccles., quotiescumque sive sponsi sive

coniuges aliquam ad eum deferant controversiam, quam componere valent vel per renunciationem instantiae iudicialis vel aliter per transactionem, iudex inquam eccles. instabit ut partes ad concordiam adducat, quando ex hac concordia sperare fas sit, illa vitari mala, quae sequuntur sive ex dissolutis sponsalibus sive ex dissociata vita coniugali, ut ecce per dispensationem a matr. rato et non consummato. Item adducere praestat contendentes ut, potius quam litem inire de dubio impedimento, sibi comparent *dispensationem* aut *revalidandi* matrimonii facultatem. Onus conciliationis ineundi committitur utiliter a iudice cuidam viro prudenti, potissimum animarum curatori, qui vehementer ad pacem allicere valet contendentes. Cf. art. 133, *Inst. Aust.* - Supervacaneum est advertere causas *matrimoniales* a causis *sponsalitiis* toto coelo distare, et vinculi sponsalitii *dissolutionem*, maxime ex mutuo consensu, adiuvare, persuadere sponsis aliquando praestat quia *coacta coniugia solent difficiles exitus habere, cap. 17, De spons. X* (IV, 1).

420. Ordo iudicialis in hisce causis servandus est *oeconomicus* seu *summarius*. Sane antequam Clemens V constituerit processum *summarium* Innocentius III in cap. 1, *Ut lite non contest. X* (II, 6) aiebat: « .... *licet ordo iudiciarius in aliis controversiis sit servandus et in matrimonialibus causis non usquequaque servetur* .... » (1). Sane hae causae, celerem expeditionem expostulantes, abhorrent a solemnitatibus ordinis iudiciarii, et Clemens V, in const. 2, *De iud.* (II, 1), in Clement. morem tractandi *oeconomice* has causas diserte confirmavit. Verum in hisce iudiciis si amputandae sunt solemnitates, tamen nullae nimiae erunt cautelae adhibitae ad prae-

(1) Patet minime probabilem esse sententiam Bouix, *De iud. II, p. 446* opinantis, hodie causas de *valore* vinculi matr. *oeconomice* non *amplius esse pertractandas* post tot Const. Pont. et Instruc. editas a S. Sede. Etenim normae hisce decretis praescriptae non ordinant aliquam *solemnitatem*, sed pleniores et firmiores exquiri *probationes* iubent. Vol. I, n. 593.

cavendos errores, quippe *quod Deus coniunxit, homo non separet.* Hae cautelae non spectant ad *solemnitatem* ritus, sed directe ad *inquisitionem* veritatis. Huc intendunt Const. Benedicti XIV., « *Dei miseratione* »; item Instructio S. Officii (absque *data* edita) observanda: - *in conficiendo processu super viri impotentia et non secuta matrimonii consummatione, accedente S. Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum* Bullae Bened. XIV " *Dei miseratione* ", *servata tamen in substantialibus;* itemque Instructio S. C. C. « *Cum moneat Glossa* » diei 22 Aug. 1840 *pro confectione processus in causis matrimonialibus.* - Alia prae oculis habenda sunt rescripta edita sive a S. C. C. sive a S. Officio quae, data occasione proferemus. - Denique utilem normam suppeditat Instructio S. C. S. Officii die 20 Iunii 1883 data ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos rituum orientalium. Hanc eamdem Instructionem S. C. de P. F. dedit, eodem anno ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae, mutatis tantum tribus vel quatuor articulis respicientibus peculiaria locorum adiuncta. Passim quoque citabimus *Instructionem Austriacam* editam a Card. Rauscher et heic Romae recognitam, in qua singula acta processus § *95, seq.* determnantur, habita ratione diversorum causarum generum.

421. Iura *matrimonialia,* quippe non secus ac cetera iura fruuntur in suo exercitio *tutela iuridica possessionis,* inde causae matrimoniales pertractantur vel in *possessorio* vel in *petitorio.* De conceptu *possessionis* seu *quasi-possessionis* in iuribus matrimonialibus egimus Vol. I, n. 229 sq. et explicavimus quando patretur *spolium* et quomodo concedatur *restitutio.*

CAPUT. I.

DE ORDINATIONE TRIBUNALIS ET IUDICII IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

Summarium. — 422. Aliquid singulare est *ratione fori competentis.* — 423. Inter personas tribunal constituentes recensetur *moderator actorum;* et *defensor matrimonii ex officio* seu promotor fiscalis munus exercens ad praescriptum Const. « *Dei miseratione* ». — 424. Pro rubrica tituli: *Qui matrimonium accusare possunt et contra illud testificari X* (IV, 18) aliquid singulare est in actore seu *accusatore* ratione exercitii actionis matrimonialis. — 425. Item in testibus aliquid singulare est, tum quoad personas testium tum quoad modum faciendae attestationis. — 426. Integer processus continet nonnullas speciales normas.

422. Quia nostrum institutum est, processum explicare matrimonialem in ea parte, quae aliquas habet speciales procedendi normas, inde, in antecessum, innuere praestat suprema capita huius specialis tractationis. Quaenam sit competentia *ratione obiecti* iam delibavimus. - De *competentia fori* haec advertantur. In competentia *territoriali* illud singulare est in re matrimoniali quod *uxor sequatur domicilium mariti;* an vero sufficiat *quasi-domicilium* et an attendatur *locus contractus* inquirendum est.

423. Tribunal et iudicium, in sua ordinatione, easdem amplectuntur personas sive *necessarias,* sive *accessorias,* uti explicavimus Vol. I, n. 50, sq. sed dum ius commune nihil cavet de officio et munere promotoris fiscalis, ex adverso in rem nostram Benedictus XIV in Const. « *Dei miseratione* » iussit et *necessario* in his causis partem habere promot. fiscalem seu *defensorem matrimonii ex officio* eiusque munus adamussim determinavit. - Attendendum etiam est munus *iudicis instructoris* seu *moderatoris actorum,* de quo supra locuti sumus. Ob affinitatem quam

causae matr. habent cum criminalibus, iuvat constitutio *moderatoris actorum*. At, uti notat *Instr. S. Off.* § *4*, Episcopus potest sibi assumere hoc munus. - Eius munus eadem Instructio determinat § 7.

424. Ad personas in iudicio *necessarias* quod attinet, *perpendendae* sunt partes *actoris* in hisce causis, seu *accusatoris*, uti fert rubrica citati tituli « *Qui matr. accusare etc.* » quippe istae causae, attingentes *bonum sacramenti* pertinent ad *bonum publicum* et comparatae sunt *accusationes* seu *actiones populares* ad tuenda apposita iura; nihilominus aliquando, veluti in *causa* de *impotentia* cöeundi non *cuicumque de populo* competit *accusare* matrimonium, sed tantum ipsis coniugibus.

425. Testes sunt personae quae non pertinent ad constituendum iudicium uti personae, *necessariae;* hae sunt enim *iudex actor* et *reus;* neque uti personae *accessoriae*, ordinatae nimirum pro adiuvandis personis *necessariis* in suis muneribus, siquidem *testes* ad iudicium pertinent ratione *probationis iudicialis*. Singulare autem est in hisce causis ut testes fere in omnibus exquirantur *necessario* ex *praescripto* iuris, dum, in genere, probatio per testes est facilis et accommoda, sed non iubetur a iure. Item amplam partem habent *testes-periti*, imo necessariam in causis *de impotentia* cöeundi.

426. Denique integer processus hoc habet speciale, ut dum est - *pene necessario summarius* - attamen observandae sint appositae normae magis convenientes negotiis *criminalibus* quam *civilibus* sive in interrogandis coniugibus et testibus, sive in exquirendis peritorum attestationibus, sive in demandandis executioni sententiis definitivis.

§ 1. *De foro competenti in causis matrimonialibus.*

Summarium. — 427. De competentia ratione *obiecti;* — 428. et ratione *gradus hierarchici.* — 429. De Vicarii Generalis competentia. — 430. An Episcopus habeat potestatem *delegandi* has causas. —

431. Quinam sit iudex appellationis a sententiis Episcoporum. — 432. De tribunalibus quae has causas cognoscunt apud S. Sedem. — 433. Instantiae de dispensatione *a matr. rato et non consummato* introducendae sunt et definiendae apud S. Sedem, quamvis processus delegetur conficiendus ab Ordinariis locorum. — 434. De competentia ratione *territorii*. — 435. Quomodo applicetur regula: *actor sequitur forum rei*. — 436. An attendatur *locus contractus*. — 437. De exceptione incompetentiae aut *suspicionis*. — 438. Utrum iudex recusare possit *accusationem* excipere in matrimonium.

427. Quum modo determinanda sit *iudicis* competentia in has causas, ordinarias adhibemus *tres rationes determinationis* (Vol. I, 318 sq.); et in primis consideramus *rationem obiecti*. - Quodnam sit hoc *obiectum* iam delineavimus, et vidimus heic agi de *matrimonio-sacramento*, de *sponsalitio contractu* et de negotiis ei *incidenter connexis;* quocirca ad apposita *iura* vindicanda et tuenda fideles habent comparatas etiam actiones *iudiciales* experiendas apud iudices eccles. Haec competentia est *absoluta* et *necessaria*, utpote pertinens *ad ius publicum* (Vol. I, n. 320) neque potest privatis pactionibus derogari. Sed agimus de *matrimonio-sacramento* seu inter *fideles*, nam matrimonium in statu naturae pertinet ad iudices laicos, qui tamen aliquid decernere non valent contrarium iuri naturae, *interpretato* ab ipso *divino* iure aut authentice *ab Ecclesia*. Cf. Cavagnis, *Inst. iur. pub. III, edit. 3ª, n. 184 seq.* (1).

(1) Haec competentia determinatur ratione *obiecti*, quocirca si coniugum unus sit *fidelis*, alter *infidelis*, quippe ex parte *fidelis* matrimonium pertinet ad Ecclesiam, pertinebit, per consequens, etiam ex parte *infidelis*. - Cf. Gasparri *De matr. n. 1164*. Iudex *laicus* inter fideles in has causas nihil potest, at ex *permissione* aliquam exercet potestatem. - Cf. responsum S. C. C. in *Neapolitana* seu *Lycien. 6 Maii 1837* (apud Lingen. et Reuss. - *Causae select. pag. 887*). *Neapolitana* seu *Rom. matr. super competentia* seu *avocatione - 30 Ian., 5 Iun. 1858*, et *Venetiarum Separationis tori quoad compet. 28 Ian. 1865*. De disciplina apud Orientales, cf. Mansella, *De imped. matr. dir. et de process. iud. pag. 175 sq.*

428. Hae causae *iudicialiter* pertractatae sequuntur plures *instantias;* videlicet praeter *primam instantiam* etiam experiuntur *instantias appellationis;* et in varias *instantias* iudices sunt competentes *ratione gradus hierarchici.* Ex iure *communi* (Vol. I, n. 326) haec competentia determinata est, at modo in his negotiis aliquid singulare habetur inductum, in primis, iure Tridentino, quod *cap. 20, sess. 24 De ref.* iussit « *Causae matrimoniales et criminales non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio etiam visitando sed Episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquantur* ». Benedictus XIV Const. *Dei miseratione* § 4 Tridentinam legem mandari executioni curavit et S. C. C. authentice interpretata mentem eiusmodi legis, *Instructione cit. diei 22 Aug. 1840* edixit « Praeterea cum a S. Conc. Trid. *l. c.* ac etiam a s. m. Bened. XIV in cit. Const. *Dei miseratione* causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quocumque privilegio et praescriptione (1) fuerit sublata, ac Episcoporum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus *vere Nullius* (2) licet cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta S. C. resolutiones, hinc tutius erit ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur ». Proinde patet, mentem Trid. Concilii fuisse, *Episcopis* hanc potestatem reservare, exclusis iis iudicibus, qui iurisdictionem *proprie* et *integre* episcopalem non habent.

(1) At non videtur reprobari consuetudo *immemorialis*, quia *in Nullius* seu *Aquilana-Iurisdic. 4 Maii 1726* ad Dub. 17 S. C. Concil. iussit eiusmodi iurisdictionem « *spectare ad Episcopum, donec ab Archidiacono doceatur de* IMMEMORABILI ».

(2) Fagnanus in cap. 12 *De excess. praelat., n. 20 seq.* docet Abbates *vere Nullius* excipi a prohibitione Tridentina, sed hodie post S. C. C. declarationem, Fagnani sententia non est sequenda. Loco horum Abbatum iudicat Episcopus *vicinior*, habita ratione distantiae Ecclesiae Cathedralis et Abbatiae.

429. Sed quid iuris de Vicario Generali? Hanc quaestionem late explicavimus Vol. II, nn. 331-336, innixi principio, Vicarium Generalem non esse *inferiorem* iudicem Episcopo, sed pro *causis gravioribus* indigere *mandato speciali*. Inde causa iudicatur in eodem tribunali Episcopi etsi Vicario adiungantur assessores cum voto *deliberativo*. Cf. Feie, *De imped. et disp. matr., n. 586;* et Mansella, *De imped. matr. dir. ac de process. iudicial., p. 173.*

430. A Concilio Trid. autem videtur excludi potestas delegandi (Vol. II, n. 331). Ad eiusmodi praecavendum dubium in themate, nempe an exinde prohibita dicenda sit potestas constituendi tribunal collegiale, cuius praeses sit Vicarius Generalis, nec non an liceat Episcopo deputare iudices delegatos *eius nomine* iudicantes, et inde an valida dicenda sit sententia definitiva taliter edita, opportune observatur cautela, quae suggeritur ab Instruct. Austriaca § *178*, videlicet, sententiam non edi definitivam quin eamdem Episcopus *approbaverit* et inde veluti *suam* effecerit. Cf. Vol. II, *loc. cit. p. 436.* Attamen S. Congr. Concilii nunquam reprobavit sententias utpote datas a iudicibus ab Ordinario *delegatis*, dummodo appellatio non fiat *ad iudicem delegantem*, prouti sineret ius commune. Hac ratione servatur *intentio* decreti tridentini, et hanc praxim tute servant Ordinarii; uti eruitur ex Instr. S. Off. data ad Ordinarios *ritus orient.* § *22*, quam Instr. paucis factis mutationibus, excepit S. Congr. de Prop. Fide.

Romae hae causae in *prima instantia* cognoscuntur a Cardinali Vicario, iudice ordinario Urbis, suburbii eiusque districtus.

431. A sententia Episcopali, instantia appellationis introducitur apud Archiepiscopum. Si Archiepiscopus iudicaverit in *prima instantia*, iudicium appellationis instauratur apud S. Sedem, nisi ius *particulare* vigeat appellandi ad viciniorem Metropolitanum. Vol. I, n. 622. In *secunda instantia* iudex potest

esse Nuntius Apost., item aliquando est iudex delegatus a Rom. Pont. seu *commissarius*. Const. *Dei miseratione* § *10*. - Romae iudicium appellationis a sententia Card. Vicarii defertur ad S. Congr. competentem.

432. Sane apud S. Sedem causae appellationis in hisce negotiis, sive sententiae appellatae proveniant a tribunali Card. Vicarii, sive a tribunalibus dioecesanis, ordinario cognoscuntur apud S. Congr. Concilii (Vol. II, n. 162). Inquam *ordinario*, quia causae ex capite impedimenti *disparitatis cultus* aut *mixtae religionis*, aut illae quae *absolutum* expostulant *secretum* cognoscuntur a Congr. S. Officii. Praeterea e locis subiectis S. Congregationi de Prop. Fide, ad hanc Congr. deferuntur istae causae sive in prima, sive in instantia appellationis. Haec tamen aliquando causas, graves ob rationes, ad S. Officium remittit.

433. Causae de *dispensatione a matrimonio rato et non consummato*, instaurandae sunt directe apud S. Sedem. - Hoc iampridem admissum erat communiter a DD., qui autumabant, Ordinarios locorum non esse competentes ad inquisitionem iudicialem faciendam in factum non secutae consummationis matrimonii ad scopum petendae dispensationis a Rom. Pontifice; sed quia nonnulli canonistae contradicebant, formiter haec quaestio agitata est apud S. C. C. in una *Varsavien. die 16 Iun. 1894* et rescriptum fuit, supplicem libellum dispensationis directe dandum esse ad Rom. Pontificem. Hic, in primis, rem examinandam committere solet, uti diximus, Congregationi aut Concilii, aut S. Officii aut de P. Fide et hae Congregationes, si instantia digna sit consideratione, dant rescriptum delegationis (ut plurimum cum *potestate subdelegandi*) Ordinario loci cui subsunt coniuges ad congruum conficiendum processum usque ad sententiam *definitivam* EXCLUSIVE. - Sententia *definitiva* respondet quaestioni, an - constet de non secuta matrimonii consummatione - et hanc sententiam dant PP. Cardinales rescribentes dubio ita concinnato: « *An sit consulendum SSmo super dispen-*

satione a matrimonio rato et non consummato in casu ». Quare responsio sive *affirmativa* sive *negativa* est *consultiva* ad *dispensationem* quod attinet, quam concedere pertinet tantum ad Rom. Pontificem, est vero veluti *definitiva* in meritum quaestionis, an constet de non secuta consummatione.

434. Iudices propriam desumunt competentiam *absolutam* ex *obiecto* et *gradu hierarchico*, sed eamdem exercere non valent nisi in suos *subditos* et subditos sortiuntur *ratione territorii* (Vol. I, n. 334). - Inde competentia *territorialis* est *relativa* et *mutabilis* quandoquidem quis alium sortitur iudicem proprium se transferens pro lubito suo in aliam dioecesim aut provinciam ibi in *perpetuum* vel ad *notabile tempus* commoraturus. - Hoc pertinet ad omne causarum genus: videamus quid heic singulare sit.

435. Ipsa regula fundamentalis in *competentia territ.*, nempe *actor sequitur forum rei* aliquid habet speciale, quia *uxor sequitur domicilium mariti*. Sane uxor domicilium viri fovere debet; inde si uxor derelinquat viri domicilium eamdemque vir revocet per iudicium *restitutionis in integrum*, hoc instaurat vir apud iudicem *sui domicilii*, quin attendat locum ubi domicilium contrahere intenderit uxor. Ex adverso si vir per disertionem malitiosam uxorem derelinquat, et haec ab Ordinario expetat consuetudinis coniugalis restitutionem, adire *potest* iudicem loci ubi ipsa domicilium habebat apud *maritum*. Inquam *potest*, quia si renuncians iuri suo, adeat iudicem loci ubi post *disertionem* constituit *domicilium* maritus, secuta regulam *communem*, - *actor sequitur forum rei* - iste iudex est competens ad finiendam litem; et *iure praeventionis* ipse causam praeoccupat, prae alio iudice, alio titulo, competente.

Ratio exceptionis in regulam - *actor sequitur forum rei* - est quia uxori et marito unum idemque est domicilium quousque non superveniat separatio *legitima* a toro et mensa; facta enim separatione, inter coniuges restituitur ius commune de *foro domi-*

cilii. - Sed sufficit etiam *quasi-domicilium*, iuxta communem DD. sententiam; (Schmalzg. tit. *De for. comp. n. 17*, Reiff. *h. t. n. 37 sq.;* Vol. I). Loquor de separatione *legitima* a *toro* et *mensa* quae *ex parte uxoris* certe *legitima* censetur utpote *necessaria*, hoc etiam in casu, nempe si vir damnatus est ad *carcerem* aut ad *locum relegationis*, quocirca tunc uxor iudicem sortitur competentem in loco, ubi ipsa domicilium habet. Haec quaestio mota est in quadam Parisien. apud S. C. C. mense Aprili 1902 sed mansit non resoluta. Pro *vagis* iudex competens est iudex loci *commorationis*.

Praeter *domicilium*, ad competentiam *territorialem* praesto est titulus *rei sitae*, et *contractus*. - *Res sita* et *contractus* faciunt iudicem competentem pro causis civilibus et patrimonialibus coniugum, prouti explorati iuris est.

436. Quaeritur an ratio *contractus* faciat competentem Episcopum loci ubi matrimonium celebratum est. - Porro haec ratio competentiae in his causis nullo iure prohibetur, hinc admittenda est. Cf. Vol. I, n. 339. Sed ulterius advertatur, hunc contractum celebrari in loco ubi quis domicilium aut quasi domicilium habet, et hinc unam rationem alteram absorbere. Imo iuvat titulus *contractus* quando *dubium* fuerit domicilium aut quasi domicilium et inde matrimonium celebratum fuerit *ex delegatione*. - Quid iuris si matrimonium EX DELEGATIONE ineatur apud parochum *certe* non proprium ratione *domicilii* aut *quasi domicilii?* Dicendusne est Episcopus in cuius dioecesi initum est coniugium, competens ratione *contractus?* Modo meam sententiam aperiam, nam quaestionem a DD. non vidi solutam; et respondeo mihi difficultatem facere ipsam *delegationem*, vi cuius contractus initus est, non iure *proprio* contrahentium, sed ex *concessione*. Atqui *delegatio* efficit tantum contractum esse *validum* quia *delegatus* agit *nomine delegantis;* quare contractus in sua vi *iuridica*, magis pendet a *delegante* quam a *delegato*, proindeque ex contractu competentem dicemus Ordi-

narium loci parochi *delegantis*. Ita quaestio mihi resolvenda videtur. Utcumque Ordinarius loci parochi *delegantis* certe praeferendus est, quia ipsi suffragatur etiam titulus *domicilii* aut *quasi domicilii*. Si vero ageretur de iudicio iam inito et instructo aut definito a iudice loci contractus initi *ex delegatione*, responderem, *in dubio*, pro validitate actus, quia in *dubio standum pro validitate actus* et *in dubio*, *Ecclesia supplet iurisdictionem*. Cf. D'Annibale *I*, *n. 80* (Vol. I, n. 352). - Causae, quae a S. C. Concilii committuntur instruendae iudici dioecesano, solent remitti iudici loci *contractus* et *domicilii* unâ simul.

437. De exceptione *incompetentiae* aut *suspicionis* obiecta sub initio iudicii, attendantur quae explicavi Vol. I, n. 350. - Inquam *sub initio iudicii*, quia si agatur de *suspicione*, exceptioni censetur renunciatum esse, si ista non opponatur ante litem incoeptam; nisi tamen causam *suspicionis* antea incognitam fuisse probetur. - De exceptione *incompetentiae* advertatur fieri *prorogationem*, si exceptio non opponatur et res sit de competentia *territoriali:* huc faciunt quae disseruimus supra n. 169.

438. Fidelibus ad tuenda iura matrimonii-sacramenti comparatae sunt *actiones iudiciales* seu *accusationes*, quas experiuntur apud iudicem *competentem*. Hic proinde habet *officium* excipiendi eiusmodi actiones, quas respuere valet tantummodo si aut is, qui agere seu accusare intendit, legitimam non habet personam standi in iudicio, aut si eadem accusatio videatur omni destitui fundamento. Verum a recusatione accusationis datur appellatio, quae cognoscenda est a iudice superiore competente. Quod si iudex appellationis edicat accusationem non carere fundamento, accusatio instauranda est apud iudicem *primae instantiae*, nisi partes excipere valeant in iudicem *primae instantiae*, uti *suspectum*, aut malint rem directe deferre ad S. Sedem. Equidem contingit Episcopos vel respuere has accusationes, vel se reddere difficiliores in his excipiendis aientes ex eis

iudiciis scandalum provenire in populum. Sed haec ratio nullius est ponderis, quippe fidelibus *ius* est imo *onus* accusandi matrimonium, aliquo ex impedimento, nullitate laborans. - Probabilior forsan ratio scandali videtur, si agatur de imploranda dispensatione a matr. rato et non consummato, quia oratori nullum adsistit ius; et hac de causa, Episcopi frequentius contradicunt iis. qui hanc dispensationem expetunt. - Verum tunc res pendet a prudentia Romani Pontificis, qui sua potestate utitur *in aedificationem*, non in *destructionem*. Et hodie in locis ubi viget infausta lex divortii, dispensatio a matr. rato et non consummato saepius consulit magnopere bono animarum. Fideles autem docendi sunt de hac potestate, qua providentissime pollet Romanus Pontifex.

§ 2. *De defensore matrimonii* ex officio.

Summarium. — 439. Quinam agere valeat munus defensoris matr. *ex officio*. — 440. Non necessario constituendus est cum stabili officio. Ei utiliter deputatur *adiunctus* seu *substitutus*. — 441. In quacumque instantia eius opera necessaria est. — 442. Quomodo suppleri possit eius legitima absentia. — 443. Quodnam sit eius officium. — 444. Praecipue quoad munus appellationem interponendi. — 445. Poena nullitatis actorum constituta est si acta instruantur non rite citato defensore matr. — 446. An Defensor matr. iuramentum praestare debeat sub initio processus. — 447. De eius mercede. — 448. Quibusnam in causis Defensor matr. intersit oportet. — 449. Utrum agat partes actoris aut rei et quomodo.

439. Benedictus XIV in Const. « *Dei miseratione* », huius officialis qualitates personales ita determinat § *5:* « Ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur *et, si fieri potest*, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimonii defensor nominabitur ». Inde cavet Pontifex hoc officium habendum esse *amovibile ad nutum*. - Defensor matr., *si fieri potest*, eligendus est ex coetu eccles. sed deficien-

tibus *clericis* idoneis, etiam *laicus* deputari valet. Cf. Vol. I, n. 141 et supra n. 142 sq.

440. Quia pluribus in curiis raro usuveniunt causae matr. iudicialiter pertractandae, ita non solet inter *officiales* constitui defensor matr. qui deputatur pro re nata. - Et hic mos nunquam reprobatus fuit a SS. Congregationibus. Praeterea si praevideri possit, processui instructioni deputatum defensorem matr. semper adesse non posse, expedit ei constituere *defensorem adiunctum*, qui altero impedito aut annuente operam praebebit.

441. In *secunda*, non secus ac in *tertia* aut *ulteriori* instantia, necessaria est opera defensoris matr. prouti *in prima* et ad rem Bened. XIV, *cit. Const.* § *10*, iubet: « Si iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus aut Sedis Apostolicae Nuntius aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit qui ab ipsis fuerit deputatus.... si autem iudex in secunda instantia erit iudex *commissarius*, cui a S. Apostolica causae cognitio demandata sit et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat et propterea careat defensore matr. volumus ut illo defensore matr. utatur qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius dioecesi causam cognoscet etiamsi idem Ordinarius sit qui primam sententiam in eadem causa pronunciavit... ».

442. Defensor matr. citandus est ut intersit *singulis actis* ita ut processus non incohetur, coniuges non subiiciantur examini, testis non audiatur aut respuatur, documentum non recipiatur aut reiiciatur nisi eo citato. - Citatio autem sufficit *una simplex*, dummodo certe constet, istam pervenisse ad illius manus. Quod si rite citatus defensor matr. non interveniat, die, hora, loco statutis, processus, nihilo minus, incohatur aut ulterius producitur. Sed observetur quod tradit Instr. S. Officii data *ad Ord. rit. orient.*, § *11:* « Quod si ob peculiares circumstantias matr. defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu, eadem ipsi traduntur ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendae matrimonii validitati necessarias iudica-

verit: si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex iam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas, nondum examinatas, has examini subiiciendas proponet ».

443. Porro ad *def.* pertinet officium *fiscale* seu iura tueri matrimonii sacramenti; et Bened. XIV, Const. cit., § *6*, ait: « Ad officium autem defensoris matr. ... spectabit in iudicium venire quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari eumque oportere in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri.... ». Instr. cit. S. C. Concilii a. 1840 explicans hoc munus statuit, interrogatoria sive coniugibus sive testibus proponenda, concinnanda esse a def. matr. eaque obsignata tradenda esse cancellario (1) aut iudici, seu moderatori actorum, qui reserabit interrogatoria postulante defensore matr. quum proponenda sunt. Sed ipse iudex *ex officio* nec non defensor matr. alia addere possunt interrogatoria.

444. Speciale onus defensori matr. incumbit, ex Const. *Dei miseratione*, § *8;* scilicet ei competit appellationem interponere quoties in *prima* instantia iudicatum fuerit pro nullitate matrimonii; et si sententiae sunt difformes, quia in *prima* instantia pro *validitate*, in *altera* pro nullitate edita est sententia, defensor provocat ad *tertiam* instantiam, quia nunquam pati debet, sententias super nullitate sortiri executionem, nisi *duae* saltem sententiae istam asserentes editae sint. Addit vero Const. cit., § *11:* « Quod si a *secunda* sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit ut ei,

(1) Instructio cit. iubet, *tradi interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario;* ego vero addidi *aut iudici,* quia, per se, cancellarius in actis fidem facere debet haec *interrogatoria* fuisse *clausa* et *obsignata;* sed de hoc attestari valet, etsi interrogatoria tradantur iudici, quum videat cancellarius *interrogatoria obsignata reserari.*

salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in *tertia* instantia et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias.... causa in *tertia* vel *quarta* instantia cognoscatur.... ». Sed Ordinarii non semel querelam moverunt ad S. Sedem, advertentes in nonnullis causis nullitatem matrimonii fieri, ex collectis attestationibus et documentis, pene evidentem, veluti quum constat *diaconum* aut *presbyterium* nuptias attentasse aut impedimentum obstare *ligaminis* ex libris parochialibus indubie evictum; necessitatem vero obtinendi duas saltem sententias conformes, diutius impedire matrimonii celebrationem ex parte illius, qui a vinculo matr. immunis declaratus est; hunc autem dilationes *secundae* aut *tertiae* instantiae aegre ferentem, interim incontinentem vitam ducere. Ast hisce incommodis non obstantibus S. C. C. in *Sonorensi nullitatis matrimonii die 26 Aug. 1848* rescripsit, Benedictinam Constitutionem esse servandam, sed non destitit media adhibere quibus facilior redderetur Constitutionis applicatio. Denique ut penitus hisce incommodis consultum foret S. C. S. Officii die 3 Iunii 1889 hoc edidit decretum: « *Quando agitur de impedimento disparitatis cultus et evidenter constat, unam partem esse baptizatam et alteram non fuisse baptizatam; quando agitur de impedimento ligaminis et certo constat primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere; quando denique agitur de consanguineitate aut affinitate ex copula licita aut etiam ex cognatione spirituali vel de impedimento clandestinitatis in locis ubi decretum Tridentinum* TAMETSI *publicatum est, vel uti tale diu observatum, dummodo ex certo et authentico documento vel, in huius defectu, ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum, Ecclesiae auctoritate non dispensatorum, hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus*

in Const. Apost. DEI MISERATIONE *requisitis, matrimonium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit* SECUNDA *instantia* ». Nimirum advertatur in *prima* instantia omnino requiri defensoris matr. operam.

445. Quotiescumque vero, hunc officialem interesse oporteat at hic non intersit quippe citatus non est, decernitur, in poenam, *nullitas* actorum; ita ex cit. Const., § 7: « Quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus.... perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.... ». Proinde *nulla* et *cassa* declarantur ista acta ac si non fuerint *iudicialia* aut *contentiosa;* et *iudicialia* non dicuntur acta quae ponuntur non citata parte cuius interest: causa autem de nullitate matrimonii *iudicialiter* agitur inter eum, qui hoc nullum esse contendit et defensorem matr. qui eius validitatem probare nititur.

446. Sanctum et religiosum quocirca est officium defensoris matr. et Benedictus XIV in cit. Const. iussit, § 7: « Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi et quotiescumque contigerit ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit ».

447. Providentissime Benedictus XIV in cit. Const. § 12 consuluit etiam huius officialis mercedi statuens: « Defensor matr. quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei et proximi utilitate et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario, aliqua ex causa, exhibere recusaverit, ab ipsius causae iudice ei constituatur et ab ea parte quae pro matrimonii validitate agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus a iudice primae vel secun-

dae vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas, vel redigendas et in opera pia erogandas in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt iudices commissarii, qui neque forum habent et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus et mandamus ut defensori matr. satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius dioecesi iudex commissarius, iuxta Sedis Apost. mandatum, iudicium exercebit ». Hodie Episcopi si e reditibus tribunalis consulere non valeant huic officiali, hunc eligere student e coetu beneficiatorum, qui alias habeat congruos reditus ab Ecclesia.

448. Quum tam graves sint obligationes defensoris matr. oportet determinare causas, in quibus *necessario* partem habere debet. - Iamvero in themate, quia agitur de causis *iudicialibus* seu contentiosis, huic defensori non est locus *a*) in causis minime *contentiosis*. Quare S. C. Conc. *die 29 Ian. 1853* dubio: « *Utrum s. m. Bened. XIV* Const. DEI MISERATIONE *etiam quoad illas nuptias sit servanda, quae, per se, pro ecclesiasticis matrimoniis nullo pacto haberi queunt ex eo quod neque in facie Ecclesiae quomodocumque valida forma contractae fuerunt* »; respondit: « *In casu prout exponitur, negative* ». Et iure merito consideratur, in primis an matrimonium initum sit *in facie Ecclesiae;* quotiescumque enim matrimonium celebratum est in facie Ecclesiae, valida forma, matrimonium *possidet* et nisi contrarium probetur, respondendum est *pro valore* actus. Inde in citato decreto S. Officii *diei 3 Iun. 1889* edicitur, interventum defensoris matr. necessarium semper esse in *prima* instantia. Uti patet, relatum rescriptum respicit potissimum loca, ubi Concil. Trid. publicatum est. Sed etiam quoad alia loca impedimentum *impediens clandestinitatis* attenditur quoad effectum iuridicum stabiliendae *possessionis*. *b*) Const. Benedictina semper agit de matrimonii *validitate defendenda*, unde si res sit de *valore sponsalium*, de separatione *a toro et cohabita-*

tione, quocumque ex titulo non requiritur opera defensoris matr. *c*) Ante nuptias *ineundas* agitur de probanda *libertate status* et *legitima* attestatio de *libertate status,* seu de absentia impedimenti, expostulatur ante celebrationem nuptiarum, inde a curia instituitur apposita *inquisitio* et haec explenda est iuxta normas traditas a S. Officio quae *speciales* habentur pro casu incerti obitus coniugis ad effectum permittendi secundas nuptias et tunc non requiri defensorem rescripsit S. C. Conc. *die 24 Ian. 1889* in Wratislavien; nam propositis dubiis I. *An probatio status liberi in casu incertae mortis coniugis recensenda sit inter causas matrimoniales, quae subsunt Benedictinae Const.* DEI MISERATIONE *quoad formam processus in casu.* II. *An in huiusmodi negotio expediendo defensor vinculi interesse adhuc tamen debeat, iurare et appellare ad formam praefatae Constitutionis in casu* - « ad 1um *Negative.* Ad 2um *pro ditione Austriaca posse servari Instructionem in foro eccles. ibi receptam: pro ditione Borussica standum instructionibus S. Officii ad rem spectantibus* (1). *d*) In causis de matr. *rato* et *non consummato* ad effectum impetrandae dispensationis a S. Pontifice, processus, uti iam advertimus, non potest confici ab Ordinariis sine delegatione S. Pontificis. Certe Constitutio Bened. non respicit has causas, sed hodie in rescripto delegationis, committitur processus instruendus ad normam huius Const. Benedictinae. Tunc defensor matr. expostulatur vi *rescripti delegationis;* uti censuit S. C. C. in Varsavien., *16 Iun. 1894.*

449. De parte quam agit defensor matr. ait Bened. XIV cit. Const. § *8:* « Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur in qua de matrimonii validitate dubitabitur et existentibus in

(1) Hanc Instructionem trademus inter *Allegata.* Probationem status liberi faciendam esse absque forma *proprii iudicii* sed obtineri per simplicem inquisitionem ad normam Instructionis S. Officii evincitur in *folio* cit. Wratislavien. Cf. *Acta S. Sedis, vol. 22, pag. 546.*

iudicio vel uno ex coniugibus, vel ambobus, *quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat,* defensor matr. partes omnes officii sui diligenter adimpleat »: Itaque, uti advertimus Vol. I, n. 137, quando unus coniux est actor seu accusat matrimonium veluti *nullum,* alter est reus seu defendit matr. validitatem, in hisce causis, defensor matrimonii adhaeret ei, qui contendit pro validitate et eum adiuvat quasi advocatus ex praescripto Const. Bened.

§ 3. *De his qui matrimonium accusare possunt.*

Summarium. — 450. Causae matr. instaurantur vel ad instantiam *privati accusatoris* vel *ex officio,* praevia inquisitione. — 451. Ius accusandi non semper competit *cuique de populo,* sed aliquando tantum utrique coniugi aut etiam ex his alteri. — 452. Quando accusare competat tantum coniugibus. — 453. Accusatio non semel competit tantum *uni ex coniugibus.* — 454. In nonnullis tamen ex hisce casibus *cuique de populo* competit *denunciatio,* si non vera *accusatio.* — 455. In reliquis casibus *cuique de populo* competit *accusatio,* et curiae incumbit inquisitio *ex officio.* — 456. Praecipui casus exceptionis *suspicionis* in accusatorem. — 457. Matrimonium *contrahendum* accusant qui denunciant impedimenta. — 458. Impedimentum ex *obligatione sponsalium* dumtaxat sponsi opponere valent. Quomodo componenda haec lis.

450. Instructio *cit.* S. Officii pro Orient. § *1,* determinat modos, quibus hae causae introduci valent: « Ut in tribunali eccles. causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica *accusatio* praecesserit, quae numquam erit admittenda nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur; etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur; in aliis qui sunt eisdem sanguine propinqui vel etiam quilibet de populo. Ac tandem *ex officio* etiam inquisitio fieri potest et quandoque debet, quando praesertim

contra alicuius matrimonii validitatem *simplex denunciatio* facta fuerit, aut *fama* fundamentum veritatis praeseferens, de alicuius impedimenti existentia divulgata est ». Heic matrimonialem causam late sumimus, comprehendentes omnes controversias sive de *sponsalibus* sive, de *matrimonio* agitatas. Sed in primis agimus de accusatione matrimonii iam *contracti*, postea de iure accusandi matrimonium *contrahendum*, potissimum ex titulo *sponsalium*.

451. Regula generalis est, quemlibet de populo matrimonium accusare posse, sed huic regulae facta est exceptio nonnullis in casibus, quibus vel certa notitia impedimenti non potest haberi nisi a coniugibus, vel a coniugibus ipsis vel ab horum altero renunciatio fieri potest iuri *accusandi* ipsum matrimonium.

452. In primis tantum coniuges accusare possunt matrimonium 1) ex capite *impotentiae;* quia ait *cit.* Instr. S. Officii § *45:* « .... ipsis solummodo hoc factum cognitum esse potest et ipsi tantummodo hac de re solliciti esse debent »: Equidem arg. *c. c. 4 et 5, De frigid. et malef. X* (IV, 15) coniuges possunt insimul cohabitare uti frater et soror. Sed *Instr. Austr.*, § *118* advertit: « Propter impotentiam matrimonium consummandi, *nisi notoria sit* coniuges tantum matrimonium accusare valent ». Nam *si notoria est* et scandalum sit in plebe christiana, ut ecce, quia coniuges ita libidini liberius indulgere se iactant et omnes norunt, tunc curia sive *ex officio*, sive ad *accusationem*, aut *denunciationem* de rerum veritate inquisitionem instituere potest etiam *iudicialem*. Instr. *Austr.*, § *122*.

2) Instare ad obtinendam dispensationem a matr. *rato et non consummato*, ut puta quum impotentia est dubia, aut non est forsan *perpetua*, aut non *antecedens*, competit tantum coniugibus et planum est.

453. Accusatio competit tantum *uni* ex coniugibus 1) si agatur de accusando adulterio ad obtinendam separationem a

toro et cohabitatione, videlicet tunc accusatio competit tantum coniugi *innocenti*. Item dic de alio delicto, veluti haeresi, vi cuius coniugi *innocenti* ius est ad divortium semiplenum.

2) Impedimentum dirimens *metus causa*, obiici tantum ab eo potest qui metum passus est. Docet *cit.* Instr. S. Officii § *35:* « neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur; reiici vero eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si liber iam a metu, sua sponte, in coniugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat ». Sed uti patet, hic sermo est de impedimento *metus* matrimonium dirimente; quod sanatur a parte metum passa, si haec de *nolente* fiat *volens* et libere consentiens ad matrimonium revalidandum; nimirum sermo est de impedimento *secreto*, vel de impedimento *publico* ubi caput *Tametsi* publicatum non fuerit. Hisce enim in locis, ubi ius tridentinum viget, quum metus est *publicus*, matrimonium inde nullum revalidari non potest nisi impetrata dispensatione a Rom. Pont. aut iterum adhibita forma tridentina. Item si impedimentum est *publicum* et pars metum passa impedimentum pluries fassa est *tempore non suspecto*, sed postea ab accusando desistere convincitur vel ob animum in alteram partem infensum, vel quia eius vult uti divitiis et nomine, certe etiam alter coniux, vel quisque de populo vel iudex *ex officio* accusationem instaurare valent.

3) Item dicatur de matrimonio sub *conditione publice* inito in *forma tridentina*. Tunc coniux ad *revalidandum* matr. conditioni renunciare non valet, consensum adiiciens conditione non affectum. Secus si conditio fuerit *secreta* vel *publica*, sed adiecta in locis ubi ius tridentinum non viget. Praehabitis hisce declarationibus intelligendus est sensus § *117* Instr. *Austr.* « Quando matrimonium sub conditione contrahere per exceptionem concedatur, matrimonium, propter conditionem non imple-

tam, ab eo tantum accusari potest, qui neque (factum) in conditionem positum adesse, falso asseveraverit, aut quod haud existat, dolo reticuerit, neque ne conditio impleatur, sua culpa impedierit. Renuncians conditioni, accusandi iure se exuit ». - Item dicatur de impedimento *erroris*, iuxta § *116* Instr. Austr. Cf. Gasparri, *De matr.*, *n. 1126.*

4) De impedimento *aetatis* ait § *119* eiusdem Instr. « In valorem matrimonii, cui impedimentum pubertatis obstat, pubertate impleta, super eius tantum, qui matrimonii contracti tempore impuber fuerat, coniugis petitione inquirendum est ». Sed validitati matrimonii si obstat necessitas formae tridentinae, tunc et alter coniux et omnes accusare matrimonium valent.

5) De impedimento *raptus* Instr. Austr. § *120* cavet « Propter impedimentum raptus, raptor adversus matrimonium reclamare nequit. Rapta quae raptui consensit, suum matrimonium accusandi iure in exordio libertatis plene recuperatae utatur, alias non amplius audiatur ». Sed praeter necessitatem renovandi consensum in forma tridentina, aliquando non admittitur haec praesumptio renunciati iuris accusandi ex parte *raptae*, si haec probet quare tacuerit, quin *tacite* consenserit.

6) De impedimento *ligaminis* cit. Instr. § *121* tradit: « Impedimento ligaminis, mutatione facti (1), sublato, quando una pars, dum invalidas celebraret nuptias, impedimenti existentiam absque sua culpa ignoraverit, altera quae impedimenti conscia fuerat, matrimonium accusare iure haud potitur ». Ita praescribitur in *cap. 1 De eo qui duxit in matr. X* (III, 7) sed hodie attendendum est etiam ius tridentinum.

(1) Nam impedimenta auferuntur vel *dispensatione*, vel *mutatione facti*. Per *facti* mutationem haec auferuntur, scilicet impedimentum *aetatis*, adveniente nubili aetate impedimentum *ligaminis*, solutione primi matrimonii, ut ecce morte coniugis; impedimentum *disparitatis cultus* conversione coniugis; impedimentum *erroris*, *conditionis servilis*, cognita veritate, impedimentum *impotentiae*, remota impotentia.

454. Proinde Conc. Tridentinum, quia voluit solemnem adhiberi formam ad validum coniugium, cŏercuit ius accusandi *privative* competens coniugibus. Cum hac limitatione intelligi debet § *122* Instr. Austr.: « Omnibus casibus et propter omnia impedimenta, quorum respectu ius accusandi coniugibus aut uni ipsorum haud privative competit, tribunal matrimoniale ex officio procedere debet, quamprimum aut notorietate facti, aut denunciationibus aliove modo sufficiens suppetit causa ». Revera supra dum perpenderemus singulos casus competentiae *privative* pertinentis alicui ex coniugibus, advertimus ob defectum *formae trid. accusationem* fieri *communem* seu *popularem*.

455. Nedum *ex officio* tribunali curiae, sed *cuique fideli* competit accusare, uti docet eadem Instr. § *115:* « Matrimonium impugnandi ius, in quantum haud expresse ad coniuges restringatur, competit catholico cuivis, exceptis iis qui sua, hac in re, commoda quaerere suspecti sint, vel quamvis matrimonium contrahendum esse sciverint ac proclamationes, debito modo, institutae essent, impedimentum, *absque legitima excusatione*, silentio presserint ». Cf. Causam - *Civitatis Castelli* - apud S. C. C. *diei 18 Iulii 1778*, in qua cognati et affines obtinuerunt, declarari matrimonii nullitatem adversus maritum et uxorem validitatem pro viribus defendentes (1).

456. Hae duae exceptiones *suspicionis*, quibus ab accusando repellitur fidelis, considerantur iure Decretalium in tit. *Qui accusare matr.;* et in *cap. 6 h. t.* repellitur qui tempore proclamationum sciebat impedimentum, poterat et noluit reclamare; et in *cap. 5 h. t.*, repellitur mater, quae filii matrimo-

(1) Quaestionis est an possit accusari matr., post mortem coniugum, ad scopum hereditatis obtinendae. S. C. C. in variis casibus, quos perpendit Gasparri *De matr.* ‖ *1183 not. 1*, respuit eiusmodi instantiam; et hoc ob pecularia adiuncta in *casu;* sed in *genere* probanda est doctrina Schmalz, tit. *Qui matr. accus. n. 27*, scilicet vigere *ius accusandi*, quousque haec actio praescripta non sit spatio 30 annorum.

nium accusabat *ut ab eo pecuniam extorqueret.* - Verum si necessitas inquirendae veritatis hoc expostulet, quamvis non excipiatur ab hisce personis suspectis *formalis accusatio,* tamen admittitur *denuntiatio,* aut *attestatio.*

457. Hactenus de matrimonio iam *contracto* accusando. Sed accusari valet matrimonium *contrahendum* et Ecclesia statuens proclamationes ante matrimonium faciendas, fideles invitat ut denuncient impedimenta matrimonium contrahendum vel *impedientia* vel *dirimentia.* Ista nisi directe denuncientur curiae, denunciari possunt parocho, qui si cognoscat impedimentum denunciatum nullo inniti fundamento, nupturientes non prohibebit a celebratione matrimonii; at hos prohibebit, etsi impedimentum sit dumtaxat aliquantisper dubium. Rei definitionem dabit Curia, quae non concedit attestationem *libertatis status,* nisi peractis inquisitionibus, uti explicavi supra n. 448. Et negotium fieri potest etiam proprie contentiosum, si interesse habentes provocent ad *iudicialem* quaestionis definitionem. - Instr. *Austr.* § *106.* At in hisce inquisitionibus etiam iudicialibus non expostulatur, ex *iure comm.,* opera defensoris matr.

458. Inter impedimenta impedientia consideranda sunt *sponsalia.* Ad rem quaestio fieri potest 1) vel a *tertio,* qui contendit alterum e nupturientibus sibi devinctum esse vinculo sponsalium et hinc matrimonium prohibendum esse, 2) vel ab *altero sponsorum,* qui contendit aut se non amplius obstringi obligatione sponsalitia aut hanc ab initio fuisse nullius valoris. - Nam impedimentum ex obligatione sponsalitia opponere non valet nisi sponsus, qui si impedimentum non opponat, censetur renunciasse iuri suo.

In *primo* casu contradictor curiam adit et opponit *nihil transeat* (uti solet dici) seu denunciat impedimentum, quod petit recognosci. Nisi contendentes amice rem componant, instituendum est iudicium, quod si probatur impedimentum vigere, non exinde absolute prohibendum est matrimonium; nam ait Instr.

Austr. § *112: Quando conventio de resiliendo a sponsalibus vel aequam compensationem praestando obtineri non possit, nuptiarum, adversus quas reclamatio instituta est, celebrationem admittere pro minori deberet reputari malo* ». Nihilominus qui contendit impedimentum adesse et qui non adesse contradicit, ius habent experiendi etiam appellationem. Cf. causam *Rapollen. Sponsalium* agitatam a S. C. C. die 15 Dec. 1894.

Non alius est ordo iudicialis in *secundo casu*, si unus adversus alterum contendat, se non obstringi obligatione sponsalitia. Sed, in primis, procuranda est concordia, nec praestat invitum cogere ad servandam promissionem sponsalitiam, quia *coacta coniugia solent infelices exitus habere.* Ast damna resarcienda sunt. Monet Instr. *Austr.* § *111:* « Damni compensationem quod attinet, id agatur ut conventionem aequis sub conditionibus stipulentur. Super petitione unius saltem partis pecunia quoque compensationis loco solvenda statui potest. Quando actori non sufficiat, liberum quidem ipsi sit de damni compensatione iudicium saeculare interpellare (1), verum reclamationis ab eo matrimonio oppositae ratio non amplius habebitur ». At initis etiam sponsalibus, favor iuris est pro libertate. Instr. *Austr.* § *108.*

§ 4. *De speciali ratione probandi diversa impedimenta.*

Summarium. — 459. Testes quantumvis propinqui admittuntur vel etiam praeferuntur in his causis. — 460. Testes *septimae manus* sunt testes de *credulitate.* — 461. An semper requirantur *ad substantiam.* — 462. De testibus *ex officio* citatis. — 463. De peritia exquirenda in causis agitatis, sive ex capite impotentiae, sive ad dispensationem obtinendam a matr. rato et non consummato. — 464. Specialis procedendi ratio. — 465. Confessio *iurata* coniugum. — 466. De iuramento in genere. — 467. Quomodo singula impedimenta specialem

(1) Hoc valet pro iis regionibus ubi codex civilis recognoscit obligationem sponsalitiam: hanc non recognoscit cod. ital. civ. *art. 53, 54.*

habeant probationis normam. — 468. De probando facto *non secutae consummationis* ad obtinendam dispensationem a matr. *rato et non consummato.*

459. Singulare est in his causis ut ii, qui in aliis negotiis habentur *relative* suspecti, nempe parentes, consanguinei, affines, domestici, in istis praeferantur, uti statuitur in *cap. 3 Qui matr. accus.* « Quod parentes, fratres et cognati utriusque sexus in testificatione suorum ad matrimonium coniungendum vel dirimendum admittantur tam antiqua consuetudine quam legibus approbatur. Ideo enim maxime parentes, et si defecerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam genealogiam, cum testibus et chartis, tum etiam ex recitatione maiorum scire laborat; qui enim melius recipi debent quam illi, qui melius sciunt et quorum est interesse ita ut si non interfuerint et consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium? Quod vero legitur: *pater non recipiatur in causa filii nec filius in causa patris*, in criminalibus causis et contractibus verum est; in matrimonio vero coniungendo et disiungendo, ex ipsius coniugii praerogativa et quia favorabilis res est, admittuntur ». Sane impedimenta matrimonialia pene omnia initium et statum capiunt in factis domesticis, quae proinde et melius *scire* et plenius *velle fateri* praesumuntur parentes et consanguinei ne penitus subvertatur ordo familiarum.

460. Ex eodem principio fluit probatio *per testes septimae manus*, quae exquiritur in istis causis et ita describitur ab Instructione S. C. C. *a. 1840:* « Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam textus (in cap. *Litterae Vestrae - De frig. et malef.*). Ut id facilius exequi iudex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, *si fieri possit*, sin minus septem vicinos bonae famae.... Similiter instante defensore matrimonii citandus erit alter coniux ut etiam ipse indicet septem propin-

quos, vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae qui, ut supra dictum est, deponant; seorsim (ut aliunde omnes testes) erunt hi quatuordecim conflantes *septimam manum* examini subiiciendi ». Hi testes, ex intentione cit. cap. *De frig. et malef.*, sunt testes de *credulitate*, qui nempe attestantur fidem adiiciendam esse confessioni coniugum asserentium, matrimonium opere non fuisse consummatum, quia ipsi et probitatem coniugum habent perspectam et facta domestica ipsis nota maxime videntur consentanea cum assertione coniugum. Uti patet, sunt species illorum testium *coniuratorum* vel *compurgatorum*, qui ad normam iuris in tit. *De purgatione canonica* (cf. supra n. 112) suo iuramento accedebant, assentiebantur attestationi iuratae illius, qui asserebat se immunem a crimine, de quo postulabatur. Vocati fuerunt *septimae manus*, prouti docet Van-Espen *Ius can.* Part. III, Tit. VIII, quia manus fuit semper symbolum fidei et manus protenditur super Evangeliis dum iuramentum editur et in contractibus, in signum fidei, manus porrigitur. Unde non bene *Avanzini* explicat *manus*, quasi *auxilium; Acta S. Sedis vol. VI, p. 515.* Cf. *folium* Causae *Varsavien.* apud. S. C. C. *diei 16 iunii 1894.*

461. Sane Episcopus Varsaviensis, inter alia dubia, quaesivit a S. C. Concilii an testes *septimae manus* adducendi essent tantum in causis *de impotentia cöeundi*, vel etiam in aliis causis. Ratio dubitandi erat, quia de hisce testibus agitur tantum in *c. c. 5 et 7 De frigidis et maleficiatis et impotentia cöeundi;* at e contra textus iam citatus Instructionis S. C. C. videtur clare exigere eiusmodi testes in omnibus causis de nullitate matrimonii; et proposito dubio I: *An testes* SEPTIMAE MANUS *in omnibus causis nullitatis matrimonii necessarii essent*, rescriptum prodiit ad I^um^ *Negative et testimonium* SEPTIMAE MANUS, *stricto sensu sumptum, exigi ad corroborandam confessionem coniugum quoad consummationem matrimonii* - in cit. Varsavien. *16 Iun. 1894.* - Testimonium *septimae manus*

proinde requiritur etiam in causis de matr. *rato et non consummato*, quarum processus *iudicialis* ab Ordinariis, uti iubet responsio ad 2um in cit. Varsavien., instruitur *tantum* ex delegatione S. Sedis. - Sapientissime autem responsum fuit, in hisce tantum causis requiri testimonium *septimae manus stricto sensu susceptum*, seu quatenus continet attestationes *de credulitate ad corroborandam confessionem coniugum*, quia aliis in causis testes expostulantur, at testes *de scientia* praeferuntur; atque ipsa Instr. S. C. C. hanc distinctionem innuit, quum post testes septimae manus, memoret « Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re *instructos* inducere... Si alios etiam defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet *de re instructos*, hos etiam citabit ut examini subiiciantur ». Quare dum testes semper requiruntur, nempe excepto casu, quo impedimentum probetur invicte per documenta, veluti impedimentum consanguineitatis, hi testes, qui ab ipsis coniugibus deducuntur etiam de sua *scientia* attestantes, vocari possunt *lato sensu* testes *septimae manus*, utpote vocati ad roborandam confessionem coniugum, sed *stricto sensu* testes septimae manus sunt testes *de credulitate* asserentes *matrimonii non seculam consummationem*.

462. Sed notanda sunt sedulo verba postrema Instr. S. C. C., nempe defensoris matrimonii esse citare *ex officio* testes, quos putat de re instructos. Revera isti testes complent processus instructionem; nam dum testes a coniugibus deducti videri possunt aliquantisper suspecti, quippe ab ipsis contendentibus selecti in sui favorem, testes *ex officio* maiorem sibi conciliant fidem, siquidem censentur omnino a partium studio immunes. - S. Cong. Concilii non semel, hisce etiam postremis annis, causae definitionem, etsi testes a partibus adducti viderentur rem omnino evincere, differre censuit ea significata mente, scilicet desiderari testes *ex officio*. Cf. Parisien. *Matrimonii mense Iunio 1897*.

463. In iudicio causae matr. ex capite *impotentiae* aut de

non secuta *matrimonii consummatione* specialem probationem exhibent periti physici. - S. Congr. Conc. in citata Instr. dilucide explicat processum *peritiae*, quae successit *experimento triennali* adhibendo ex iure vetere, potissimum ad probandam viri impotentiam *relativam* aut mulieris impotentiam *absolutam* aut *relativam* (1). Probationem per experimentum *triennale* reddebant *plenam* testes *septimae manus* et *matronae* explorantes corpus mulieris. Inquam - viri impotentiam *relativam* - quia impotentiam viri *absolutam* medici explorabant et asserebant, ut plurimum, etiam praeter experimentum *triennii*. Eadem S. C. Concilii in more habuit istud adhibere experimentum et ultimo adhibuisse videtur in una *Forolivien. 20 Sept. 1817:* cf. *Gasparri n. 1197.*

464. Deinde ab aula recessit hoc experimentum et locus factus est peritis physicis qui corpus coniugum explorarent. Instr. S. C. C. tradit opositas normas. Statuit: 1) corpori viri examinando *quinque peritos, tres medicos et duos chirurgos* (inter eos nempe partibus minime suspectos et religione et scientia

(1) Coelestinus III in *cap. 5 De frig. et malef.* statuit: « Nos vero in praesenti consultatione sentimus ut a tempore celebrati coniugii, *si frigiditas prius probari* non possit, cohabitent *per triennium* ». Ipsum *triennium* experimenti inutiliter dilapsum esse probabatur per iuramentum coniugum et testes *septimae manus*, uti docet idem caput. - Antea ob difficultatem probandae impotentiae, potissimum *mulieris*, respondebatur, uti in *cap. 4 h. t. ut quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* Sane impotentia in muliere videtur *primo* commemorari in responsione Gregorii II *(a. 726), can. 18, caus. 32, q. 7.;* de *impotentia* distincta a *sterilitate* cf. *c. c. 18, caus. 32, q. 5; 27, c. 33, q. 7.* Processus autem *triennalis* experimenti desumptus fuit a iure Iustinianeo qui Imperator *Novell. 22, cap. 6 biennio triennium* substituit. Praeterea in subsidium probationis adhibitae fuerunt *matronae*, arg. *cap. 6 h. t.*, quae explorarent corpus mulieris. - Ceterum hodie etiam DD. admodum adlaborant in explicanda natura *impotentiae in muliere.* Cf. Eschbach - *Disp. phys. edit. 2, pag. 151 seq.* et Sac. Ioseph Antonelli. - *De conceptu impot.* et *sterilit.* Romae, Pustet. 1900 et de eadem re *Animadversiones*, a. 1901.

probatiores) (1) *iudex* seliget, destinato die et loco examinis. 2) Ad locum, die statuta, accedent una cum peritis iudex, defensor matr. et cancellarius. 3) Periti singuli et *seorsim* corpus explorant viri et exarant (2) *scriptam* relationem. 4) Postea periti submittuntur interrogatoriis exhibitis a defensore matr. *clausis* et *sigillatis* a iudice reserandis tantum actu examinis. Verum addi possunt ab ipso defensore matr. aut a iudice interrogationes *ex officio*. Item expeti valet novum examen. 5) Periti ante et post examen iurant de *veritate dicenda* et attestationem ipsi subscribunt una cum iudice, defensore matr. et cancellario.

Mulieris autem exploratur corpus sequenti methodo: 1) Destinantur a iudice *tres obstetrices* mulieri rationabiliter non suspectae, a duo medicis peritis, altero medico, chirurgo altero, ad rem et specialem casum instruendae. Item eligitur a iudice locus, in quo apud *honestam matronam* fiet haec exploratio. 2) Die et loco destinato a iudice, mulier exploranda submittitur balneo aquae *purae* et *tepentis*, ad spatium trium quadrantium unius horae, adstantibus obstetricibus et matrona, quae nunquam derelinquet mulierem explorandam. 3) Balneum esse ex aqua pura et satis tepenti recognoscent duo periti medici. 4) Deinde obstetrices *seorsim* examinant corpus mulieris et exarant *scriptam* relationem vel dictant cancellario. 5) Postea istae submittuntur examini ea servata methodo qua, uti supra explicavimus, examinantur periti medici. 6) Eidem examini quoque subiiciendi erunt periti, ut suum proferant iudicium super relatis et depositis ab obstetricibus. 7) Demum ipsa matrona exa-

(1) Ad praeparandam hanc electionem et deputationem spectat illa praescriptio huius *Instr.* nempe. « *Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi quam defensori matr. ad exhibendas notulas peritorum et medicorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione* ».

(2) S. Congr. *statim* exigit fieri *relationem scriptam* ante ipsa interrogatoria quia a peritis non expostulat doctrinalem elucubrationem sed *simplicem facti* narrationem.

minatur ut referat toto balnei et recognitionis tempore se adfuisse mulieri exploratae et omnia legitime processisse.

Hac de re, uti retuli, supra Instructionem edidit S. Officium et faciliorem reddidit huius processus applicationem, maxime diminuens numerum peritorum. Verum Sacra Congr. Concilii suae Instr. postulat observantiam in causis ab Eadem definiendis. Et iure meritoque, tum habita ratione causarum, quae ad Eam deferuntur, tum diversae formae procedendi. - Hodie Curiae aliquando difficultatem nanciscuntur in ipsis medicis, qui risu excipiunt, vel contemnunt, vel non opportunam ducunt operam obstetricum. Attamen sedulo advertat iudex eccles., adhiberi *obstetrices* in explorandis mulieribus nedum ratione *honestatis*, sed etiam quia ab his veritatem *obiectivam* melius percipit iudex quam a medicis, qui facilius indulgent intentioni et desiderio mulierum; quippe incivile videtur, at certe difficilius est homini contradicere mulieri et, praeterea, iudicant ex praeoccupata opinione quum facilius indulgeant propriis placitis quam certis scientiae et iurisprudentiae regulis. Verum, malo fato, Curiae nimis facile unam vel alteram ex praescriptis normis praetermittunt, quarum omissio si non inducit actus nullitatem, quippe nullibi est cauta, tamen reddit probationem minus efficacem vel adeo imperfectam ut iudicem minime persuadeat. Cf. *Acta S. Sedis vol. IV, p. 198 et vol. VI, p. 515 sq.*

465. De *iurata* confessione coniugum haec teneantur. In causis de *sponsalibus* et separationis a *toro* et *cohabitatione*, confessio coniugum valet non secus ac in *civilibus*, quia in his veluti vim habet *transactionis*. At caute examinanda est causa *separationis* et haec concedenda, ne subsit collusio et interim sternatur via divortio *pleno*. In aliis vero causis *de nullitate*, confessio etiam *iurata* est suspecta et pene nullius valoris, quum editur *tempore suspecto* seu post institutam *accusationem in matrimonium*. Sane in *cap. 5 De eo qui cognovit X* (IV, 13) enunciatur regula. « *Quod propter eorum* (coniugum) *confessio-*

nem tantum aut rumorem viciniae separari non debent, cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere et ad confessionem incestus facile prosilirent, si suo iudicio crederent per iudicium Ecclesiae concurrendum ». Rumor viciniae sustentat assertionem coniugum per testimonium *septimae manus*. Agitur enim de probanda copula incestuosa.

466. Ob eamdem regulam de ipso iuramento coniugum Instr. *Aust.* § *169*, ita decernit: « Iusiurandum a coniugibus praestitum aeque ac eorumdem confessio probationem de impedimento obtinente suppeditare aut supplere nequit ». Quare sequitur, iuramentum fulciendum esse aliis probationibus, quibus et res in aperto ponatur et pateat confessioni iuratae fidem adiiciendam esse. Item dicatur de testibus (1). Non tamen debet exaggerari ratio suspicionis, quia catholici praesumuntur alte scire et sentire hanc veritatem, nempe matr. ratum et consummatum esse omnino *indissolubile*; et si per periurium coniuges obtinere valeant a iudice declarationem nullitatis, non aliud efficiunt nisi gravius se ipsos implicare peccatis et criminibus.

467. Perspecti iuris est, singula impedimenta quippe consistentia in diversis conditionibus, diversas admittere *speciales* probationes; et has explicat diserte cit. Instructio S. Officii § *27 sq.* (et hanc Instr. referimus inter *Allegata*) et dictat Instr. *Aust.*, § *172 sq.*

468. In processu, qui instruitur pro obtinenda dispensatione a matr. *rato et non consumm.* a S. Congr. Concilii praescribitur observantia Const. Bened. - *Dei miseratione*, et cit. Instructionis

(1) Adnotatione est digna praescriptio Instr. *Aust.*, § *233*, in qua agitur de *actione ad separationem a toro et cohabitatione* et statuitur iuramentum coniugum admitti nisi sint graviter suspecti *de periurio*. Certe in hac causa est magis timendum periculum periurii, quippe non agitur de ipso vinculo coniugali. - Sed etiam in causis *de nullitate* iudex potest non admittere ad iuramentum eum coniugem, qui neque *iuratus* ullam fidem meretur.

eiusdem Congr. - Certe ad probandam non secutam consummationem optima probatio est exploratio corporis mulieris, quae si gerit signa virginitatis, sequitur matrimonium mansisse opere non consummatum. Tamen haec probatio quamvis potissima non est absolute *necessaria*. Nam si haec obtineri non possit, utputa quia mulier est vidua vel ab alio corrupta; verum adsit probatio per *coarctata tempora* seu pateat coniuges nunquam mansisse solum cum sola, aut probatio adsit *moralis* omnibus numeris absoluta seu iuramentum coniugum amplissime suffultum testimonio *septimae manus*, S. Congr. C. solet reddere favorabile suffragium pro dispensatione.

§ 5. *De ordine processus matrimonialis.*

Summarium. — 469. Causa introducitur aut ad instantiam privati *accusatoris* aut ex officio. Inde enascitur differentia substantialis in processu. — 470. Quomodo excipiendae accusationes. — 471. Quomodo denunciationes. — 472. Quomodo procedatur *ex officio*. — 473. Distinguendi sunt diversi casus. — 474. Quinam sit actus aequipollens *contestationi litis*. — 475. Si fieri potest, conciliandi sunt coniuges. — 476. De examine coniugum. — 477. De examine testium. — 478. De aliis probationibus adducendis usque ad *conclusionem in causa*. — 479. De publicatione processus qui, uti patet, vel est pure *accusatorius* vel *mixtus*. — 480. De nova processus reassumptione vel *apertione*. — 481. De sententiis *interlocutoriis*. — 482. Quonam sermone conscribenda sint tum *acta* causae, tum *acta iudicii*. — 483. De sententia definitiva. — 484. De appellatione. — 485. De executione.

469. Processus in hisce causis instauratur ad instantiam accusatoris quando vel unus e coniugibus, vel etiam utrique coniuges matrimonium accusant, vel alius privatus civis obiiciens aliquod impedimentum contendit aut matrimonium a nupturientibus validum iniri non posse, vel iam initum nullum esse. Processus tunc instauratur *accusatorius*, quippe accusatoris est probationes afferre. - Attamen in causis *de valore vinculi*,

quippe agitur de veritate investiganda circa valorem sacramenti, iudex *ex officio* supplere debet negligentiam aut imperitiam *accusatoris* perquirendo, si casus ferat, validiores accusationis probationes, utputa citando testes *ex officio*. Ex alia vero parte, defensor vinculi *ex officio* operam confert suam, qua tueatur matrimonii valorem. Revera, ut plurimum, processus matrimonialis sive de matrimonio ineundo, vel de iam inito agatur, sive de *pleno* aut de *semipleno* divortio, instauratur ad instantiam accusatoris; et inde iudicium est pure *accusatorium*, sed cum aliquo temperamento; siquidem et iudici partes *accusatoris* adiuvare, et defensori matr. vinculi partes *accusati* supplere et adiuvare *ex officio* competit. Instr. *Austr.*, § *123*.

Verum in his causis, quae vinculi valorem respiciunt, dummodo ius accusandi *coniugibus* aut *uni ipsorum privative* non competat, iudex ad cuius aures sive ex *denunciatione*, sive ex *fama*, sive ex inquisitione *generali* devenit notitia impedimenti obstantis valori coniugii vel contrahendi vel contracti, iudex, inquam, ex *officio* instaurat processum *mixtum*, seu antea inquisitionem *specialissimam*, postea *accusationem*, unde edi valeat sententia iudicialis decernens obstare impedimentum dirimens vel nullum obstare quo minus coniuges matrimonialem foveant conversationem. Ad rem monet Instr. *Austr.*, § *114*: « Ecclesia utpote fidei ac morum custos, matrimonii invigilat sanctitati ac vinculo indissolubili. Quod si catholicus homo in coniunctione vivat quae, cum impedimentum dirimens ei obstet, matrimonii nomen perperam usurpet, ipsa ad veri matrimonii dignitatem elevari, aut quando id fieri nequeat, invalida pronuntiari ac dirimi debet. Vicissim indissolubile matrimonii vinculum, adversus omne ipsum sub invaliditatis praetextu dirimendi conamen, magno vigore sustentari debet ». Quia apud curiam *tutor iustitiae et legis* est promotor fiscalis, huius esset promovere inquisitionem et haec in themate dirigitur ad probandum impedimentum *dirimens*, utputa consanguinitatem, qua-

propter sit accusandum veluti nullum matrimonium contractum inter sponsos hoc impedimento affectos iidemque cogendi essent ut cessarent a scandaloso conturbernio nisi prospiciant matrimonio *revalidando*. Verum adversus hanc inquisitionem fiscalem ageret alius promotor fiscalis, defensor matr. sub alio aspectu, nempe ut defenderet matrimonii valorem. Hoc adverto ut pateat, defensorem matr. esse procuratorem fiscalem, sed non omnem absorbere *actionem fiscalem;* imo ipsum unum tantum partem huius actionis referre, nimirum *tueri matrimoniis valorem*, utique pro *veritate;* attamen ad ipsum nunquam spectare potest *matrimonium* accusare. Hoc vero praestat ipse promotor *generalis* fisci vel ipse iudex *ex officio*, quotiescumque, una vel alia ratione non suppetat opera huius *generalis* promotoris fisc. in curia dioecesana.

470. Modo in specie dicamus quomodo accusatio instituatur. In primis advertatur admitti quoque *procuratorem*, qui accusationem proferat. - Quoad modum, praesto est cit. Instructio S. Officii hunc actum ita ordinans § 4: « Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto: si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta normas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali et a cancellario in actis redigatur ». § 5: « In ea praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur et via tribunali sternatur veritati detegendae ». Accusationis actus constituit *libellum supplicem* instantiae introductivum, ex quo iudex cognoscit an ipse sit *competens* et an *accusatio* probabili innitatur fundamento. Nam si constaret, accusationem esse ineptam et nullo evinci nec probabili argumento vel indicio, respuendus est accusationis actus absque ulteriori inquisitione. Nulla est determinata formula, qua concipiatur iste libellus et exarari valet lingua vernacula. Quotiescumque

vero uti supra notavimus, causa introduci velit aut debeat coram Sede apostolica, libellus exarandus est lingua *latina*, aut *italica*, aut *gallica*. Cf. Vol. II, n. 107 sq.

471. Si qui denunciat impedimentum, *accusationem iudicialem* ipse instituere non vult, sed monere intendit curiam ut *ex officio* agere possit, tunc iste dicitur *denunciationem* facere. Quomodo denunciationes excipiendae sint explicat *Instr. Austr.*, § 128: « Denunciationes oretenus factae in acta redigantur: si scripto proponantur, curandum est ut auctor personaliter examinetur, omnes ad eum dirigantur interrogationes, quae ad quaestionem facti in claram lucem vindicandam contribuere possunt ». § 129: « Denunciationes scripto exhibitae, quarum auctores personaliter examinari nequeunt, sub peculiaribus tantum rerum adiunctis, pro sufficienti processus instituendi causa, haberi possunt. Depositionibus tamen in iis contentis, pro re nata, utendum est ad ulteriores investigationes instituendas ». Quocirca denunciatio viam aperit accusationi *ex officio* instituendae, cui tamen praevia est *inquisitio*, si denunciatio non satis fundatam pandat accusationis rationem.

472. Praeterea locus est inquisitioni *ex officio* et accusationi, uti fert processus *mixtus*, si nulla praecesserit denunciatio, sed fama divulgata est de impedimento vel, alias, notitia ad curiam devenit. Instr. *Austr.*, § 131, cavet: « Quod si de obtinente quodam matrimonii impedimento fama divulgetur quae, omnibus perpensis circumstantiis, attentionem meretur, tribunal matrimoniale circa fundamentum harum narrationum vel assertionum investiget atque diiudicet an, quae eruantur, inquisitionem decerni postulent ». Ad explendam inquisitionem praeviam praestat ut deputetur iudex *instructor* seu *commissarius*, cuius est procedere, instante promotore fisc. curiae, uti supra adnotavi. At si ipse iudex Ordinarius *ex officio* absolutum dedit mandatum commissario, hic, pro expeditiore et magis oeconomica ratione agendi, explere valet etiam partes promotoris fiscalis,

quatenus coniugibus *contestatur accusationem* et probationes adducit quae nullitatem matrimonii aut valorem evincere videntur. Instr. *Austr.*, § *141*, rem ita expedit: « Commissarius ad inquirendum deputatus, antequam ad probationes in forma iuris instituendas (seu *in forma accusationis in processu mixto*) procedatur, adniti debet ut omnium circumstantiarum, quae ad matrimonii valorem, vel nullitatem extra dubium ponendum facere possint, accuratam acquirat notitiam. Hunc in finem, pro conditione casus et personarum, necessariae percunctationes faciendae; postea coniuges, personae matrimonium accusantes, vel quae impedimentum denuntiarunt et, in quantum fieri potest, etiam testes, qui pro matrimonio aut contra illud producuntur, *defensore matrimonii praesente*, praevie interrogandi sunt ». Ea, quae ex hac inquisitione profluunt, submittuntur deliberationi iudicis Ordinarii, cuius est decernere an ulterius explicari debeat praevia inquisitio, vel potius an haec intermittenda sit, quum omne deficiat fundamentum accusationis; vel, e contra, an procedendum sit ad formalem *contestationem* probationum hactenus collectarum usque ad sententiam definitivam.

473. Pro speciali ratione procedendi varii et singuli casus distinguendi sunt. 1) Quaestio moveri contingit de matrimonio *ineundo*, quia factis proclamationibus seu *bannis*, aliquis fidelis sistit coram parocho aut Episcopo denunciaturus aliquod impedimentum *dirimens*, ut puta *publicae honestatis*, *criminis*. Antea ab eo exquiritur an intendat ipse *accusare*, vel tantum *denunciare*. Sed in utroque casu, nisi evidentissima sit veritas, vel falsitas accusationis, curia inquirere incipit *ex officio* in rei veritatem, unde *accusationem* vel *denunciationem* excipere valeat vel repellere. Haec inquisitio *pro informatione curiae* fieri debet iuxta Intructiones editas a S. Congr. S. Officii pro decernenda *libertate Status*. Cf. Allegata V et VI. Quare deveniri non debet ad contentiosam negotii tractationem, nisi factum sit experimentum inducendi nupturientes, de veritate edoctos, ut vel

cessent a proposito *ineundi* matrimonii, vel sibi consulant per *legitimam dispensationem*. Si malo fato, hoc experimentum irritum cadat, vel quia coniuges contendunt impedimentum non obstare, vel quia amice cedere nolunt instantiae Ordinarii asserentes se dispensatione non indigere, devenire oportet ad tractationem iudicialem. Et tunc aut fidelis *accusationem* iudicialem ipse assumit, vel hanc instituere respuit; quocirca curia *denunciationi* innixa et aliis argumentis ex inquisitione collectis impedimentum *contestatur* nupturientibus et devenitur usque ad sententiam *definitivam*, quae ex *actis* et *probatis* edicit impedimentum *dirimens* vel obstare vel minime obstare matrimonio ineundo.

2) Inter impedimenta *impedientia*, negotium aliquando etiam *iudiciale* facessit impedimentum ex *sponsalibus*, quippe servanda est fides *sponsalitia*. At non est instituenda quaestio *iudicialis* nisi sponsus, qui *accusat* impedimentum, idem iudicialiter evincere intendat. Quia si accusare nolit, intelligitur renunciare iuri suo, vel saltem impedimentum probari non posse; neque *ex officio* iudicium instauratur, quia agitur magis de *iure privato*. At semel instaurata accusatione, supersedendum est matrimonii celebrationi, quae non est permittenda, nisi absoluta quaestione vel per *amicabilem* compositionem, aut *transactionem*, vel per iudicis *decretum*. - Ast permitti deberet uti *minus malum* nuptiarum celebratio, si res nimis in longum protraheretur. Cf. Instr. *Aust.* § *112*.

3) *Inita* iam conversatione coniugali, agi usuvenit de separatione quoad *torum* et *mensam*, veluti ob *adulterium*, ob periculum *animae* vel *corporis*. Quaestiones movere ad obtinendam separationem illi ex coniugibus pertinet cuius interest, seu coniugi laeso. Quare non instaurantur *ex officio* istae causae, sed tantum ad *instantiam partis laesae;* facta vero instantia, proprium est iudicis eccles. inquirere an instantia separationis sit innixa legitimis argumentis. Ut puta allegatur adulterium, seu pars innocens alteram traducit in adulteram et petit disrumpi

conversationem coniugalem. Sed pars, quae accusatur, negat factum adulterii. Tunc iudicis est, investigare an probationes ab accusatore allegatae solido innitantur fundamento. Si vero accusatus fateatur adulterium, confessio plenam facit probationem. Nam in hisce negotiis, quae respiciunt *iura privata*, non secus ac in negotiis *civilibus*, confessio, iuramentum, suapte natura, vim habent definitivam. Inde in istis causis locus est iuramento *suppletorio* et *decisivo*, siquidem *transactioni* et *concordiae* praestat aditum aperire. Cf. Vol. I, n. 45. - Dum in causis de valore coniugii et *confessio* et *iuramentum* coniugum non plenam faciunt fidem, quia si coniuges mentiuntur (quod timere non est absonum) nedum ius suum in discrimen adducunt sed potissimum bonum publicum, quod nullimode tollerari potest. Cf. Instr. *Austr.*, § 205, sq.

4) Quaestiones autem, quae *vinculi valorem* respiciunt, ita exoriri possunt et iudicialiter agitari. Nimirum si unus coniux matrimonium uti nullum accuset, altero coniuge refragante, coniux accusator causam instaurat et alterum in ius vocat. Defensor vinculi adiuvat quasi *advocatus* partes accusati producens etiam *ex officio* testes et omnigenas probationes; iudex vero incumbens in veritatem detegendam testes *ex officio* et alias probationes exquirere debet, tum in probationem accusationis, tum in defensionem accusati, prout casus ferat.

5) Uterque coniux aliquando accusat matrimonium veluti nullum propter impedimentum clandestinatis, consanguinitatis, et quasi *reus* convenitur defensor vinculi, qui pro viribus tuetur matrimonii valorem. - Iudex usque intendens in rerum veritatem *ex officio* comparat probationes, potissimum testes qui, immunes a partium studio, res enarrare praesumuntur conformes veritati.

6) Hactenus de processu *pure accusatorio* quoad matrimonium iam *initum*. - Sed fingamus, Titium et Caiam publice coniugali consuetudine esse copulatos eosdemque accusare uti

concubinarios, utpote illegitimam conversationem foventes, vel rumor et fama, vel secreti denunciatores. Iudex *ex officio* instituit *inquisitionem* ut si detegatur, revera obstare impedimentum dirimens vel criminis, vel publicae honestatis, vel consanguinitatis vel clandestinitatis, nulla dispensatione relaxatum, idem iudex, per libellum citatorium, in ius convocabit istos concubinarios ut respondeant de sua agendi ratione. Hi subiiciuntur examini et impedimenti fit *contestatio* cum intentione ut cessent a concubinaria conversatione. Si isti excipiant et probare contendant suam unionem utpote *legitimam*, inducitur iudicialis contentio; et accusatoris partes explet *fisci* procurator *generalis* curiae, vel ipse iudex *ex officio*, uti supra adverti et agunt adversus accusatos concubinarios, quorum tamen partes adiuvare debet defensor vinculi, si revera in quaestione versetur utrum matrimonium contractum rite initum sit.

7) De matrimonii *rati* et *non consummati* dissolutione quaeri potest sub duplici capite, nempe de dissolutione *a iure*, et de dissolutione *per rescriptum* S. Pontificis. 1) *Ipso iure*, ob ingressum in religionem alterius coniugis, dissolvitur coniugium ratum et non consummatum. Ad hoc *bimestre* concessum est coniugibus ut hi, antequam matrimonium consumment, de meliori statu capessendo deliberent. - Praeterlapso autem bimestri tempore, si alter reddere debitum recuset, quaestio oritur *possessoria* (Vol. I, n. 230) a iudice definienda, uti dictat Instr. *Austr.*, § 201, scilicet: « .... *perpendendum ante omnia venit, an matrimonium nondum esse consummatum extra dubium positum sit. Quo sufficienter probato, coniugi recusanti indulgendum est ut intra bimestre aut matrimonium consummet aut religionem a S. Sede adprobatam ingrediatur. Ex gravi tamen causa terminus vel brevior, vel longior praefigi potest* ». Post ingressum in religionem, iudex declarat per attestationem, in libro quoque nuptiali adnotandam, vinculum matrimoniale fuisse dissolutum. - 2) A *matr. rato* et *non cosummato* Pontifex

dispensat in singulis casibus, quibus hanc gratiam impertire bonum esse ipse arbitratur. Hodie sunt frequentes isti dispensationis casus; quia quotiescumque dubitatur an obstet impotentia coeundi antecedens et perpetua, vel quodcumque aliud dirimens impedimentum, si constet matrimonium mansisse opere non consummatum, via initur extraordinaria dispensationis et hanc concedere non renuit S. Pontifex. - Quo securius in probatis existat matrimonium non fuisse consummatum, conficitur processus, servatis normis praescriptis a S. Pont. Bened. XIV, Const. *Dei miseratione;* et in Instr. hac de re editis a S. Sede. At Ordinarius non est competens, ad processum instruendum, nisi ex delegatione S. Sedis, uti supra dixi. Quare iste supplicem oratorum libellum transmittit ad Congregationem competentem eumdemque aut suis litteris commendare, aut adductis rationibus refutare debet. Inde optimum est ut, excepta petitione, inquisitionem instituat Ordinarius pro *informatione curiae* seu *extraiudicialem* adeo ut si nullum adesse fundamentum veritatis comperiatur, petitionem refutet; si adesse autem pateat, petitionem remittat suis litteris commendatam. Per inquisitionem autem *extraiudicialem* rerum notitia assumitur perquiri solita in aliis negotiis *extraiudicialibus* pro gravitate singulae quaestionis. Tunc rescriptum recipiet *delegationis* Ordinarius ad conficiendum formalem processum, tamen usque ad sententiam *definitivam* EXCLUSIVE, quam pronunciare sibi reservat S. Sedes.

474. Non semel, in hac tractatione, memoravimus actum *contestationis* et hunc, non ratione *solemnitatis*, sed pro determinando obiecto controversiae, his in causis locum habere in aperto est. In processu *accusatorio* fit contestatio, quando accusator matrimonii determinat *titulum iuridicum* accusationis et potiores probationes, quibus hoc evincere contendit. In ipso libello *accusatorio* ista explicantur et denunciantur reo convento, qui dum contradicit et in ea parte, qua contradicit, suam exceptionem *iudicialiter* se probaturum asserit, et exinde facta est *conte-*

statio. - In processu autem *mixto*, incohatur contestatio impedimenti in libello *accusatorio* edendo post praeviam inquisitionem et perficitur in examinibus, quibus conventus subiicitur.

475. Contestatio est ianua iudicii, sed tum ante, tum post contestationem, si aliqua spes affulgeat, faciendum est experimentum concordiae, quae pendet ex simplici partium consensu in causis de *sponsalibus*, de divortio *semipleno*. At dum obstat impedimentum *dirimens*, sollicitandus est consensus partium pro obtinenda revalidatione. Cf. Gasparri, *De matrim. n. 1125.*

476. Facta litis contestatione procedendum est ad probationes conficiendas et hae maxime consistunt in examine coniugum et testium. - Citationem edere, qua praefinitur dies comparitionis et locus, competit moderatori actorum seu *instructori*, audito tamen defensore matrimonii. Examina vero explentur ad normas iuris communis, et hic tantum subnectimus quod est *speciale*. - In primis est singulare in his causis, interrogatoria proponenda, sive coniugibus, sive testibus, sive peritis, concinnanda esse a def. matr.; et haec interrogatoria *clausa* et *obsignata* tradi cancellario, eademque aperienda esse a iudice dumtaxat in actu examinis, adstante quoque Defensore matr. Sed pro responsionibus redditis ab examinato, integrum est et iudici *ex officio* et defensori matr. addere interrogatoria. Interrogatoria et responsiones ab actuario exarantur in actis. Antea examinatur accusator, postea reus conventus, et apposita et distincta proponuntur interrogatoria, uti diximus praeparata. Si uterque coniux matrimonium accusat et quasi *reus* convenitur defensor matr., hic non submittitur *formali examini*, quia ipse deductiones facit in suis animadversionibus; testes autem, quos deducit, examinantur iuxta *speciales* normas modo explicatas. Cit. Instr. S. Congr. Concil. haec statuit: « Interim dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem et deinceps singulas ex ordine, *post quas, scribet responsiones a iudice dictandas.* Si quod inter-

rogatorium addatur *ex officio* a iudice, vel a def. matr. cancellarius interrumpet ordinem progressivum et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a def. matr. ». Iudex iubetur *dictare* responsionem seu in congruam formam redigere; hanc responsionem ita *dictatam* audit pars et illam postea vel corrigit, vel confirmat.

Seorsim interrogantur coniuges, item testes et periti et dicta unius alteri pandenda non sunt quousque processus non fuerit publicatus, sed non prohibetur veluti uni coniugi alterius coniugis vel integram, vel ex parte attestationem legere, contestari. quotiescumque hoc conducat ad veritatem detegendam. - Coniux examini subiectus proponere valet *articulos* seu *positiones*, super quibus vel alter coniux, vel testes interrogentur, itemque ad *acta* probationum documenta deducere plane potest, quorum omnium ratio habenda est in proponendis interrogatoriis. - Imo percontandae sunt partes ut proferant, si habent documenta, aut *articulos* componant, super quibus fiant interrogatoria. - Cum primis a coniugibus expostulandi sunt *testes septimae manus*, quippe hi testes ab ipsis coniugibus producendi sunt; secus dicuntur produci *ex officio* et differunt a testibus *sept. manus*. Cf. supra n. 425. Testium autem aut coniugum examen repeti valet, tum ut exhauriantur *articuli* vel *positiones* ab altero coniuge deducti, tum ut nova emergentia adiuncta necessarias excipiant declarationes; itemque conceditur utrique coniugi, usque dum publicatus fuerit processus, ut expetant super iisdem aut novis articulis vel eosdem vel novos testes interrogari. Idem vero examen si una *sessione* non absolvatur, completur in altera: ad hoc advertatur n. 228.

477. In examine testium servandae sunt omnes regulae iuris communis, in primis ut *seorsim* interrogentur et iuramento adstringantur. Ad haec, aliquid singulare est, nimirum ut interrogatoria *clausa* et *obsignata* tradantur a def. vinculi

concinnata et reserentur, eodem adstante, in actu examinis. Testibus autem *septimae manus*, seu septem *ex utroque latere* seu *et viri* et *uxoris* (si haberi possint septem, secus et numero plures aeque recipiuntur et minori numero non repelluntur) eadem interrogatoria proponuntur; videlicet septem testes a viro producti, quippe omnes sunt testes de *credulitate*, in primis audiunt responsiones redditas a coniuge producente et deinde erunt interrogandi utrum perspectam habeant illius religionem et honestatem et an credant aut sibi vero similia videantur quae ab eo relata sunt. Praeterea percontantur ut narrent quae ipsi cognoscunt de facto controverso, et solent omnibus proponi eadem interrogatoria; sed nihil prohibet quominus singulis, aut uni et alteri specialia fiant interrogatoria. Deinde devenitur eadem ratione, ad interrogandos testes *septimae manus* alterius coniugis; et lecto huius examine, postea fiunt apposita interrogatoria. Vidimus testes *septimae manus* esse proprie *de credulitate* et adhiberi in causis de impotentia coeundi et praeterea cum agitur de matrimonio rato et non consummato. Nam in aliis causis, ut plurimum, testes sunt de *scientia* vel de *auditu* et hi respondere debent de rebus sibi cognitis, veluti de causis et modis metus incussi ad extorquendum consensum. Quare hisce fiunt interrogatoria exhibita a def. matr. et alia proponuntur *ex officio* a iudice vel a def. matr. in ipso actu examinis, sed ipsis non legitur, ex praescripto iuris, attestatio coniugis, a quo producuntur, uti observatur cum testibus *septimae manus* proprie dictis. Attamen nihil prohibet quominus hisce etiam testibus legatur integra, vel ex parte, attestatio coniugis vel alicuius testis ut inde exploretur veritas. Praeter testes a coniugibus deductos, praestat alios audire *ex officio* convocatos ut res intimius perquiratur omni ex parte.

478. Aliae probationum species, veluti instrumenta de actu nuptiali, litterae, scriptae attestationes excipiuntur non secus ac in aliis processibus, prouti iam supra tetigimus. - Probatio, quae

maxime inservit in his negotiis, est peritia seu exploratio corporis viri et mulieris in causis de impotentia coeundi et exploratio corporis uxoris in iudicio de matrimonio *rato* et *non consummato*.

479. Tempus utile ad probationes deducendas habetur usque ad *conclusionem in causa*, seu quousque non finiatur dilatio probatoria. - *Conclusioni in causa* subsequitur *publicatio processus*, quam ita determinat cit. Instr. S. Officii, § 22: « Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matr. nulla probatio requirenda videatur, finis imponitur *probationum collectioni* et processus publicetur, edito, hac super re, decreto ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo ». Distingui debet haec *publicatio* subsequens *conclusioni* in causa a *publicatione partiali*, quae aliquando fit in *ipsa contestatione* quoad particularem attestationem aut aliam probationem, cuius notitia conceditur ut alter aliam opponat probationem, si valet. E contra *publicatio finalis* et de *universo processu* (nisi gravis ratio expostulet aliquam reservare probationem) consequitur *conclusioni in causa*.

Publicato vero processu, ait § 23 *cit.* Instr. S. Officii « ... locus fiat defensionibus, quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores, quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure ut, lata sententia. iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem, si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat ». Istae *defensiones* pertinent ad explicanda et coordinanda inter se argumenta quae, *respective*, videntur deduci *ex actis* et *probatis* tum in favorem actoris, tum in rei favorem. - In curiis episcopalibus, uti in curia romana, non fiunt istae defensiones *viva voce* sed *scriptis*. Et revera in hisce causis parum expedire *oralem* habere disceptationem patet ex subiecta materia; et de hac

nullam mentionem faciunt plures Instructiones editae a S. Sede; dum e converso pro causis disciplinaribus clericorum eamdem utiliter frequentari supra explicavimus. - Iudex, quippe qui in his causis *pro suo officio* acquiescere non debeat allegationibus et defensionibus partium contradicentium, nisi omnia sibi satis in luce collocata esse videantur, ad clariorem probationum et *iuris* et *facti* argumentorum explicationem, exquirere potest a viro perito, vel etiam a duobus peritis *votum pro veritate*. - Ne defensiones et animadversiones et ipsarum partium et vinculi matr. defensoris nimis multiplicentur, est cautum *iure comm.* quomodo moderandum sit *ius replicationum*. Cf. Vol. I, n. 171.

480. Decreta *conclusione* in *causa* et consequenti processus *publicatione*, contingit non semel ut pars, quae *ex actis et probatis* publicatis, cognoscit sibi non fausto omine rem procedere, expetat novos deducere testes et novas probationes; ast *aperitioni processus* obstat decretum *conclusionis in causa* et *publicationis processus*. Et iudex debet intimius perpendere, quanti sit facienda haec regula processus et ab eadem non recedere nisi ex probatissimis rationibus. Nam causae matr. *in attestationibus* potissimum nanciscuntur necessarias probationes, at labilis ista probatio et dicitur et est (Vol. I, n. 466) quia testes facile corrumpuntur. Nihilo secius *nulla regula sine exceptione*. Et exceptioni locus est quotiescumque ex *bona fide* et *amore veritatis* iudici persuasum sit, partem sive actricem sive conventam expostulare aliarum probationum deductionem et inde *processus aperitionem* sive ante, sive post sententiam *definitivam*. - Verum *publicatio processus* non obstat quominus defensor matr. et iudex ex *officio* alias perquirat probationes, quia a iudice abest suspicio corruptionis. Attamen et isto iure cum necessaria *prudentia* et pro necessitate tantum uti debet iudex et defensor matr., ne res magis implicetur et fiat *exceptioni suspicionis* locus.

481. Inter processum instruendum aliquando occasio incidit

dirimendi aliquam controversiam, ut puta an testis admittendus sit, an constet de contumacia alterius partis: hae quaestiones definiuntur per sententias *incidentales* seu *interlocutorias* de quibus supra n. 254.

482. Sententiae omnes, sive *incidentales*, sive *definitivae* exarandae sunt in *scriptis;* siquidem Instr. S. C. Conc. iubet § *Cum itaque* « Ea itaque (acta) non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis interrogatoriis, responsionibus ad ea et peritorum relationibus; praesertim vero decreta et sententiae, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur ». Proinde acta, quae promanant a iudice et non directe ordinantur ad responsionem obtinendam a coniugibus, vel a sponsis, vel a testibus, vel a peritis, qui linguam satis non calleant latinam, erunt latine conscribenda. Ratio est quia, propter instantiam appellationis eiusmodi acta forsan obnoxia erunt examini iudicis supremi apud S. Sedem.

483. Sententiam *definitivam* ita iubet ferri Instr. S. Officii § 24. « Omnibus ut supra peractis, ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu eius delegato rite fiat, in primis a defensore matr. exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde, integra causa, duobus vel tribus viris peritis, *si haberi possint*, examinanda subiiciatur et, nonnisi audito eorum voto, sententia proferatur. - Haec in scriptis erit exaranda in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen ne quidquam essentiale omittatur. - Sententia subscriptione iudicis et secretarii nec non sigillo curiae episcopalis munita, partibus erit notificanda per curiae apparitorem, relicto eisdem illius exemplari, de quo in scriptis fides erit facienda ».

484. A sententia appellandi ius est intra *decendium* ad normam iuris communis. Vol. I, n. 638. - Quodnam sit *speciale* onus def. matr. in appellatione instauranda, supra diximus. Hoc singu-

lare est, ut causae matrimonii vinculum respicientes *nunquam transeant in rem iudicatam*, ex Const. « *Dei miseratione* », § *11*; attamen, dilapso decendio, non proprie fit appellatio *iud.* sed *extra-iudicialis*. - Nonnulli cum Sanchez, *De matr. lib. VII, diss. 100, n. 8 sq.* advertunt, has quoque sententias fieri *rem iudicatam*, si non appellantes consensum ipsi impertiisse videantur ad *revalidandum* matr. quod proinde *appellatione* non amplius impetierunt. - Equidem quamvis aliquando *nudo coniugum consensu* matrimonium revalidetur (cf. supra et Gasparri, *l. cit. n. 1130*) tamen, proprie loquendo, tunc non habetur *effectus rei iudicatae* sed *factum revalidationis*, et hinc exceptio non *rei iudicatae* sed *matrimonii revalidati* adversus accusationis instantiam. Praeterea *revalidatio* praesumitur *praesumptione iuris* tantum, dum *res iudicata* innititur praesumptioni *iuris et de iure*. Sententiae de *sponsalibus*, de *expensis* et aliae id genus transeunt in *rem iudicatam*.

Quum non opponitur appellatio, effectus est ut ipsa instantia appellationis perimatur, dilapso *decendio:* inde si postea causa velit reassumi, instantia facienda est coram iudice primae *instantiae*. Sanchez, *l. cit. n. 9.* - Iudex primae *instantiae* decernet an *ex noviter deductis* sibi videatur *recedendum esse a decisis;* adversus vero sententiam prolatam a iudice *primae inst.*, iterum aperitur instantia *appellationis*.

« Facta appellatione (iubet cit. Instr. S. Officii § *27*) Episcopus seu Ordinarius, qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit, una cum integro processu caeterisque omnibus ad causam iterum iudicandam pertinentibus, ad tribunal ad quod appellatum ». Heic non praecipitur acta transmittenda esse *authographa;* sed hoc servari debet nisi gravis obstet difficultas. Integrum est iudici appellationis novas exquirire probationes, imo *novum processum ex integro conficere* (Instr. S. Off. § *28*) si hoc *necessitas* expostulet.

485. De executione sententiae citata Instr. S. Officii § *30*

monet: « Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit et ab ea pars aut defensor matr. pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum vel legitimam causam, id vetitum non sit. Potestas tamen.... ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente iure aut privilegio causarum matr. quae, ob cuiusque temporis lapsum, nunquam transeunt in rem iudicatam ». Ad rem iuvat revocare rescriptum S. C. S. Officii *diei 27 Martii 1901*, quo confirmatur, defensoris matr. proprium esse aestimare an satis *probata vel certa sit nullitas matrimonii;* nam quaerebatur an decretum *diei 5 Iunii 1889*, statuens quosdam causas matrimoniales *evidenter* nullas posse dirimi *una sententia*, deberet applicari *taxative* casibus in ipso decreto significatis; et responsum prodiit. *Provisum per decretum S. R. e U. Inquisitionis quod intelligendum est tantum de causis, in quibus certo et evidenter constet de impedimentis, de quibus agitur; quae certitudo si desit, a defensore vinculi matrimonialis ad secundam instantiam procedendum erit* ».

TITULUS VIII.

DE PROCESSU SERVANDO IN IRROGANDIS VEL DECLARANDIS CENSURIS.

Summarium. — 486. Aliter proceditur ad sententiam *condemnatoriam*, aliter ad *declaratoriam*. In primis, de *condemnatoria*. — 487. Fertur propter culpam *gravem* non omnino *praeteritam*. — 488. De monitione praemittenda vel *trina* vel *una* pro *tribus*, vel saltem *bina*. De forma *monitionis*. — 489. Quomodo concipiendum sit *decretum censurae*. — 490. Censuram *comminatam* retardat ab executione vel eamdem penitus tollit excusatio, exceptio incompetentiae aut suspicionis et appellatio. — 491. Appellatio non habet effectum *suspensivum* in censuram *irrogatam*. — 492. De sententia *declaratoria censurae*. — 493. *Declarationi* censurae praemittitur *citatio*, et *citationi* necessaria notitia criminis aut *inquisitio* pro *informatione curiae*. — 494. Sufficit *unica* citatio, et quomodo concipiatur. — 495. Iudiciali ordine discutiuntur excusationes a reo deductae. — 496. De formula sententiae *declaratoriae*. — 497. De simplici *denuntiatione*. — 498. De appellatione a *declaratoria* cum utroque *effectu*. — 499. Posthabetur quicumque ritus in casu necessitatis seu *quum vis vi repellitur* et in casu *notorii*.

486. Heic recensemus dumtaxat regulas processuales observandas in edendis sententiis aut *comdemnatoriis* aut *declaratoriis* censurarum. Hae regulae profluunt ex notione censurarum et has late explicavimus Vol. III, n. 80 sq. - Exordimur a sententia *condemnatoria*, quae irrogat censuras *a iure fer. sent.*, vel sententias *ab homine* non *ipso facto* incurrendas.

487. Sententia *condemnatoria* in *censuram* ordinatur ad compescendam culpam *gravem* non *omnino praeteritam*; (Vol. III, n. 8, § 4), quocirca processus praehabendus est ex quo evincatur, culpam adesse *gravem* in eaque *contumaciter* perseverare fidelem baptizatum; sive culpa sit iam *perpetrata*,

veluti furtum, sed tractum habeat *successivum* ob persistens propositum non restituendi rem ablatam; sive culpa versetur in perseveranti consummatione, veluti concubinatus. Culpa enim adamussim *praeterita*, utputa blasphemia, est obiectum poenae *vindicativae*, ut ecce suspensionis a divinis ad *mensem*, vel suspensionis a beneficio ad *bimestre*. - Ceterum, et planum est, censuram comminari valet iudex, nisi ipse clericus blasphemus aliquod praestet opus publicae reparationis.

488. *Censuris* praevia est *monitio*. Sententiae enim *condemnatoriae* in *poenam* praemittitur cognitio iudicialis ut constet de *facto* criminoso; exinde editur *citatio*, qua convenitur praesumptus reus, *condemnandus* nisi probet suam innocentiam. Condemnationi *in censuram* praemittitur *monitio* (1), quia per hanc magis pertentatur animus illius, qui de *contumacia* convinci vult, nisi aliquid *praestet* vel *facere* omittat.

Monitio debet esse *trina*, vel una *peremptoria*, ad praescriptum capitis 9 *De sent. excomm. in 6.* « Statuimus quoque ut inter monitiones, quas (ut canonice promulgetur excommunicationis sententia) statuunt iura praemitti, iudices sive monitionibus *tribus* utantur sive *una pro omnibus*, observent ALIQUORUM DIERUM COMPETENTIA INTERVALLA, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda ». Advertit Monacelli *Form. legal. part. 3, tit. 1, form. 18, n. 2 seq.* ad observanda *aliquorum dierum competentia intervalla* in monitione *una pro tribus* expedire tempus assignatum, ut puta *sex dies*, ita distinguere prouti fit in sequenti formula: « *Monentur infrascripti in termino peremptorio sex dierum, quorum primi duo ipsis assignantur ad solvendum seu solvisse docendum* (ut puta parocho decimas) *sub poena excommunicationis; alii duo* (*si se senserint gravatos*) *ad comparendum et allegandam causam*

(1) Nihilominus haec *monitio* vocatur etiam *citatio*: cf. De Luca, *De iurisd.* Discur. 100.

quare non debeant excommunicari; alii duo ad videndum se excommunicari, eis amplius non monitis ». Porro nemo non videt terminorum assignationes valde iuvare ut praeventus cognoscat effectum *monitionis*, nempe primo, ordinatae ad significandum quid fieri vel omitti debeat; *secundo* ad censuram *comminandam;* tertio ad determinandum tempus *condemnationis*. Hac de causa Concil. Trid. in Sess. 25. De ref. cap. 3 statuit: « *Licebit iudici hoc spirituali gladio* (*censura*) *in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet* ». Sane *bina* saltem monitio hoc efficit, ut *prima* moneat de re praestanda aut omittenda, *comminata censura*, et *secunda* invitat reum censura plectendum ut se excuset a culpa, si potest; et doceat, quare non debeat *comminata* censura executioni mandari. Hic ordo procedendi debet absolute servari, quippe respondens ipsi iuri naturali, uti docet De Luca, *De iurisd. D. 100* allatis decisionibus S. R. Rotae.

Verum si quaeratur an ad *validitatem* requiratur *trina* vel *una pro tribus* denunciata *monitio*, eademque utrum *in scriptis* denunciari debeat, respondemus ad *validitatem* censurae sufficere *monitionem etiam viva voce denunciatam;* ait enim *caput 48, De sent. excom. X* (V, 39) *monitione praemissa et personis praesentibus idoneis per quas* (si necesse sit) *possit probari monitio*. Ipsum cit. *caput 9 h. t. in 6* ita iubet fieri monitiones, *nisi facti necessitas* aliter faciendum suaserit. Hanc autem necessitatem dicimus consistere in casu *legitimae defensionis* et in casu *notorietatis*, de quibus infra.

489. Ipsa sententia *censurae condemnatoria in scriptis* denuncianda est (1). Iubet enim caput 1, *De sent. excomm. in 6:* « *Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat et causam excommunicationis expresse conscribat*

(1) Facta est exceptio pro sententiis ex *inform. consc.* Supra n. 410.

propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero huiusmodi scripturae teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus.... Et haec eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari ». Nihilominus *oretenus* lata censura valet dummodo monitio praecesserit; siquidem Pontifex poenas *latae sent.* fert (quae obsoleverunt) in iudices violantes hanc legem et deinde cavet: « *Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans....* ». Atqui non *relaxatur* sententia *nulla.* - Si aliqua gravis urgeat necessitas, ne illicita quidem dicenda esset sententia *censurae oretenus lata.* Cf. D'Annibale, *I. n. 329.*

490. Censurae, semel ac *irrogatae* sunt, *executionem secum trahunt*, arg. *c. 53*, § *1*, tit. *De appell. X;* et appellatio datur tantum in *devolutivo*, non in *suspensivo.* Vol. III, n. 86.

491. Inquam *irrogatae;* nam *comminatae* dum sunt, seu editis iam *monitionibus* at nondum denunciata *condemnatione*, vel *lata* censura est sed sub conditione *suspensiva*, si interim iudex *exceptione* repellatur aut uti *incompetens* aut *suspectus*, aut sententia *comminationis* impetatur *appellatione;* tunc fit ut intercipiatur processus a iudice incohatus et impediatur *condemnatio,* vel etiam omnimode rescindatur sententia, ut ecce si appellationis iudex decernat non esse locum *sententiae censurae.*

492. Hactenus de sententia *condemnatoria*, cuius est *irrogare* censuram iam comminatam; ex adverso *declaratoria* sententia non fert sed edicit, censuram iam esse *incursam.* Quare processus praemittendus huic sententiae non ordinatur ad probandam culpae gravitatem et rei contumaciam, sed heic agitur, de probando *facto* iam *consummato* nempe *crimine*, cui adnexa est censura.

493. Unde *declarationi* non praemittuntur *monitiones*, sed *citationes* seu vocatur in iudicium is, qui de crimine postulatur ea intentione ut se defendat, si potest, ab accusatione. - Exinde alia sequitur magni ponderis differentia; siquidem incohari valet

processus *irrogationi* praevius etsi tantum suspicio vel timor adsit infractionis legis vel iuris cuiuscumque. Etenim *monitio* praecavet, hortatur ne aliquid admittatur in legem, in ius; et quamvis imprudenter *monitiones* non sint edendae, quia induunt naturam *remedii poenalis*, uti supra explicavimus, attamen aliquando habent naturam medii tantum *praeservativi*. Ita reprehendendus non est iudex, qui iudicialem sententiam communiat censurae *comminatione* latae in eum, qui sententiam obtrectet mandare executioni, et hoc positum erat in more trib. R. Rotae. *Declarationis* autem processum, per *citationem* rei, incohare non licet nisi vel ex accusatione, vel ex denunciatione, aut ex inquisitione curiae, ea notitia iam acquisita sit de crimine ut eius accusationem instaurare fas sit.

494. Procedendi ratio, ut deveniatur ad *declarationem*, est *summaria* et *oeconomica*, uti docet Monacelli *op. cit. part. 3, tit. n. 4 sq.* qui proinde tradit sufficere *unicam citationem*, nempe *peremptoriam*. - Cf. quae supra explicavimus; unde patet edendam esse secundam *citationem*, si non satis constet de *contumacia*.

495. Citationi subsequitur *contestatio* facienda iuxta normas iam explicatas, et *contestationi* subsequitur processus *probativus*, nempe *offensivus* et *defensivus*, usque dum fiat *conclusio in causa* et *publicatio processus;* neque posthac prohibetur, processus *defensivus* per *animadversiones* et *allegationes* in *iure* et in *facto* et etiam per *oralem disceptationem*, antequam edatur sententia definitiva.

496. Nulla in iure praescripta est forma solemnis, sed in *scriptis* proferenda est *sent. declaratoria*, nisi aliud expostulet necessitas. Hac enim urgente, etiam *oretenus* prolata valet.

497. Praeterea perpendendus est casus, quo praestat aliquem *declarare* censuris innodatum, ast impedimento sit incompetentia iudicis. Videlicet agitur de eo, qui *nulla ratione* est subditus Ordinario, ut puta quia est *peregrinus*, tamen Ordinarius vellet ut eius subditi hunc hominem veluti *censuris irretitum* cogno-

scerent atque ab eius conversatione abstinerent. Verum si detur *citatio*, ille opponet exceptionem *incompetentiae* in iudicem. Porro cum hic sit *peregrinus* seu alia in dioecesi domicilium habeat neque ratione *delicti* heic factus sit obnoxius *competentiae* iudicis, huius iudicium declinare valet. At inquam, neque *ratione delicti*, quia si gravem dederit rationem scandali ob eius rationem agendi, iam haberetur ratio delicti et hinc *titulus competentiae*. - Verum non deest *legitimum remedium*. Nam isto deficiente *titulo*, iudex non propriam *declarationem* sed *denunciationem* edet, nulla praehabita citatione *iudiciali*. Quum enim iudex ex inquisitione *extraiudiciali* certus sit, hunc hominem esse excommunicatum, ne *ex morbida pecude grex universus inficiatur*, uti ait De Luca, *Miscell. Disc. 14, n. 8*, decretum edit *denunciationis* ad suum populum directum, quo istud factum *denunciat*. - Prudenter autem aget ipse Ordinarius, si reum ex *urbanitate* moneat ut se constituat *reum voluntarium*, se excusaturum si fieri possit, ab accusato crimine.

498. Integrum est appellare a *sententia declaratoria*, imo appellatio utrumque habet effectum *suspensivum* et *devolutivum*. Nam a *condemnatoria* sententia non appellatur nisi in *devolutivo*, quippe censura *irrogata executionem* secum trahit, ex *cit. cap.* 53, § *1, De appell.*, sed *declaratoria* non *irrogat* sed censuram iam *fuisse incursam* edicit; eademque magis est declaratoria *criminis* quam *poenae*. Atqui adversus sententiam, quae declarat *factum criminosum* et hinc *poenam*, nullibi cautum est non admitti appellationem quoad *utrumque* effectum. Unde *iure communi* utimur et ita communiter sentiunt DD. - Cf. Barbosa, *in cap. 13, De appell., n. 5*. At cavet idem caput 13, *De appell.*: « *Si vero publicus est et notorius* (excessus), *appellationis obtentu non permittas quin eos excommunicatos denuncies*, IPSOSQUE FACIAS SICUT EXCOMMUNICATOS CAUTIUS EVITARI ». Nam in *notoriis* appellatio est *frivola* et *frustratoria*. Vol. I, n. 631.

499. Demum duobus in casibus tum in *irrogandis* tum in *declarandis* censuris posthaberi potest quaecumque forma *iudicialis;* seu 1) in casu *notorietatis*, 2) in casu *legitimae defensionis*, dum *vis vi repellitur*.

Quoad *primum* dumtaxat recolimus vulgatum effatum *in notoriis nulla probatio;* et conferantur iam dicta.

Quoad *secundum* perpendatur necessitas legitime defensionis in ipso iudice qui, dum iudicium exercet, experitur contumaciam clerici verbis iniuriosis et calumniosis impetentis eiusdem iudicis auctoritatem et bonam famam. Iudex, in continenti, severissime coarguit clericum illumque suspendit *a divinis* quousque non retractaverit dicteria et congruam dederit satisfactionem. Tunc irrogatur censura absque ullo ordine *iudiciali;* itemque non minus expedite *declararetur*, censuram fuisse incursam, si in ipsum iudicem crimen fuisset admissum secumferens *ipso facto* censuram. Ista diserte iubet cap. 6, *De sent. exc. in 6*.

TITULUS IX.

DE PROCESSU IN CAUSIS VEL CRIMINALIBUS REGULARIUM VEL DE NULLITATE PROFESSIONIS RELIGIOSAE.

Summarium. — 500. Competentia *iudicialis* in *regulares* attribuitur, in Ordinibus *exemptis*, Praelatis. — 501. Quinam sint Superiores Regularium, qui hanc obtinent competentiam. — 502. Quinam exerceant hanc potestatem in Moniales. — 503. Forma procedendi est semper *summaria*. — 504. Aliquid speciale cautum est pro causis tum *eiectionis* Regularium, tum *nullitatis* professionis religiosae. — 505. Ratio procedendi est *pure inquisitiva*. — 506. At competit ius appellandi etiam *in suspensivo*, quando non agitur de *correctione morum*.

500. Regulares sive viri sive moniales, quippe fideles *baptizati*, sunt subiecti iurisdictioni universali et primatiali Romani Pontificis, nec non particulari iurisdictioni illius Episcopi, cuius subditi fiunt ad normas iuris communis. Status enim religiosus nullam, *per se*, seu attenta natura *instituti religiosi*, continet rationem exemptionis ab ordinaria Episcoporum potestate. Nam si qui vota perfectionis evangelicae nuncupantes vitam agant communem et hinc societatem ineant religiosam, Praeses huius societatis *iuridicae* sed *voluntariae* nullam sortitur potestatem in suos nisi paternam et amicalem, iuxta limites constitutionum. - Ast Romani Pontifices Ordines religiosos donare coeperunt *exemptione* a potestate Ordinariorum et tunc factum est ut potestas *coactiva iudicialis* transferretur in Praelatos regulares ne homines regulares fierent exleges et poenalium sanctionum expertes. Inde necessaria fluit haec conclusio: « *Praelati Ordinum exemptorum* POTESTATEM CORRECTIVAM ET IUDICIALEM EPISCOPALEM *habent* ». Cf. Suarez, *De Religione, Tom. IV, Tract. 8, lib. 2, cap. 9.* Sed haec iurisdictio est tantummodo in ipsas *personas* regulares seu est *personalis*, quocirca Praelati ferre valent

omnes poenas canonicas in suos subditos, his tantum demptis, quae *territorium* afficiunt, ut esset interdictum *locale*.

501. Hanc competentiam obtinent nedum Generales Praelati et Provinciales sed etiam Praelati locales seu Conventuales, seu Guardiani, aut quocumque alio nomine censeantur praepositi, aut rectores monasterii, nisi aliud constituant peculiares regulae aut consuetudines. Cf. Bouix, *De iure Reg.*, II, p. 439.

502. Ad Ordines autem Monialium quod attinet, perspectissima est earum conditio si attendatur principium supra expositum. Nam si non sunt *exemptae* tunc subsunt Episcopo eiusque potestati *coactivae iudiciali;* si sunt *exemptae* subsunt iurisdictioni proprii Praelati Regularis. - Suarez, *loc. cit.*

503. Haec competentia quippe Episcopalis seu pertinens quoque ad forum externum exercetur per cognitionem proprie *iudicialem*. Ast processus conficiendus est ritu *summario*, arg. *c c. 24*, § *ultima* et 26, *De accus. X* (V, 1) servatis quoque legitimis consuetudinibus « *prout a Bonifacio VIII Dominicanis et per consequens etiam aliis communicationem privilegiorum habentibus, concessum fuit in Const.* " *Ad augmentum* " »; ita Reiffenst. in tit. *De accus.*, n. 317.

504. Ius ipsum commune speciales edidit normas servandas in causis regularium, si agatur de *eiectione* aut de *nullitate* professionis religiosae. Has normas explicabimus in distinctis paragraphis.

505. Ratio autem procedendi est *pure inquisitiva*, uti cavet *cit. cap. 24*, § *ultima*, iuxta regulas supra constitutas. Hac de causa communis DD. sententia est, reo deberi communicari attestationes *testium*, sed non necessario *nomina*, uti probat Reiffenst. *loc. cit., n. 319 sq.* Ius enim naturale nihil aliud postulat nisi ut reo manifestentur accusationum articuli seu capita, unde possit consulere suae defensioni. Casu vero, quo iudex cognosceret, reum se non posse defendere, nisi cognoscat nomen testis, hoc eidem manifestare teneretur ne indefensus reus condemne-

tur. Quod de testibus dicimus, valet, servata proportione, de omni probationum specie.

506. Regularibus sententia condemnatis ius competit instaurandi appellationem quoad effectum etiam *suspensivum*. Refert Suarez, *loc. cit., n. 5*, hanc decisionem S. Congr. EE. et RR.: « In Congñe Cardinalium pro Regularibus decretum factum est *a. 1587* ut appellationes religiosorum fiant immediate ab uno Praelato religionis ad alium Superiorem et a Generali ad Protectorem et a Protectore ad S. Congregationem ». Hoc ius tamen observatur in sententiis proprie criminalibus, quibus applicantur poenae canonicae; non in causis correctionum morum quum magis *poenitentiae* applicentur aut monitiones. A fortiori Regulares tenet hoc ius constitutum etiam in clericos saeculares. Cf. Bouix, *loc. cit., p. 446.*

§ 1. *De eiectione et dimissione Regularium.*

Summarium. — 507. *Eiectio* differt a *dimissione* ob diversam procedendi rationem. — 508. Explicatur processus ordinatus ab Urbano VIII et Innocentio XII observandus in *eiectione* Regularium. — 509. Hanc procedendi rationem confirmavit Leo XIII Decreto « *Auctis* », art. 6. — 510. Sed S. Congregatio *Super discip. regul.* si agatur de Ordinibus religiosis; S. Congr. EE. et RR. si agatur de Congregationibus seu Institutis religiosis, prospiciunt ut procedere valeant Praelati Regulares, sepositis solemnitatibus, cum processu *summario* seu *camerali.* — 511. De viris religiosis dimittendis ante vota *solemnia* nuncupata. — 512. De monialibus eiiciendis vel dimittendis.

507. Verba, *eiicere*, et *dimittere* non raro promiscue usurpantur; at *eiectio*, sensu stricto, est decretum, quo professus, ob patratam culpam gravem et externam et publicam et cum *incorrigibilitate* coniunctam, a Praelato regulari, servata forma *iudiciali*, eïcitur; *dimissio* vero distinguitur ab *eiectione*, quippe decernitur a Praelato etiam ob graves et legitimas causas, etsi *a culpa* alienas et absque forma *iudiciali*. Verum non *dimit-*

titur regularis ob eius adversam valetudinem; hoc vetuit S. Congr. super statu reg. *decreto 12 Iun. 1858, n. 5*, (ibi): « Licet ad decernendam *dimissionem* neque processus, neque iudicii forma requiratur sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen superiores procedere debent summa charitate, prudentia et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis, *post professiones votorum solemnium superveniente, dimitti poterit* ».

508. De forma *iudiciali* servanda in eiectione decernenda hoc cavit Leo XIII in nuperrimo Decreto *Auctis*, diei *4 Novemb. 1892;* § 6: « Dispositiones contentae in decreto S. Congr. Concilii, iussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 mensis Sept. 1624, incipiente *Sacra Congregatio* ac in decreto eiusdem S. C., iussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mensis Iulii 1694, incipiente *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent sed servandae imponuntur etiam superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper ordinibus constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere possint, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem externam et publicam et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis ».

Ex decretis vero Urbani VIII et Innocentii XII ad decretum *eiectionis* ut deveniatur, requiritur 1) *incorrigibilitas*. « Incorrigibilitas est in eodem, qui vere dicitur incorrigibilis, si ter convictus et punitus de tribus gravibus et atrocibus criminibus et probatus per sex menses in carceribus in ieiunio et poenitentia non fuit emendatus sed animo indurato adhuc perseverat in sua contumacia ». Ferraris, *Bibliot.* v. *Eiecti, n. 13.* 2) Eiectio fieri nequit nisi a Generalibus vel Provincialibus. 3) Generalis aut

Provincialis ad eiectionem devenire nequit nisi de consilio et assensu sex religiosorum e gravissimis electorum. 4) Hi sex religiosi eligendi sunt in generali capitulo seu congregatione, vel in capitulo seu congregatione provinciali. 5) Processus fieri debet iuxta constitutiones et stylum cuiusque Ordinis, uti supra innuimus. 6) Ad edendum decretum expulsionis requiritur ut in id consentiat *maior* pars e supradictis sex Patribus, unde si tres vellent expulsionem et alii tres contradicant, non editur decretum expulsionis. 7) Praeterea in decretum expulsionis oportet ut consentiat superior Generalis. 8) Quare licet religioso appellare etiam cum effectu *suspensivo* adversus hoc decretum, sed appellatio introducenda est apud S. Sedem seu Congr. EE. et RR. 9) Quum sententia eiectionis demandanda est executioni, ista a Generali vel a Provinciali significanda est Ordinario *loci* seu *originis* religiosi eiecti. 10) Eiectus autem tenetur habitu clericali incedere, saltem si ordines minores susceperit (Cf. Ferraris, *loc. cit., n. 62 sq.*) quamvis remaneat suspensus ab omni ordinum exercitio, sublata Ordinariis locorum facultate suspensionem relaxandi; et nequit concionari neque docere; atque vota servare tenetur in Religione nuncupata et alias obligationes, quatenus haec cum suo statu sunt *compatibilia*.

509. Hodie quia plures ex praescriptionibus, in citatis Constitutionibus, ordinatis servari non valent, S. Sedes ad petitionem Praelatorum Regularium solet sequenti rescripto indulgere facultatem servandi processum *summarium* seu *Cameralem* (1).

510. Si agatur de ordinibus regularibus approbatis cum *votis solemnibus*, negotium expeditur a Congregatione *super disciplina regulari*. Rescripti tunc edi soliti tenorem ita refert

(1) Ita appellata est haec ratio procedendi *summaria*, quasi desumpta a ratione agendi Tribunalis *Camerae*, in quo tribunali, ob eius *praerogativas fiscales*, non adamussim servabantur regulae processus observandae in Auditorio S. Rotae. Cf. De Luca, *Rel. Curiae Disc. 33, n. 10.*

cl. Nervegna, *De iure practico Regul. pag. 199:* « *Perpensis iis, quae de religioso N. solemniter professo in ordine B. asseruntur; difficultatibus etiam temporum, quibus omnia et singula, quae a Const. Apostolicis expulsionis* INCORRIGIBILIUM PRAEMITTENDA, *adamussim nequeunt observari, benigne tribuit facultates necessarias et opportunas P. Generali eiusque definitorio ut, cognita per idoneos testes ac fide dignos pravitate et incorrigibili pervicacia praedicti Religiosi; atque audita per Religiosum virum, etiam ex officio deputandum, rei defensione, eum ad formam SS. Canonum, solemnitatibus omissis, sanctionibus autem Decretorum s. m. Urbani VIII in suo robore manentibus (excepto carcere) ab Ordine eiicere valeant; talem deinde expulsionis sententiam Ordinario* ORIGINIS *ipsius et eidem condemnato illico notificent* ». Hodie incorrigibilitas probatur per *trinam monitionem canonicam* et per alia remedia huc facientia applicata ad normam Instr. S. Congr. EE. et RR. diei *11 Iun. 1880* uti iubet cit. Decretum *Auctis*.

Si absolutionem et rehabilitationem expetat eiectus; tunc 1) vel iterum efflagitat Ordinem ingredi et tunc S. Congregatio (uti refert cl. Nervegna, loc. cit., p. 201) si spes affulgeat emendationis, ex litteris Ordinarii et ex aliis documentis, *attentis informatione* et *voto* P. Procuratoris Generalis Ordinis, *Superiori Instituti tribuitur facultas eum recipiendi ad tempus* TITULO EXPERIMENTI, *quin restituatur in vocem activam et passivam; et salva praecedentia eorum, qui in Ordine continue perseverarunt, disciplinam regularem semper observantes* ». 2) Vel *eiectus* desiderat manere in saeculo et tunc recurrat ad S. Congregationem: « *invento Episcopo benevolo receptore ab eo commendatus* » et tunc S. Congr. (ita Nervegna, *loc. cit., p. 200*): « *benigne tribuit facultates necessarias et opportunas praefato Ordinario, ut* DUMMODO ORATOR VERAE RESIPISCENTIAE SIGNA DEDERIT - *praemissis exercitiis spiritua-*

libus saltem per decem dies - praevia absolutione eiusdem a censuris eccles. et dispensatione ab irregularitate quomodocumque contracta, illum ad s. obeunda ministeria missamque celebrandam rehabilitare valeat ad SEX MENSES, TITULO EXPERIMENTI; *quo tempore elapso iterum recurrat ab ipso Episcopo iterum commendatus: interim dictus Orator s. patrimonium sibi constituere curet, et Episcopum qui eum* PERPETUO *benevole excipiat in sua dioecesi, inveniat* ». Postquam hoc experimentum et aliud *ad annum* concedi solitum feliciter facta sint, et alia servata fuerint a S. Congregatione praescripta, conceditur rehabilitatio absoluta et *saecularizatio perpetua.*

Pro Congregationibus aut Institutis religiosis *votorum simplicium*, S. Congregatio EE. et RR. aut pro Ordinibus Monialium sequenti rescripto solet concedere facultatem procedendi processu *camerali:* « *Vigore etc.* (nempe facultatum) *S. C. audito voto P. Procuratoris Generalis Ord., facultatem tribuit P. Superiori Generali cum suis Assistentibus Generalibus (vel Definitorio) ut, praevio processu summario seu camerali, cum descriptione criminum et aliquali probatione, et data delinquenti defensione, ad expulsionem enunciati Religiosi iuxta preces pro suo arbitrio et conscientia devenire possit ac valeat. Contrariis quibuscumque non obstantibus* ». Illa conditio *cum descriptione criminum* significat cum *contestatione criminum* facta reo; seu ei denunciato crimine aut criminibus denunciatis ut se defendere valeat.

511. *Viri* professi religiosi qui ante vota *solemnia* emiserunt vota *semplicia* atque in *s. ordinibus* nondum sunt constituti, etiam post *cit.* Decretum - *Auctis* - a. 1892, *dimitti* possunt cum effectu *liberationis* ab omni vinculo votorum ob iustas et graves causas sine processu *iudiciali*, sed sola facti veritate inspecta et servata forma *extraiudiciali* constituta in Declarat. S. Congr. *super discipl. reg.* 7 Feb. 1862 ad 2. - Cf. Rescriptum *S. Congr. EE. et RR. 19 Nov. 1886.* Attamen viri

religiosi etiam in Institutis votorum *simplicium* etiam in *s. ordinibus* non constituti post *professionem perpetuam* aut *temporaneam* nisi *praevio iudicio* quamvis *summario* eïci vel dimitti non possunt et ex *dimissione* vel *eiectione* non fit *liberatio* votorum sed requiritur *dispensatio*. S. Congr. EE. et RR. *10 Ian. 1896; et 4 Iul. 1898.*

512. Moniales votorum *solemnium* non *eiciuntur* nisi accedente *venia Apostolica*. Quod si moniales vota *simplicia* nuncupaverint in *institutis dioecesanis*, non valent *eïci* vel *dimitti* nisi servatis normis Const. *Conditae, 27 Nov. 1900 cap. 1, n. 8* (1). In Congregationibus vero iam approbatis a S. Sede, moniales post edita vota perpetua vel durante temporanea professione *expelli* nequeunt, nisi ob gravia, externa, publica delicta cum incorrigibilitate coniuncta, et nisi sententiam dimissionis *approbaverit* S. C. EE. et RR. - Dimissio autem vel eiectio *post professionem*, non solvit vota sed expostulanda est *dispensatio* a S. Sede. S. Congr. EE. et RR. *24 Aug. 1887 ad 17.*

§ 2. *De processu in causis nullitatis professionis religiosae.*

Summarium. — 513. Quid statuat Concil. Trid. Sess. 25 cap. 19. — 514. Processus iudicialis observandus. — 415. De restitutione in integrum adversus lapsum *quinquennii*. — 516. Quinam sit iudex competens in prima instantia. — 517. Speciales normae iudiciales. — 518. De iudice competente in *secunda* et ulteriori instantia. — 519. *Dispensatio* S. Pontificis consulit casibus dubiis. — 520. De hisce causis in Institutis votorum simplicium.

513. Profitenti in Religione ius denegari non potest impugnandi suae professionis validitatem quippe aliquo vitio infectam; tamen cavendum erat ne huius iuris exercitium in fraudem et

(1) Cl. P. Wernz., *Ius Decret. III, p. 753, not. 579*, opinatur, Institutis *dioecesanis virorum* quoad dimissionem id applicari quod cautum est in cit. Const. *Conditae, cap. I, n. 8*, de monialibus.

regularis disciplinae perniciem vergeret. Exinde Concil. Trid. in *Sess. 25. cap. 19* decrevit quoad Religiosos utriusque sexus: - « *Quicumque regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante aetatem debitam professum fuisse; aut quid simile. velitque habitum dimittere quacumque de causa aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superioris non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis; et tunc non aliter nisi causas quas praetenderit deduxerit coram Superiore suo et Ordinario* ». - Exinde 1) repellitur a limine iudicii qui, marte suo, ante legitimam sententiam habitum sponte dimittit aut etiam cum habitu sine licentia Superiorum temere ex conventu discedat; 2) fuit determinatum tempus, nimirum quinquennium, quo decurrente exerceri valeat actio; 3) competens declaratur tribunal constitutum ab Ordinario loci et a Regulari Superiore. 4) Non prohibetur quominus haec actio instituatur ab ipsa Religione ad excludendum aliquem nulliter professum. - Urbanus VIII Const. *Ad occurrendum, 15 Ian. 1636* (1).

414. Cum speciales procedendi regulae pro hoc casu constitutae non essent, has determinavit Bened. XIV in Const. - « *Si datam* » - transferens ad causas nullitatis professionis religiosae, normas processuales iam a se pro causis de nullitate matrimonii ordinatas. Nam cum primis statuit in huiusmodi processibus in quacumque instantia partem habere necessariam defensorem professionis religiosae cum eodem munere et iisdem cum effectibus determinatis pro defensore matrimoniorum.

415. Cum vero actionis exercitium a Trid. Concil. circumscriptum fuisset tempore quinquennii *continui* decurrentis a die professionis emissae; inquam - *continui* - seu decurrentis etiam *impedito;* Bened. XIV, in cit. Const. approbat consuetu-

(1) Si professio eam ob causam impugnatur quippe novitiatus in domo ad hoc non designata fuerit peractus, hic casus esset privativae competentiae S. C. C., iussu huius Const. Urbani VIII.

dinem iamdiu inolitam petendi a S. Sede *restitutionem in integrum* contra lapsum quinquenni. At hanc causam reservat *privativo* iudicio Sanctae Sedis, cuius sit iudicare de probabilibus rationibus concedendi petitam restitutionem ex consulto vel alicuius ordinariae vel extraordinariae Congregationis, quae ineat ordinarium processum iudicialem, iuxta formam pro causis nullitatis professionis constitutam, proindeque non *uni* sententiae huiusmodi restitutionem concedenti acquiescendum esse; sed defensori professionis ab hac appellandum esse et solummodo post *alteram* sententiam priori conformem, restitutionem petitam concedi.

416. In citata Bulla Pontifex determinat quinam sit superior Regularis qui cum Episcopo iudicare debet: seu quoad religiosos viros esse. - « ..... superiorem localem, nimirum Abbatem vel Guardianum sive Priorem aut alio quocumque nomine nuncupatum, Praepositum, seu Rectorem illius monasterii aut coenobii, in quo reclamans professionem emisit » - quoad religiosas foeminas, iudex est solus Episcopus, si nullus sit earum Religiosus Superior; secus Episcopo adiicitur earum Superior localis cui concreditum est universum monasterii regimen.

417. De processu conficiendo, in cit. Bulla, decernit Pontifex - « Volentes atque districte mandantes ut ad adstruendas probationes in huiusmodi causis necessario verus et iudicialis processus omnino conficiatur; in quo et articuli exhibeantur ex parte illius qui adversus professionem agit; et interrogatoria dentur ab ea parte quae stat pro ipsius professionis validitate; et testes tam super articulis quam iuxta huiusmodi interrogatoria examinentur; utque hac forma non servata, processus ipse et sententia dependenter ab eo prolata insanabili nullitatis vitio corruere censeatur; salva etiam dispositione iuris communis quoad alia nullitatis capita si quae forte in ipsa processus completione intervenerint ». Item ex cit. Bulla, ad attestandum in huiusmodi processu citari debent, tum defensores monasterii,

tum professi ipsius consanguinei, affines, aliique omnes quorum interest illius professionem validam esse. Non secus ac in causis matrimonialibus, requiritur *bina* sententia nullitatem professionis confirmans ut religiosus religionem relinquere possit.

518. Iudex secundae aut tertiae instantiae est iudex ordinarius pro huiusmodi casibus appellationis, tamen « una cum superiori Regulari non quidem illius monasterii in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii (eiusdem Ordinis) in civitate aut dioecesi praedicti Ordinarii secundae instantiae existentis, vel tali monasterio non extante, una cum Superiore vicinioris monasterii » Cf. S. Congr. Conc. *resolutiones*, apud Richter, *edit. C. Trid. p. 423.*

Haec omnia servanda sunt etiam quoad curiam Card. Vicarii. Verum quando huiusmodi causae agitantur apud SS. Congregationes Romanas aut in Auditorio S. Rotae non admittitur Regularis Superior partem iudicis agens.

519. Quod si sententia asserat non constare de professionis religiosae nullitate quippe haec non invicte probata fuerit, etsi non spernendae militent rationes pro nullitate, SS. Pontifex per *dispensationem* consulit conscientiae anxietatibus. Item in casu quo nullitas probari non valeat in foro *externo*, quamvis in *interno* pene certa videatur. Cf. Resolutiones S. C. EE. et RR. apud Bizzarri, *p. 622 sq.; Acta S. Sedis, vol. I, p. 471 et vol. VIII, p. 39 sq.*

520. Constitutio - *Si datam* - pertinet ad Ordines approbatos cum votis *solemnibus;* quare professio *votorum simplicium* si invalide fuerit emissa, per sententiam *iudicialem*, *nulla* declarari potest, sed proceditur rerum veritate inspecta, non observata forma Const. *Si datam.* - Ita iussit S. Congr. *super stat. reg. 12 Iun. 1858 n. 4, 5.* - Saepius hae causae expediuntur per viam *dimissionis* et *dispensationis* saltem, ad cautelam datae, servatis legibus, proprii instituti et decretis pontificiis. - Moniales autem cavere debent ne sub praetextu *nullitatis* professionis *sim-*

plicis dimittat sororem professam inconsultis Ordinariis loci, si agatur de institutis *dioecesanis*, vel non expetita venia Sedis Apostolicae, si Congregatio pontificiam obtinuerit approbationem. Cf. Const. *Conditae cap. I, n. 8; cap. II, n. 1.*

Quando vero professio fuerit declarata nulla et irrita, non leves aliae quaestiones dirimendae sunt; ut ecce, de convalidando matrimonio forte ab altero coniuge contracto. - Cf. resolutiones *S. C. C. in edit.* Conc. Trid. Richter, p. 417, n. 4.

TITULUS X.

DE PROCESSU ECCLESIASTICO INSTITUENDO IN CLERICOS IAM SUBIECTOS PROCESSUI ET IUDICIO LAICAE POTESTATIS; ET IN SPECIE DE PROCESSU PRAEVIO PRIVATIONI BENEFICIORUM.

Summarium. — 521. Refertur praescriptio art. XLIII *cit. Instr.* S. C. EE. et RR. prospiciens huic casui. Explicatur sensus litteralis. — 522. Pendente iudicio laicali et apposita *coercitione*, assumitur *summaria* facti cognitio unde in primis dispicitur an incursae sint poenae LAT. SENT. aut *irregularitates*. — 523. Sed iudex interim abstineat a poenis FER. SENT., quippe tantum est locus *remediis provisoriis*. — 524. Poenis *proprie dictis* seu *vindicativis* applicandis Episcopus non procedat nisi post oeconomicum processum eccles. — 525. Haec norma maxime servari debet in decernenda beneficiorum privatione. — 526. In casibus dubiis fiunt *relationes* ad S. Sedem.

521. In *cit.* Instructione art. XLIII ita est conceptus: « *Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia, subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, hoc in casu, Ordinarius summariam sumit criminosi facti cognitionem atque perpendit, an ipsum, ad tradita per sacros canones, locum faciat infamiae, irregularitati aut alii ecclesiasticae sanctioni.* - § 1. *Donec iudicium pendeat aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius sese limitet* AD MEDIA PROVISORIA. - § 2. *Expleto tamen iudicio et libero reddito accusato, curia iuxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis* INSTRUCTIONIS ». Perspecta est relati articuli praescriptio; sed, in ipso sensu *litterali*, subest quaedam veluti incohaerentia quia dum in § *1* iubetur, non esse adhibenda nisi *remedia provisoria*, e contra, antea, in corpore articuli, ordinatur *summaria facti cognitio* ut perpendatur an locus factus sit *infamiae, irregularitati*, aut *alii ecclesiasticae sanctioni.*

522. Facile evanescit difficultas, quia distinguenda est actio coercitiva *a iure* a coercitione *ab homine*. Nimirum poenae *a iure lat. sent.* quippe incurruntur *ipso facto*, exquirunt tantummodo cognitionem praeviam *declarationi*. Iudex vero etsi nolit edere *formalem* sententiam *declaratoriam*, tamen si *de facto* clericus vel *censuram* vel *irregularitatem* incurrit effugere non valet effectus *poenales* quos ipse Episcopus cognoscat oportet quippe eosdem impedire non valet. - In § *1* autem sermo est de poenis *fer. sent.* et his non est locus pendente iudicio civili, sed remediis *provisoriis*.

523. Hisce praehabitis, principium cui haec praescriptio innititur non est minus perspectum, siquidem neque prudens est neque consentaneum cum dignitate Ordinariorum quod hi in clericis coercendis factorum cognitionem et probationem desumant a iudicio laicali quod nonnisi per gravissimam iniuriam exercetur quodque, non semel, est sequela calumniosae accusationis. - Attamen posset esse locus *declarationi* censurae aut irregularitatis iam incursae, uti dixi. - Praeterea si crimen est notorium, et clericus est vehementer diffamatus tunc Ordinarius, hisce perpensis adiunctis, in clericum adhibet remedia *provisoria* veluti, parocho deputatur coadiutor sed non irrogantur poenae *vindicativae* neque infertur censura sed praescribi possent ei *spiritualia exercitia* ut interim clericus scandalum resarciat. - Si clericus in carcere detineatur, media *provisoria* maxime eo spectant ut officia vel bona eccles. forte a clerico possessa detrimentum non patiantur.

524. Haec media vocantur *provisoria* opposita poenis *vindicativis* quae aliquam poenalem *privationem* irrogant. Hae poenae quae subaudiunt sententiam *condemnatoriam* non inferuntur nisi praevio processu canonico.

Hic processus utique *oeconomicus* significatur a *citato art.* per ea verba: *Ordinarius assumit criminosi facti cognitionem*. Sed pendente iudicio laicali ne Ordinarius videatur ipse

exequi sententias iudicis laicalis non adhibet nisi remedia *provisoria.*

525. Haec cautela maxime servari debet antequam decernantur beneficiorum privationes. Hae, in genere, decerni non debent quin praecedat cognitio iudicialis eccles. sed ut plurimum ad eos pervenire non fas est nisi servato certo poenarum ordine; uti explicavimus in *parte speciali* de poenis. Cf. supra n. 78 sq. Equidem regula est in iure comm. nullam admittens dubitationem, privationem beneficiorum, nempe non *manualium,* imponi non posse ab Episcopo, nisi *in casibus a iure expressis.* Cf. Garzias, *De benef. part. II, cap. 10, n. 1 et 2.* - Quamobrem decerni non valet privatio nisi Episcopus *iudicialiter* probet causam adesse canonicam privationis. E converso *officiorum* privationes non expostulant *per se* hanc rationem procedendi nisi ex *fundatione* aut ex adiecto *pacto* secumferant hanc conditionem. Ceterum, omnibus in casibus, qui privatus est querelam movere potest vel *nullitatis* vel ad obtinendam *indemnitatem,* si putat ipsam privationem adversari ipsi iuri naturali et hinc nullam esse aut damnum sibi iniuste attulisse. Cf. Vol. I, n. 249.

526. Quum propter usurpationes fori laicalis, faciles et quotidiani sint conflictus inter ecclesiasticam potestatem et laicalem et inde dubia exoriantur vel graviores difficultates, cit. Instructio ita cavit art. *ultimo.* « *In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus quae contingere possint, Ordinarii consulant S. Congregationem ad vitandas contentiones et nullitates* ». Eadem cautela iam suggerebatur, iure Decretalium, titulo *De appellationibus* et RELATIONIBUS; uti explicavimus Vol. I, n. 86 sq.

TITULUS XI.

DE RATIONE PROCEDENDI IN S. CONGREGATIONE S. R. ET U. INQUISITIONIS ET IN S. CONGREGATIONE INDICIS.

Summarium. — 527. De competentia *criminali* apud SS. Congregationes Romanas. — 528. Quando instituta fuerit S. Congr. S. R. et U. Inq. seu *S. Officii* et quibusnam ex personis coalescat. — 529. Quomodo incumbat in negotiorum expeditionem. — 530. De secreto S. Officii. — 531. Explicatur in quo consistat secretum S. Officii tum ex iure *communi* tum ex iure *particulari Congr. Supremae Inq.* — 532. De eius competentia. — 533. De actorum et decretorum auctoritate. — 534. Eius ratio procedendi *iudicialis* est *pure inquisitiva.* — 535. De institutione S. Congregationis *Indicis.* — 536. De eius ratione procedendi. — 537. De eius decretorum auctoritate.

527. Inter Romanas Congregationes duae adsunt quae ex suo instituto sunt ordinatae ad crimina compescenda vel praevenienda scilicet, S. Congregatio S. R. U. Inquisitionis seu Sancti Officii et S. Indicis Congregatio. Ex aliis Congregationibus nonnullae etiam aliquando vocantur ad cognitionem criminalem instituendam propter animadversionem alicuius criminis; sed hoc non habent principale institutum: nos recensemus tantum S. Congregationem EE. et RR. et S. Congr. Concilii; alias quod pertinet, pro hodierna praxi nihil est innuendum. Quamvis vero S. C. EE. et RR. praecipuam haberet competentiam pro causis criminalibus in gradu appellationis, et inde pro earumdem processu editum fuit decretum *die 18 Decemb. 1835*, tamen huiusmodi causae examinantur etiam a S. Congregatione Concilii.

Viget autem *privativa* competentia *S. Officii* pro causis criminalibus, quae vel continent haeresim vel haeresim sapiunt et praesumere faciunt: huc spectant potissimum abusus in exer-

citio sacramentorum, tamen *graviores* sive ob iterationem actuum sive ob intimam malitiam; veluti crimen *sollicitationis*.

528. Modo de Sacra Congr. Suprema Un. Rom. Inquisitionis. - Haec Congr. dicitur etiam *S. Officium* ob munus ei incumbens inquirendi in haereticam pravitatem. Tribunal huiusmodi inquisitivum Romae, uti passim in aliis provinciis et dioecesibus, constitutum fuit occasione haeresis Albigensium, hortatu et opera maxime S. Dominici. - Romae hoc munere fungebatur Magister Sacri Palatii e Praedicatoribus. Mandatum, quo hic potiebatur, erat non *universale* sed *speciale* pro dioecesi Romana non secus ac in aliis dioecesibus constitutum fuerat, ubi Inquisitores munus *cumulative* cum Ordinariis locorum exercebant ad compescendam haeresim; proinde inter Inquisitores et Ordinarios concessum est ius *praeventionis*.

At saec. XVI haeresis Luterana, quae sub pretextu Reformationis animas fidelium incautas decipere minabatur et anno 1542 iam late serpebat, occasio fuit Paulo III instituendi Congregationem S. Officii seu Supr. Romanae Inq. quae deinceps Tribunalis S. Officii plene exercuit munus. Huius competentia ad universum orbem extensa est ut non solum de haeresis crimine compescendo ageret, sed etiam ea omnia deliberaret, consuleret quae necessaria vel opportuna viderentur ad immunes fideles conservandos ab haeresis contagio. Quare pro suo instituto hoc Tribunal haeresim persequitur poenis et assidua inquisitione eam propulsare advigilat proindeque ea quoque crimina ad suum iudicium reservat quae etsi professam non contineant haeresim, tamen videntur redolere haeresim. Haec est ratio *formalis* determinans eius competentiam *privativam*. Sistus V sua Constit. « *Immensa* » hanc Congr. confirmavit et praeeminentia super alias SS. CC. auxit. - Equidem ipse S. Pontifex eiusdem sibi retinet Praefecturam; at in ordinariis Cardinalium *conventibus* Cardinalis antiquior inter EE. PP. Inquisitores huic Congregationi adscriptos, Secretarii munere fungi solet.

Inter officiales huius S. Congregationis, primus est *Assessor* quasi *Congregationis* Secretarius, inter praelatos saeculares eligi solitus, qui munus habet moderandi negotia huius S. Congr. unde et negotia expedienda ipse generatim proponere solet in Congressu Consultorum et Congregatione Cardinalium et de omnibus Papae relationem facit. Attamen causae quae censentur inter *graviores* quaeque proponuntur per *relationem* vel scriptis exaratam vel typis editam, hae causae, inquam, in conventu Cardinalium referuntur a Cardinali *antiquiore* seu *Secret.* Secundus Officialis est *Commissarius* Tribunalis S. Officii ex ordine Praedicatorum, ex provincia Longobardiae assumendus qui uti ipsum nomen significat, (cf. supra n. 155) directius curat negotia iudicialia ordine iudiciali expedienda et praesertim conficit processus heic in Curia instruendos. Est quasi *iudex instructor*, ad quod munus duos Fratres sui Ordinis habet *Socios* vulgo « *compagni* ». Ast non semel processuum instructio committitur Ordinariis locorum. - Cum S. Officii Tribunal cognoscat de negotiis criminalibus adest etiam *Officialis Fiscalis* qui in expeditionem causarum *criminalium* sedet inter Consultores in conventibus; quoties vero ab Ordinariis processus instrui debeant, ipse exarat Instructiones quas sequi debeant in processibus conficiendis Ordinarii. Quamvis apud hoc tribunal fiat facultas reis eligendi advocatum, tamen adest officialis *Advocatus reorum* qui ex officio defendit accusatos non valentes aut nolentes advocatum sibi eligere. - Pro actis causae exarandis adest *Notarius* qui plures habet *substitutos*, uti Officiales huic Congr. addictos. Uti innui *Commissarius* in expediendis hisce negotiis iudicialibus habet duos *Socios* ex Patribus Dominicanis electos qui vocari solent *Primus* et *Secundus Socius*. - *Primus* autem graviores explet partes in adiuvando *Commissario*. - Item pro conficiendo *restrictu* processuum inter Officiales adnumeratur « *Summista* »; exemplaria vero restrictuum diribentur et Consultoribus et PP. Cardinalibus. In conventibus sive Consultorum sive PP. Cardinalium

Assessor ea refert *oretenus* quae antea in *scriptis* relata non sint vel typis edita, prouti dixi. Cum semper admodum graves H. S. C. afferantur quaestiones, respicientes *fidem* et *mores* adsunt numero plures Consultores ex utroque clero adlecti. – Vocantur autem *Qualificatores* qui pro examinandis libris et doctrinis specialiter deputantur, at isti in congressibus Consultorum partem non habent.

529. Ad maturam negotiorum deliberationem antequam a S. Pontifice expetatur definitiva sententia, *primo* habetur die Sabbati Congressus cui intersunt Assessor, Commissarius, Procurator Fiscalis, Primus Socius et Notarius vel unus ex substitutis; et ibi praeparatur negotiorum expeditio et ordinantur quae pertinent ad eorumdem instructionem, utputa expostulantur ab Episcopis informationes vel nova *acta*. Dein habentur duo conventus quorum unus est praeparatorius et vocatur Congregatio Consultorum; eademque habetur in singula hebdomada in feria II, et huic congressui Assessor, Commissarius, et Consultores, Advocatus Fiscalis et Summista, tamquam actuarius, intersunt. In tali congressu leguntur processus, epistolae Ordinariorum *locorum* et sumuntur deliberationes ex sententia vel de voto Consultorum, subiiciendae postea Congregationi Cardinalium. Nam dein in feria IV habetur Cardinalium Inquisitorum Congregatio in qua Assessor refert de omnibus negotiis in feria secunda agitatis et deliberatis quae expostulant *oralem* relationem. Ad hanc congregationem Consultores quoque vocari solebant, in qua hodie sedent Commissarius Fiscalis et Notarius. Haec vero Congregatio distinguitur in *secretam* et *publicam;* et *publicae* partem habet etiam *Primus* e Sociis Commissarii. In *publica* autem proponuntur ea iam relata in conventu DD. Consultorum. Demum in feria V coram SSmo Congregatio aliquando haberi solet pro negotiis gravioribus discutiendis, et approbandis decretis feriae IV; quae si non habeatur, relatio deliberationum Congregationis Cardinalium fit SSmo per Assessorem ad obtinendam

decretorum approbationem. Audientia pro hac *relatione* hodie habetur feria VI.

530. Est proprium huius Congregationis ut Cardinales et Officiales omnes nec non Consultores iuramentum praestent solemne et severioribus poenis communitum semper et in omnibus conservandi secretum; per antonomasiam appellatum est *secretum S. Officii*. Imo negotia a S. Officio commissa Ordinariis expedienda aut exequenda semper secumferunt hanc conditionem, nempe ista agenda esse sub secreto *S. Officii*.

531. Necesse est explicare in quo consistat *Secretum S. Officii* quia non est secretum pure consistens in *naturali* obligatione non pandendi res et negotia maioris momenti quibus manifestatis detrimentum capit ipsa Respublica; seu non est secretum *naturale* sed est secretum *iure positivo* constitutum sub gravissimis sanctionibus - Officium S. Inquisitionis seu *S. Officium* est tanti ponderis pro christiana Republica ut iam Bonifacius VIII in tit. *De haeret. in 6 cap. 20* facultatem fecerit Episcopis aut Inquisitoribus adhibendi in explicandis his processibus, personas idoneas et probas quarum *opera* utantur et *consilio*, adiecta tamen obligatione iis personis *servandi secretum, excommunicatione in violatores comminata ipso facta incurrenda:* en verba Const. « *Et ut eorumdem accusatorum et testium periculis efficacius occurratur et cautius in inquisitionis negotio procedatur praesentis Constitutionis auctoritate permittimus quod Episcopus vel Inquisitores secretum possunt indicere illis quibus (ut praemissum est) processum huiusmodi explicabunt et in eos si arcana consilii seu processus sibi sub secreto ab eisdem Episcopo vel Inquisitoribus patefacto, praeter eorum licentiam aliis patefacerint, excommunicationis sententiam quam ex secreti violatione ipso facto incurrent (si eisdem expedire videbitur) promulgare; sic tamen quod Inquisitores Episcopum vel Episcopus Inquisitores non excommunicent hac de causa; sed ipsi ex iniuncto ex nunc*

a Nobis sub virtute s. obedientiae ad secretum huiusmodi teneantur ».

Inde sequitur, Episcopos in definiendis causis de heresi vel de criminibus de heresi suspectis, veluti de *sollicitatione*, ex virtute *s. obedientiae* sed absque censura ipsos obligari ad secretum servandum; alios vero quorum. *opera* et *consilio* utantur in explendis processibus et causis obligari posse ab Episcopis ad secretum *servandum* comminata censura excommunicationis vel etiam alia censura nempe *ab homine lat. sent.* quae nimirum non incurritur nisi feratur et sub iis conditionibus incurritur quibus fertur.

Sanctum Officium Inquisitionis pro universa Ecclesia exercetur a Suprema Congregatione S. R. U. Inquisitionis; et *secretum S. Officii* observandum penes hanc Congregationem et ab aliis quibus partecipantur negotia ad Hanc pertinentia, est *rigorosius* et specialem continet sanctionem. Explicabimus modo quid *speciale* sit in hoc secreto.

Innumera edita sunt decreta ab ipsa Sup. Congr. S. Officii in tutelam secreti servandi sed ista omnia veluti summata sunt in Decretis editis a Clem. XI *die 1 Decemb. 1709* et a Clem. XIII *die 1 Feb. 1759* quae hodie plenissime vigent.

1) *Obiectum* huius secreti, Clemens XI decernit contineri « *in omnibus et quibuscumque causis et negotiis aliisque rebus quae in eodem S. Tribunali dicentur et tractabuntur et peragentur etiam super libris aut doctrinis examinandis et personis ad eorum revisionem seu relationem deputatis, exceptis tantum causis mere civilibus nec directe nec indirecte fidem aut religionem tangentibus, inviolabile secretum servent* (omnes ad quos spectat) *adeo ut nec directe nec indirecte neque nutu neque scriptis neque verbo neque alias quomodolibet sub quovis quantumvis colorato praetextu sive maioris boni sive gravissimae et urgentissimae causae sive etiam alicuius facultatis aut dispensationis etc.* ». Et haec contineri in obligatione secreti

iubet Pontifex: « *etiam causis et negotiis finitis; iis tantum rebus exceptis, quae in fine et expeditione earumdem causarum et negotiorum legitime publicari contigerit* ».

Uti patet *obiectum* huius secreti eatenus patet quousque se extendunt negotia ab Hac Congregatione pertractata; et unum genus tantum *taxative* excipitur negotiorum; nempe *exceptis causis mere civilibus nec directe, nec indirecte fidem aut religionem tangentibus*. Hae causae *civiles* sunt potissimum quae spectant ad dirimendas controversias *de iuribus* patrimonialibus S. Officii, cui S. Pius V fundos attribuit; et huic Congregationi non secus ac Congregationi de Prop. Fide (Vol. II, n. 123) attributa est iurisdictio civilis pro causis definiendis.

Quod obiectum pressius determinavit Clem. XIII, qui ad praepediendas cavillationes circa negotia, quae *dicerentur pertinere ad S. Officium*, iussit secretum obligare *etiam in aliis* (negotiis) *ad illud* (S. Officium) *non spectantibus, quae in eodem S. Tribunali per modum examinis, consultationis, voti tam in Congregatione coram Sanctitate Sua quam in aliis Congregationibus..... proponi aut quovis modo pertractari ac discuti contigerit* ».

Quoad eiusmodi secreti *obiectum* advertatur « obligationem *secreti* perdurare etiam *causis et negotiis finitis;* sed excipiuntur *quae in fine* et *expeditione earumdem causarum et negotiorum publicari contigerit* ». Nimirum, per se, resolutio negotii non excusat vel liberat ab *obligatione* secreti in Congr. S. Officii, et in hoc differt huius stylus a stylo S. Congregationis Rituum ubi lex secreti cessat absolutis negotiis. Cf. Vol. III, n. 394. Verum facta est exceptio quoad ea, quae publicantur sive ex decreto S. Pontificis, sive suapte natura. Ut puta, expedita dispensatione matrimoniali rescriptum datur ad nupturientes vel resoluto dubio doctrinali, decisio editur: tunc cessat lex Secreti S. Officii.

Hactenus de *obiecto*. 2) *subiectum* huius secreti sunt ii

omnes, quos recensuimus partem habere in tribunali S. Officii, nempe PP. Cardinales, Officiales, Consultores, Qualificatores. Quia vero PP. Cardinalibus permissum fuit adhibere, in suo explendo munere, *adiutorem studiorum, amanuensem et unum theologum;* et DD. Consultoribus ex gravi causa concessum est seligere *unum* adiutorem, ii quoque omnes adstringendi sunt iuramento servandi secretum S. Officii.

Praeterea eadem lege secreti obstringuntur etiam Episcopi et alii ut puta medici, viri periti, quibus haec negotia communicantur; decrevit enim Clem. XIII, § *3.* « Idemque omnino secretum sub iisdem censuris et poenis ab iis etiam servari iussit quibus talia negotia et causae aliquando communicari contigerit, quos propterea de hac stricta obligatione moneri mandavit, quoties eis dicta negotia et causae communicabuntur ». Equidem Episcopus in explendis negotiis sibi a S. Officio commissis, veluti in instruendis processibus, uti valet pro rei necessitate opera cancellarii, Vicarii Generalis specialiter delegandi, aliusque viri periti; sed ii omnes constringendi sunt eadem lege secreti sub eadem sanctione. Cf. Rescriptum *S. Officii diei 11 Iulii 1900.* Episcopi autem hac secreti obligatione et sanctione tenentur quamvis in rescripto commissionis aut communicationis nihil cautum sit.

Illi vero, qui *per citationem* vocantur uti *reus, testes,* quique *constitutis, examinibus* subiiciuntur, ipsi quoque iuramento obstringuntur servandi secreti; sed non tenentur poena *excommunicationis* in alios comminata. - Nam proposito dubio: Utrum *excommunicationem* incurrant *lat. sent.* ii, qui subiecti examinibus penes tribunal S. Officii, violant secretum; - in feria IV *die 29 Nov. 1893* rescriptum fuit: *Negative, nisi toties quoties in actu examinis fuerit intimata.* - Quare et *reus* et *testes* quae cognoscunt *per examina*, aliis manifestare non possunt sine venia Moderatorum actorum.

His qui partem *principalem* faciunt tribunalis et *durante*

munere, uti P. P. Cardinalibus et Officialibus omnia manifestari possunt quae pertinent ad S. Officium; sed *Qualificatoribus* et *Revisoribus* librorum iussit Clem. XIII, § *4* ea tantum pandi posse in quibus ipsi Qualificatores vel Revisores aliquam partem habent.

Quaeritur an cum Episcopis, cum denunciatoribus, cum aliis negotia promoventibus aut instruentibus colloqui fas sit de negotiis S. Officii. Iamvero docet Card. Gennari (*Monit. Eccles. Vol. X, p. I, p. 181*) cuius vestigia pressimus in hisce evolvendis quaestionibus *de secreto S. Officii*, cum Episcopis et cum aliis haec negotia promoventibus non fas esse colloqui nisi de iis quae eisdem iam sunt cognita adeo ut quaecumque manifestatio rei non antea cognitae sit secreti *violatio*. Etenim ii tantummodo qui sunt moderatores actorum penes S. Officium facultatem habent pandendi aliquod negotium et tantummodo pro scopo et necessitate eiusdem negotii expediendi.

Denique de *sanctione* huius secreti. 3) *Sanctio* est gravis; quippe cit. Decreta comminantur in violatores secreti *excommunicationem lat. sent. reservatam S. Pontifici sublata cuique, praeterquam in mortis articulo, ac ipsi etiam Cardinali Poenitentiario Maiori quacumque super hac absolvendi facultate.*

Verum si quis, malo fato, hanc censuram incurrerit potest recurrere ad S. Poenitentiariam; tunc enim Maior Poenitentiarius adit S. Pontificem pro necessariis facultatibus. (Cf. Vol. II, n. 273). Hac sanctione tenentur ii omnes quos diximus obstringi lege secreti, exceptis reo et testibus, uti supra, explicavimus. Neque haec censura sublata est a Const. *Apost. Sedis*; quia haec Const. servavit censuras latas pro *interno regimine* Ordinum, et quorumcumque *Collegiorum, Congregationum.*

532. Eius competentia est duplicis generis, scil. ordinis *administrativi* et *iudicialis*. Hanc explicat qua est Collegium iudiciale 1) iudicans causas implicantes haeresim, schisma, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes et Sacramentorum abusus

quando crimen illius sit gravitatis et naturae ut suspicio oriatur de haeresi in criminis auctore; denique libros erroribus infectos examinare et proscribere in mandatis habet quamvis hoc munus hodie potissimum expleatur a S. Congregatione Indicis. Cognoscit etiam de causis matrimonialibus a Summo Pontifice ex speciali commissione ei demandatis, quoties qualitas causae aut personarum non admittat formam processus publicam in S. Congr. Concilii adhibitam. - Quamvis enim etiam apud S. Congregationem Concilii causae *sub secreto* aliquando agantur, tamen non est secretum *iuratum*, seu non est secretum *S. Officii*.

2) Quatenus est Collegium ordinis *administrativi* dispensat ab impedimento dirimente disparitatis cultus aut impediente mixtae religionis et etiam ab aliis impedimentis quae forte cum hoc impedimento, in casu, coniunguntur aut normas suggerit Episcopis aut pro rite ineundis matrimoniis, uti peregit decernens processum conficiendum *ad probandam status libertatem* aut pro rite nullis declarandis, in quem scopum *ad Ordinarios ritus Orientalis* dedit appositam Instructionem suo loco recensitam. - Dispensat a *votis solemnibus*, utputa Religiosos, aliquando diaconos etiam aut subdiaconos; at Sacerdotes non solet dispensare. Item dispensat ab observantia abstinentiae aut ieiunii. Ex regula generali, quippe Congregatio constituta pro *foro externo* dispensat tantum quoad res *fori externi;* quare in more habet mittere ad S. Poenitentiariam *expeditionem* dispensationum quas eadem Congr. concedere deliberaverit oratoribus qui, *relicito nomine*, recursum ad ipsam habuerint. Sed maxime eius muneris est examini subiicere doctrinas, propositiones generales si aliquo errore infici videantur, easdemque si opus sit, reprobat aut uti *offensivas piarum aurium*, tamquam *erroneas aut haeresi proximas*, et ita porro; vel etiam respondet directe quaestioni doctrinali, an scilicet aliqua propositio tuto doceri possit, edocens fideles an sit contra fidem aut bonos mores.

533. Demum enodanda est quaestio de valore decisionum

S. et U. R. Inquisitionis: at ex dictis et ex principiis late expositis in Vol. II, 282, seq. facilis est responsio. Nam si rescribit qua est Collegium iudiciale, tunc decisio habet vim sententiae iudicialis seu inter partes. - Si autem expedit negotia iurisdictionis *voluntariae* aut potestatis *administrativae*, ut ecce impertiens indulta dispensationis, tunc istae concessiones eatenus valent quatenus easdem comprehendit potestas ei demandata a Pontifice.

Quae vero decernit edens normam agendi sive iudicialem sive extraiudicialem, obtinent vim legis ob potestatem ipsi demandatam a Romano Pontifice. De difficultate, quam movent ex defectu promulgationis, iam disseruimus Vol. II, n. 294 et in Vol. III, n. 126 in *nota*.

Decisiones vero doctrinales, per se, non sunt absolute erroris expertes, quia privilegium infallibilitatis a S. Pontifice non est delegabile; unde infallibilia sunt ea tantum decreta, quae etsi ex consulto S. et U. Inq. procedant, tamen eadem facit sua Romanus Pontifex eaque promulgat sua auctoritate seu ex *cathedra*.

534. Denique quoad modum procedendi in causis iudicialibus hoc tribunal adhibet systema pure *inquisitivum*, et hinc maxime *secretum*, attamen rei defensioni accommodam aperit viam. Inquisitio iudicialis instauratur aliquando sed raro etiam *ex officio*, quippe fere semper inquiritur praevia *denunciatione* vel Ordinarii loci (1) vel Inquisitorum alterius Praesulis vel *privati* fidelis. - In excipiendis denunciationibus caute admodum procedit, adeo ut *primae* et *secundae* denunciationi solet Ordinariis accusati rescribere « OBSERVETUR » (2) siquidem ad *tertiam* tantum denunciationem *inquirit*, et quando criminis probatio

(1) Proprium est styli S. Officii ut nomine Ordinarii non veniat Vicarius generalis, qui indiget *speciali* delegatione.

(2) De vi huius clausulae iterum disseremus agentes infra de processu servando in iudicio de crimine sollicitationis. Nam hodie *sollicitatio*

roboretur, accusatum vocat ad examen seu ad *constitutum*. Haec ratio procedendi est *taxative* determinata in processu de crimine *sollicitationis*, sed est stylus, qui plus minusve servatur in aliis causis criminalibus. Nihilominus proceditur etiam ex *prima denunciatione*, si haec innixa sit probationibus adeo gravibus ut non liceat denunciatum ulterius relinquere quasi impunitum.

Reus si ingenue veritatem pandat ante denunciationem, charitative reprehenditur et poenitentiis salutaribus subiicitur. Ad rem in nota refero § *13*, Instr. editae *die 20 Febr. a. 1867* a S. Officio quoad processum in crimine *sollicitationis* (1). Qui iam denunciatione praeventus fatetur suum crimen, non plenam gaudet impunitatem. Nullam vero poenae diminutionem per se, obtinet qui et denunciatus et citatus sistit coram iudice et dein suum fatetur crimen. - Nam post citationem ordo iudicialis producitur usque ad sententiam definitivam. - Reo in *constitutis* fit accusationis *contestatio* et deinde eidem conceditur facultas opponendi exceptiones et defensionis *articulos*, quos tamen si non probet, utpote de crimine convictus, condemnatur et poenis sed mitioribus et salutaribus punitur. Equidem dili-

est crimen, de quo cognoscit saepius S. Officium; nam de aliis hodie rarissime usuvenit instaurari instantiam iudicialem.

(1) (Hanc Instr. integram trademus inter Allegata). Citata, § *13*, ita se habet. « Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientia victi, Ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant; nec coeteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denunciationibus, afficiantur. Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; et ii pariter quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniatur ».

gens et prudens est inquisitio; delatorum vero et testium nomina non manifestantur uti proprium est processus *pure inquisitivi* (cf. supra n. 377) et de processu S. Officii expresse iussit Pius IV Const. *Cum sicut non sine*, 1 Nov. 1561; at testium *dicta* manifestantur pro necessitate defensionis. Porro S. Officii procedendi ratio est mitis et charitativa prouti Ecclesiam decet, et testatur Cardinalis de Luca in « *Rel. De Cur. Rom.* » inquiens *D. 14. n. 15.* « Illud autem certum et indubitatum est (quidquid ignarum vulgus indebite et absque fundamento opinatur) quod stylus est nimium placidus ac benignus, omnique maiori charitate et circumspectione plenus adeo ut non nisi magna urgente necessitate et quando compertum sit quod exactissimae occultae diligentiae non proficiant, huiusmodi negotia publice pandantur ».

Singulare est in processu apud S. Officium ut reo deferatur iuramentum. In cit. Instruct. iubetur: « Hisce peractis diligentiis reus in iudicium adducitur et coram iudice cum interventu eccles. viri... super singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis iuramento dicendae veritatis adstrictus respondere debet ». Sed hodie ob notitiam quam hac de re assumpsi, scio praestationem iuramenti non amplius esse constantem regulam.

Praeterea singulare est ut ab incoepto examine vel constituto reus *suspensus a divinis* ipso facto remaneat. - An Episcopi servare debeant hanc normam non est explorati iuris, sed istam prudenter observant ob easdem rationes quae movent ipsum S. Officium. Verum periculum scandali et revelationis criminis evitare debent Episcopi et est ratio quae ipsos non semel excusat a non ferenda suspensione *in inquisitum*.

535. S. Congregationi S. et U. Inq. affinis et subsidiaria est S. Congregatio *Indicis*, quae specialem habet competentiam ad libros suspectos de haeresi aut bonos mores impetentes examinandos eosque proscribendos, si prave scriptos esse constet. Ecclesia semper hac potestate usa est quae fidelium recto regimini est ita

necessaria ut eadem fruantur etiam Ordinarii locorum quamquam pro rei gravitate non ea uti debeant nisi parce et maxima cum prudentia; siquidem, ut plurimum efficacius haec prohibitio a S. Sede decernitur. Proinde cum haeresis Luterana impias doctrinas maxime per libros disseminaret, Paulus IV huiusmodi pravorum librorum Indicem conficere curavit ex consulto S. C. S. U. Inq. eumdemque anno 1557 publicari iussit. Dein Trid. Patres quo aptiore methodo Index conficeretur annuente Pio IV, ad hoc opus elegerunt duodeviginti Patres qui Synodi Tridentinae approbationi Indicem a se confectum obtulerunt, adiectis aliquibus generalibus regulis iuxta quas fideles a nonnullis libris legendis abstinerent etsi singulari decreto non prohibitis. Verum absoluto Tridentino Concilio antequam Patres Indicis approbationem decernerent, iidem petierunt a Pio IV, ut novum Indicem cum appositis regulis Ipse conficere et edere dignaretur. Quod perfecit, siquidem adhibitis in consilium peritissimis viris Indicem confecit et edi *mandavit* cum adiectis 10. Regulis per Const. « *Dominici Gregis* ». Sed hodie vigent *novae* Regulae editae in Const. *Officiorum et munerum;* quam commentati sumus Vol. III. p. 422 sq. - Ad haec, assidue vigilandum erat, ut novi qui ederentur prave scripti libri Indici insererentur; cui operi iam adlaborabat S. Congregatio Inquisitionis; at consultissime huic muneri Pius V specialem praeposuit *S. Congregationem Indicis* ob in dies crescentem librorum colluviem. De huius Congr. scopo et de eius officialibus ita loquitur Bened. XIV Constitutione *Sollicita.* « Eiusque proprium ac fere unicum officium est, in examen libros vocare de quorum proscriptione emendatione vel permissione capienda est deliberatio. Plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos. Ex eis unus eiusdem Congregationis Praefectus existit. Assistens vero perpetuus est Magister Sacri Palatii. Secretarius autem a prima Congregationis institutione usque in praesentem diem ex Ordine Fratrum Praedicatorum a Summo Pontifice eligi consuevit. Sunt praeterea ex utroque clero

saeculari et regulari eiusdem congregationis Consultores et Relatores selecti ».

536. Idem Pontifex in eamdem Const. *Sollicita* modum procedendi in libris proscribendis determinavit. Cum primis advertit 1) Secretarium ut plurimum, procedere ad libros examini subiiciendos praevia denuntiatione ab Ordinariis locorum vel ab aliquo fidelium porrecta. Attamen nihil prohibet quo minus Secretarius *ex officio* huiusmodi examen instituere valeat. 2) A denunciante exquirit Secretarius rationes petitae reprobationis; sed pro maturiore examine librum remittit duobus Consultoribus; quorum vota postea Secretarius perpendet, atque si liber censura et nota dignus videatur, et gravitas casus id expostulet constituitur unus aliquis relator qui omnibus mature perpensis suum ferat iudicium. 3) Sed antequam Relatoris censura ad Plenariam Congregationem Cardinalium deferatur habetur Consultorum *praeparatorius* conventus, ut de relatoris animadversionibus iudicium fiat. 4) Deliberationes huius conventus a Secretario referuntur Congregationi Card. 5) Pontifex vero voluit speciales adhiberi cautelas si agatur de condemnando libro auctoris catholici aliunde integrae famae. Tunc enim primum proscribi solet liber adiecta clausula « *donec corrigatur* » vel « *donec expurgetur* », quoties locum habere possit, nec grave quidpiam obstet quo minus, in casu de quo agitur, haec clausula adhibeatur, nec decretum reprobationis publicatur donec actum sit cum auctore aut eius procuratore, quum fieri possit, ut ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit indicetur. Si auctor Congr. iussa fecerit, supprimitur proscriptionis decretum, dummodo exemplaria typis impressa non fuerint aut in vulgum non fuerunt edita. Secus decreto reprobationis sequitur declaratio eiusdem S. Congr. qua significatur quod « *Auctor humiliter se subiecit* »; decretum autem reprobationis penitus deletur, si altera libri editio evulgetur emendata ad praescriptum S. Congregationis. 6) Praeterea S. Pontifex decernit quod

si agatur de auctore catholico possit, si expediri videatur audiri eius defensio, etiam per procuratorem facta; vel si auctor citatus non comparuerit vel hunc citare non praestet, defensionem libri unus ex Consultoribus *ex officio* assumet. 7) Quoad omnia acta huius Congregationis non minus viget S. Officii *secretum;* at Pontifex statuit: « Illius tamen Secretario potestatem facimus ut animadversiones in libros censurae subiectos eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus sub eadem secreti lege communicare queat; suppressis semper denunciatoris censorisque nominibus ».

537. Decreta huius Congregationis nonnullos libros proscribentia habent vim generalem pro universa Ecclesia, neque admittenda est illorum opinio autumantium in aliquibus regionibus Regulas praefatas et librorum Indices usu non fuisse receptas, uti eruitur ex Const. Bened. XIV: « *Quae ad Catholicae* » et epistola Encyclica Gregorii XVI, *diei 8 Martii 1844.* - De iure quo utimur hodie Cf. Vol. III, n. 338, not. 2.

TITULUS XII.

DE PROCESSU IUDICIALI INSTITUENDO IN DENUNCIATUM REUM CRIMINIS SOLLICITATIONIS.

Summarium. — 538. S. Congr. S. Officii in executionem Const. - *Sacramentum poenitentiae* - plures edidit Instructiones. — 539. Harum intentio non sinit, Episcopos procedere *extraiudicialiter* vel *ex informata conscientia*. — 540. De iudice competente. De notario. — 541. De denuntiationibus recipiendis et prudentissime examinandis iuxta *formulas*. Episcopus qui excipit denunciationem de eadem certiorem *facere* debet S. Congr. S. Officii. — 542. De probatione huius criminis. — 543. De praxi S. Congr. S. U. Inq. Hanc si non adamussim, tamen uti specimen prudentissimi processus prae oculis habere debent Ordinarii, iis etiam in casibus, quibus ipsi procedunt sua ordinaria potestate. — 544. Refertur Instr. a. 1867.

538. S. Congr. S. Officii in executionem Const. - *Sacramentum poenitentiae* - Bened. XIV, specialem adhibuit sollicitudinem ut animadversio in sacerdotes sollicitantes ad turpia fieret observato *ordine iudiciali*. In hunc scopum edidit Instructionem *a. 1867 die 20 Febr.*, infra referendam et alias adiecit practicas normas aeque mox exhibendas. - Sacerdos enim qui in administrando sacramento poenitentiae suae rationis agendi non alium habet testem nisi ipsum poenitentem; eumdemque facile nancisci potest accusatorem, Sacerdos ius habet ut huic testi *singulari* eidemque *accusatori* non credatur nisi res prudentissime antea discussa fuerit in foro iudiciali.

539. Equidem non defuerunt Theologi, qui nimis solemnes existimant normas processus ab H. C. institutas quippe executioni difficiles et impares periculo, cui oportebat occurri; sed potissimum ad repellendam eiusmodi opinionem, quae inolescere visa est, suadens faciliori methodo excipere denunciationes et sacerdotes denunciatos plectere oportere severa animadversione, non servatis adamussim cautelis ordinis iudiciarii, S. Officii

Congregatio has edebat Instructiones. Equidem eiusmodi normae *iuris positivi* paulisper limitant facultatem Ordinariis concessam ex ipso naturali iure sed hoc patet, factum fuisse in bonum ordinis sacerdotalis. - Cf. § *15 cit. Instr. a. 1867.*

Ipsa facultas, qua pollent Ordinarii procedendi *ex informata conscientia*, non potest exerceri in reum *sollicitationis*, quia S. Officium omnes dictavit normas, casui accommodatas, at numquam neque suggessit Ordinariis neque ratam habuit hanc rationem procedendi *extraiudicialem.*

540. Ex cit. Instr. a. 1867, in *prŏemio*, iudex competens ita determinatur. - « In primis quemadmodum iam antea sancitum fuerat praesertim a Gregorio XV Const. quae sub die 30 Augusti a. 1622 data incipit - *Universi* - omnes locorum Ordinarii aeque ac Inquisitores (*qui hodie tamen nullibi constituuntur*) deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione *quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos* ». Ante hanc declarationem dubitatum fuerat an tantum apud S. C. S. Officii hae causae expediendae essent. Cf. P. Rota, Enchiridion. n. 220. At nomine Ordinarii non comprehenditur Vicarius Generalis quippe eiusmodi negotia non sunt in mandato *generali* comprehensa. - Verum S. Officium, *20 Martii 1901* indulsit ut Vic. Generalis Episcopi, dum hic est absens aut impeditus, valeat delegare confessariis facultatem recipiendi denunciationes sollicitationum.

Operam iudicis adiuvat *notarius* et in his negotiis notarii partes necessario *vir ecclesiasticus* expleat oportet, dum in aliis causis, uti docuimus Vol. I n. 159, etiam vir saecularis eiusmodi officium explere valet in curiis eccles. Praeterea notarius constitui debet *speciali et scripto exarata Episcopi deputatione.* Item iudex debet esse *specialiter* delegatus seu ad *singulum* casum.

541. Sane de modo recipiendi denunciationes haec habet Instr. § *6.* « Denunciationes anonymae contra sollicitantes ad

turpia nullam vim habent: denunciationes enim fieri debent *in iudicio*, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis ». Ceterum praeter *iudicem* et *notarium*, nullus alius adesse debet dum recipitur denunciatio.

Quia aliquando, absque *notario*, excipere oportet aut expedit denunciationem per virum eccles. *specialiter* delegatum ab Ordinario, ipsa Congr. hanc proponit formam servandam.

Delegatus incipiet actum a notando die, mense, anno.

Die mensis anni

Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in *(notabit locum et dioecesim ubi reperitur ad actum recipiendum)* ad hunc actum tantum ab Illmo et Revmo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii literis mihi directis et datis sub die *(exprimet quo die ipsi scriptae fuerint literae)* praesenti positioni allegandis, N. N. *(scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, aetatem, conditionem et habitationem personae denunciantis; et si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur)* cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis, *(quae manu tangere faciet)* exposuit prout infra, videlicet:

Hic persona denuncians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi, absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem Revmo Antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis, an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum Confessarium sollicitantem, et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denunciantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce exscriptis prout narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidpiam requiret.

Interr. An sciat, vel dici audierit, dictum N. N. *(nominando personam)* Confessarium sollicitasse alias poenitentes ad turpia? et quatenus etc.

Resp. (Notabit responsionem, et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret et causam scientiae).

Interr. De fama supradicti Confessarii N. N. tam apud se quam apud alios? et quatenus etc.

Resp. (Responsionem exscribere).

Interr. An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc., et quatenus etc.

Resp. Recte *(si ad propriam conscientiam exonerandam denunciasse se dicet). Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda:*

Interr. Cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario, et conscientiam suam exonerare?

Resp. (Notabit responsionem).

Actus claudatur hac ratione.

Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (vel dimissa) fuit iuratus (vel iurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum: *(super Evangelium iterum iurabit)* et in confirmationem praemissorum se subscripsit *(et si scribere nesciat)* et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis *(Crucis signum calamo faciendum ab ea exiget).*

Postquam denuncians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:

Acta sunt haec per me N. N. ab Illmo et Revmo Antistite N. N. ut supra specialiter delegatum.

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittet una cum instructione et literis acceptis nihil omnino apud se retinendo.

Praeterea non semel in *denunciatione* aliae personae indigitantur quae ab eodem confessario sollicitationem passae sunt, quae tamen nullam fecerunt denunciationem; et tunc ad perquirendam rerum veritatem hanc edidit *die 20 Iulii 1890* Instructionem haec Congregatio.

Non raro ad hanc Congregationem Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis transmittuntur ab Ordinariis vel a Sacra Poenitentiaria denun-

ciationes contra Confessarios sollicitantes poenitentes ad turpia: et saepe accidit, ut in denunciationibus ipsis inducantur aliae poenitentes vel uti certo ad turpia sollicitatae, vel tantum ex indiciis inductae, quae tamen obligationi de denuntiatione emittenda iuxta Sacros Canones satis non fecerunt. Ne autem crimen tam infandum absque debitis animadversionibus maneat, Sacra Congregatio ad tramitem Apostolicarum Constitutionum indicit locorum Ordinariis, ut inductas poenitentes opportuno examini subii ciant, ut inde legales probationes in processualibus tabulis resultent.

Verum experientia compertum est huiusmodi examina non ita scite seu legaliter assumi a Iudicibus delegatis; ita ut saepius causas ipsas, alioquin graviores et in damnum ac scandalum fidelium vertentes, prosequi datum non sit.

Quapropter ne in posterum ex enunciatis defectibus in examinibus assumendis causae contra sollicitantes infectae remaneant, Sacra Suprema haec Congregatio opportunum, immo necessarium censet locorum Ordinariis instructionem iuxta decreta ac ordinationes alias editas exaratam transmittere, qua examina poenitentium per generalia rite et legaliter prosequi valeant.

Praenotandum quod nimia circumspectione utendum est in personis ad examen invitandis; etenim non semper opportunum erit eas ad publicum Cancellariae locum convenire, praesertim si examini subiiciendae sint vel puellae, vel uxoratae, aut famulatui addictae; tunc enim consultum erit eas vel in sacrario, vel alio iuxta prudentem Ordinarii seu Iudicis aestimationem caute convocare ad earum examen assumendum. Quod si examinandae vel in Monasteriis aut Nosocomiis seu in piis puellarum domibus existant, tunc magna cum diligentia et diversis diebus iuxta circumstantias peculiares vocandae erunt.

Insuper animadvertant Iudices ad examina assumenda deputati, quod in eorum et Cancellarii seu Notarii (qui semper Ecclesiastici esse debent) praesentia, examinanda exclusive compareat absque socia, absque teste: etenim omnia sub inviolabili secreto perfici necesse est.

Tandem de actibus inde assumptis Ordinarii debent transmittere ad hanc Supremam Congregationem exemplar authenticum et cum suo originali collatum.

Hisce generatim praemonitis subnectitur norma examinis conficiendi.

Norma examinis per generalia assumendi.

Vigore epistolae Sacrae Supremae Congregationis datae sub die.... (vel vigore Decreti Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi,

Ordinarii) vocata personaliter comparuit coram Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N. N. sistente in Cancellaria (vel in sacrario aut in collocutorio Monialium seu piae domus) in meique etc.

N. N. nubilis (vel uxorata) degens in hac Civitate N. N. in paroecia N. N., filia (vel uxor) N. N., aetatis suae.... conditionis civilis (aut agricolae aut famulatui addictae) cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis, fuit

Interr. An sciat vel imaginetur causam suae vocationis et praesentis examinis?

Resp. . . . . . .

Interr. A quot annis usa sit accedere ad Sacramentum poenitentiae?

Resp. . . . . . .

Interr. An semper apud unum eumdemque Confessarium Sacramentum poenitentiae receperit vel apud plures Sacerdotes: insuper an in una, eademque, vel in pluribus Ecclesiis?

Resp. . . . . . .

Interr. An a singulis quibus confessa est Sacerdotibus exceperit sanctas admonitiones, et opportuna praecepta, quae ipsam examinatam aedificarent, et a malo arcerent, et quatenus etc.

Resp. . . . . . .

Notandum: si responsio fuerit affirmativa, id est si dicat, se bene semper fuisse directam, tunc interrogatur sequenti modo:

Interr. An sciat vel meminerit aliquando dixisse vel audivisse, quod quidam Confessarius non ita sancte et honeste sese gesserit erga poenitentes; quin murmurationes, seu verba contemptibilia contra ipsum Confessarium, prolata fuerint: ex. gr. quod ipsa Examinata ab uno vel a pluribus poenitentibus, atque ab uno abhinc anno, vel a quatuor, aut tribus mensibus similia audierit?

Notandum: Si post hanc interrogationem et animadversionem examinata negare pergat, claudatur actus consueta forma, quae ad calcem huius instructionis prostat.

At si quidquam circa aliquem confessarium, iuxta ea de quibus interrogatur, aperuerit, ulterius interrogabitur prout sequitur:

Interr. Ut exponat nomen, cognomen, officium aetatem Confessarii, et locum seu sedem confessionis; an sit presbyter Saecularis vel Regularis, et quatenus etc.

Resp. . . . . . .

Interr. Ut exponat seriatim, sincere et clare ea omnia, quae in Sacramentali confessione vel antea vel postea vel occasione confessionis audierit a Confessario praedicto minus honesta: vel an ab eodem aliquid cum ipsa inhoneste actum fuerit nutibus, tactibus seu opere, et quatenus etc.

Notandum: hoc loco iudex solerter curabit ut referantur iisdem verbis, quibus confessarius usus fuerit, sermones turpes, seductiones, invitamenta conveniendi in aliquem locum ad malum finem, aliaque omnia, quae crimen sollicitationis constituunt, adhibita vernacula lingua, in qua responsiones sedulo et iuxta veritatem exarabuntur, animum addat examinatae, si animadvertat, eam nimio timore aut verecundia a veritate patefacienda praepediri, eidem suadens omnia inviolabili secreto premenda esse. Denique exquiret tempus a quo sollicitationes inceperint, quamdiu perduraverint, quoties repetitae, quibus verbis et actibus malum finem redolentibus expressae fuerint. Cavebit diligenter ab exquirendo consensu ipsius examinatae in sollicitationem, et a quacumque interrogatione, quae desiderium prodat cognoscendi eiusdem peccata.

Interr. An sciat vel dici audierit praedictum Confessarium alias poenitentes sollicitasse ad turpia; et quatenus eas nominet... (atque hic iubebit pandi nomen cognomen et saltem indicia clariora, quibus aliae personae sollicitatae detegi possint).

Notandum: Si forte inducantur aliae personae sollicitatae, erit ipsius iudicis eas prudenter advocare et singillatim examinare iuxta formam superius expositam.

Resp. . . . . . .

Interr. De fama praedicti Confessarii tam apud se quam apud alios?

Resp. . . . . . .

Interr. An praedicta deposuerit ex iustitiae et veritatis amore, vel potius ex aliquo inimicitiae vel odii affectu, et quatenus etc.

Resp. . . . . . .

Quibus habitis et acceptatis dimissa fuit iurata de silentio servando iterum tactis SS. Dei Evangeliis, eique perlecto suo examine in confirmationem praemissorum se subscripsit (si fuerit illiterata dicatur) et cum scribere nesciret fecit signum Cru-cis.

(subscriptio personae examinatae).

Acta sunt haec per me N. N. Cancellarium vel Notarium ad hunc actum assumptum.

542. De probatione exquirenda, haec habet Instr. § *10.* - Accepta denunciatione non illico proceditur sed a Superiore eccles. inquiri sedulo debet utrum persona denuncians sit fide digna... privilegium est ut his causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis SS. Pontificum constitutionibus praescribitur ne cum testibus singularibus procedatur nisi *praesumptiones*, *indicia* et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt et antequam contra denunciatum procedatur perspectum exploratumque iudici esse debet quod mulieres vel viri denunciantes sint boni nominis neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur ». Quo facilius Ordinarii valerent huic inquisitioni satisfacere ipsa Congr. sequentem instructionem confecit atque edidit *die 6 Aug. 1897 super diligentiis in causis* DE SOLLICITATIONIS CRIMINE PERAGENDIS.

I. Instructionis S. Romanae et Universalis Inquisitionis circa observantiam Apostolicae Constitutionis « *Sacramentum Poenitentiae* » N. 10 praecipitur ut, *antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debeat, quod mulieres vel viri denunciantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia, vel alio humano affectu adducti fuerint.*

II. Praeceptum huiusmodi, uti omnia quae ad huius Supremi Tribunalis procedendi rationem spectant, strictissimi iuris censendum est, ita ut, eo neglecto, ad ulteriora procedi nequeat.

III. Nec sufficit ut id utcumque, sed omnino necesse est ut certa iudiciali forma iudici innotescat; quod propria dictione: « *diligentias circa denunciatum eiusque denunciantes peragere* » significari in foro S. Officii usus obtinuit.

IV. Iamvero cum non semper nec ab omnibus vel tantum post longum tempus, cum nempe testimoniorum receptio difficilis et quandoque impossibilis est, Supremum hoc Tribunal id servari perspexit, hanc ad rem Instructionem, pro Rmorum Ordinariorum norma, edendam mandavit.

V. Ordinarius igitur toties quoties aliquam de infando sollicitationis

crimine denunciationem acceperit, illico ad diligentias peragendas procedet. Ad quem finem, vel per se vel per Sacerdotem a se *specialiter* delegatum, advocabit (separatim scilicet et qua decet circumspectione) duos testes, quantum fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, utcumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint tum denunciatum, tum omnes et singulos denunciantes, eosque, sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam; utriusque vero testimonii atque una simul respectivae denunciationis authenticum exemplum directe tutaque via ad hanc Supremam Congregationem quamprimum transmittet.

VI. Dictum est: « vel per se vel per Sacerdotem a se *specialiter* delegatum »; nihil enim prohibet quominus, rationabili ex causa, pio alicui, docto ac prudenti Sacerdoti id muneris Ordinarius demandare valeat; *speciali* tamen ei in singulis casibus delegatione impertita, eique antea delato iureiurando de munere fideliter obeundo et de secreto S. Officii servando.

VII. Quod si inveniri nequeant duo tantum testes, qui noverint una simul denunciatum et omnes et singulos denunciantes, plures vocari debent. Tot nempe hoc in casu testes, ut supra, vocandi erunt, quot oportebit ut duplex quoad denunciatum et unumquemque denunciantem habeatur testimonium.

VIII. Quoties autem iuramentum de secreto servando et, pro diversis casibus, de veritate dicenda vel de munere fideliter obeundo deferendum sit, iuramentum ipsum semper et ab omnibus, etiam Sacerdotibus, *tactis Ss. Dei Evangeliis et non aliter*, praestandum erit. In Ordinarii vero potestate erit, siquidem pro rerum, locorum aut personarum adiunctis necessarium vel expediens iudicaverit, excommunicationem ipso facto incurrendam et Rom. Pont. speciali modo reservatam violatoribus comminari.

IX. Sequitur interrogationis formula.

Die . . . . mense . . . . anno . . . .

Vocatus personaliter comparuit coram me infrascripto Episcopo . . . (*notetur nomen dioecesis. Delegatus autem dicat:* coram me infrascripto a r. p. d. Episcopo . . . . ad hunc actum tantum specialiter delegato) sistente in . . . . (*notetur locus ubi negotium geritur*).

N. . . . N. . . . (*nomen, cognomen et qualitates testis conventi*) qui, delato ei iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis Ss. Dei Evangeliis, fuit per me

1. *Interr.* Utrum noverit Sacerdotem N.... N....? (*nomen, cognomen et qualitates denunciati*).

Resp. (*exscribatur lingua, qua utitur testis, eius responsio*).

2. *Interr.* Quaenam sit huiusce Sacerdotis vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

Resp.....

3. *Interr.* Utrum noverit viros vel, ut plurimum, mulieres NN..... NN....? (*nomen, cognomen et qualitates uniuscuiusque denunciantis*).

Resp.....

4. *Interr.* Quaenam sit uniuscuiusque eorum vitae ratio, quinam mores, quaenam penes populum existimatio?

Resp.....

5. *Interr.* Utrum eos censeat fide dignos, vel contra mentiendi, calumniandi in iudicio et etiam peierandi capaces eos existimet?

Resp.....

6. *Interr.* Utrum sciat, num forte inter eos et praefatum Sacerdotem ulla unquam extiterit odii vel inimicitiarum causa?

Resp.....

Tunc, delato ei iuramento de secreto S. Officii servando, quod praestitit ut supra, dimissus fuit, et antequam discederet, in confirmationem praemissorum se subscripsit.

Subscriptio authographa testis vel eius signum ✠ *crucis.*

Acta sunt haec per me N..... N..... (*nomen, cognomen et qualitates Episcopi vel eius Delegati qui testimonium recepit*).

Denunciantium et testium nomina reo nunquam sunt manifestanda. Est enim ratio procedendi *stricte inquisitiva.*

Ratio ob quam in § quinta decernitur, Ordinarium debere ad S. Officium deferre denunciationem et appositas attestationes est quia denunciatio quae forsan est prima in curia Episcopali, potest de eodem sacerdote iam iteratis vicibus proposita esse apud S. Officium ad quod deveniunt etiam per Poenitentiariam Apostolicam. Inde regula generalis haec est, nempe de quacumque denunciatione ab Ordinario excepta et de qua ipse inquirere incipit, debet ipse S. Congr. S. Officii monere (Cf. *Monit. Eccles.*, Vol. X. p. I, p. 184.

543. Ast denunciationes directe fieri solent apud S. Congr. S. Officii vel ad Hanc a curiis transmittuntur; inde praxis H. S. C. est breviter explicanda. Instructio a. 1876 § *11*, haec habet: « Ea est huius Supr. Inq. consuetudo ut post unam alteramve denunciationem rescribatur quod denunciatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur ut quum primum per novas denunciationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denunciatione procedi solet ». Scilicet etiam curiae huic praxi bonum est ut obsequantur, quia prima denunciatio, *ut plurimum*, non satis grave praebet argumentum ut procedatur ad inquisiti examen. Cf. supra 534. - Et in § 12 cavetur « Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat... Huiusmodi sententiam Episcopus ipse et non alius ab eo delegatus proferat... Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit congruam debet *emittere abiurationem* ut se ita purget ab ea quam incurrit *haeresis suspicione* ». Sed *abiurationis* actus imponitur tantum reo confesso; nam reus iudicialiter convictus de crimine sollicitationis congruis poenis compescitur sed non adigitur edere *abiurationem*. Quare *abiuratio* non imponitur si reus non confessus at alias crimine convictus definitiva sententia damnetur, uti cit. § *12* praecipitur. - Praeterea cautum est ut ille effugiat omnem poenam qui *non denunciatus* sistit coram iudice suum crimen fassurus. Secus vero si crimen fateatur post *denunciationem* in § *13* iubetur: « Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed *nondum citati*, sua sponte, se sistunt; et ii pariter quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur ». Denique in § *14* praecipitur « Quod in hisce causis vel ex commissione apostolica vel ex iure

Episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet illud est. ut eaedem causae *utpote ad fidem attinentes* secretissime peragantur et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae eccles. administri et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur iusiurandum de secreto servando debent emittere et ipsi Episcopi... Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt quique in hisce causis *examini subiiciuntur iuramentum ab initio de veritate dicenda et, actu expleto, de secreto servando tactis SS. Dei evangeliis, etiamsi sint sacerdotes, praestare tenentur* ».

Verum aliquando processus instruitur apud S. Officium sed non semel instructio ex commissione S. Officii fit ab Ordinario loci, ast sententia editur a S. Officio. Sententia solet ita denunciari Ordinario loci qui eam exequatur. Nimirum exempli causa, in litteris ad Ordinarium datis refertur, Emos Inquisitores sententiam dedisse condemnationis ita conceptam « *Praevia abiuratione* DE VEHEMENTI, *impositis poenitentiis salutaribus inter quas peragat exercitia spiritualia, quo tempore maneat suspensus a celebratione missae et praevia suspensione ab audiendis sacramentalibus confessionibus inconsulta S. Congr., Sac... dimittatur et si complicem absolverit, recurrat ad S. Poenitentiariam* ». Age modo, pro exequenda sententia *quinque* requiruntur; 1) *constitutio* tribunalis, quod efformant iudex, notarius et *duo* testes, 2) *notificatio* sententiae. Iudex, praevio iuramento de veritate a reo praestito, ei denunciat sententiam et explicat. 3) Poenitentiae *impositio*. - Nisi enim reus fiat contumax detrectando obedientiam, poenas et poenitentias impositas ferre debet. 4) Abiuratio est de *levi* de *gravi*, de *vehementi*, prouti praesumptio haeresis est *levis*, *gravis*, *vehemens*. Si enim ageretur de ipso crimine haeresis abiuratio est de *formali*. - 5) *Absolutio* impertitur in forma Ecclesiae consueta. Cf. Vol. III n. 129. - En *formulas* horum actorum.

Hisce receptis litteris, Ordinarius, sive Episcopus sive Vicarius Capitularis, cuius tantum, uti ex ipsis litteris eruitur, sunt causae S. Officii, procedit ad sequentia acta (1):

a) ad constitutionem tribunalis;

b) ad notificationem sententiae;

c) ad impositionem poenitentiae;

d) ad abiurationem recipiendam;

e) ad absolutionem impertiendam.

a) *Constitutio tribunalis dioecesani.*

Ordinarius, si ipse agit, est ut Praeses, et vocat Notarium aliquem suum ecclesiasticum, qui coram se praestat iuramentum de secreto servando et de munere fideliter explendo, per tactum corporalem S. Evangelii, iuxta Clement. *Multorum* ? porro, de Haereticis.

Si vere Ordinarius non ipse agit, nominat uti iudex seu praeses aliquem Vicarium Generalem, qui debet pariter in manu Episcopi seu Vicarii Generalis iuramentum praedictum emittere. Ipse debet dici, in actu et subscriptione, specialiter delegatus.

Ordinarius eligit uti testes insuper duos viros aetate et prudentia graves, qui pari modo iurant de secreto servando.

In praesentia horum omnium comparet reus, et Notarius scribit actum, quod est uti posterius refertur.

b) *Notificatio sententiae.*

Reo defert iudex iuramentum de veritate dicenda, et inde ei dicit cur eum vocavit, memorans causam eum habere vertentem coram S. Officio, quod emanavit tandem sententiam. Legit ei sententiam, et explicat, ad opus, verba eiusdem. Hoc facto quaerit a reo si velit obedire: et habita responsione affirmativa, ut communiter evenit, prosequitur.

c) *Impositio poenitentiae.*

Iudex debet presse ad verba sese referre, ut exequatur ipsam in iis, quae sunt taxative statuta, et in iis, quae sunt ad arbitrium eius.

d) *Abiuratio.*

Abiuratio imponitur tantum quando reus est confessus et prout est confessus; *si et quantum*. Quare in descriptione corporis delicti, quod inse-

(1) Haec excerpsi ab opere cl. Colomiatti, *Codex* - Vol. V, pag.. 744.

rendum in formula abiurationis est, unice attenditur ad ea, circa quae confessus est reus. En formulam:

« Io D. figlio del fu Giuseppe, nativo di .... di anni .... sacerdote pro-
« fesso nell'istituto .... Rettore nella Chiesa .... costituito personalmente ed
« inginocchiato innanzi a Dio, in presenza di S. Ecc. Mons. .... avendo sotto
« gli occhi i sacrosanti Evangeli, che tocco colle mani, e sapendo che
« niuno può salvarsi fuori di quella fede, che tiene, crede, predica, pro-
« fessa ed insegna la S. Chiesa Cattolica, contro la quale mi dolgo di aver
« dato sospetto fortissimo, perchè commisi imprudenze con donne nel con-
« fessarle; dolente e pentito del mal fatto condanno ogni errore ed eresia,
« certo della falsità di essi e delle verità della s. Chiesa cattolica; e con
« cuor sincero e fede non finta, abiuro, detesto e maledico tutti gli errori
« e tutte le eresie e sette contrarie alla detta santa, cattolica, Apostolica
« Chiesa. Accetto anche e prometto di adempire interamente tutte le peni-
« tenze, che mi sono e mi saranno dal S. Uffizio imposte; e contravve-
« nendo io ad alcuna di dette mie promesse e giuramenti, il che Dio non
« voglia, mi sottometto a tutte le pene e i castighi, che sono dai ss. Canoni,
« e da altre Costituzioni Generali o Particolari contro simili delinquenze,
« imposte o promulgate. Così Dio mi aiuti e questi suoi ss. Evangeli.

« Io suddetto ho abiurato e promesso e mi sono obbligato, come
« sopra, e in fede del vero ho di propria mano firmata la presente cedola
« di mia abiurazione, che qui di parola in parola ho recitato.

« Di Torino, in questo dì ..... del mese di ..... dell'anno 19....

« N. N. »

Notandum:

Crimen sollicitationis secum ducit, ut praesumptionem iuris et de iure, suspicionem haeresiae, quae iuxta casus est *de levi, de gravi et de vehementi,* prout praesumptio est plus vel minus fundata. Itaque quando in sententia quis condemnatur, praevia abiuratione *de vehementi,* ille debet, uti significatur per haec verba, emittere abiurationem omnium errorum et et haeresiarum, de quibus suspicionem gravissimam dedit in foro externo Ecclesiae.

Formula supra relata est illa quae in usu viget apud s. Officium, etiam de haereticis; et differentia stat in eo quod haereticis abiurant *de formali*, nempe ut vere haeretici, dum suspecti abiurant solum aut *de levi*, aut *de gravi*, aut *de vehementi* suspicione haeresiarum, et in eo quod haeretici post abiurationem absolvuntur *pure* et *simpliciter* ab excommuni-

catione, in quam incursi sunt; dum suspecti absolvuntur sub conditione seu sub clausula, *quam forsan incurristi.*

e) *Absolutio.*

Datur absolutio a censura, idest ab excommunicatione verbis plus minusve formulae Ritualis Romani, *Tit. 3, cap. 3.* Idest recitata et firmata formula abiurationis, reus genuflexus recitat *Miserere* aut *De profundis.* Iudex sistit ubi ad *Kyrie eleison* perventus est reus, et ita permanet usque ad orationem inclusive. Deinde iterum sedit et tunc dicit formulam absolutionis: *Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis, quam forsan incurristi et restituo* etc.

Postea reus dat iuramentum *de secreto servando quoad alios.*

Hic dicitur quoad alios: nam reus non debet quidquam dicere de denunciante etc. potest de se, si velit, dicere fuisse processatum, damnatum et absolutum per sollicitationem; quod ei libet.

Sed quando timetur reum molestiam velle afferre denunciantibus, ei intimandae sunt a iudice excommunicationes ss. Canonum contra *laedentes inquisitores* et illa signanter Bullae: *Si de protegendis*, Pii V, conservata in *Apostolicae Sedi*, Pii IX.

Actum Notarii.

In nomine Domini. Amen.

Die etc. Vigore epistolae Supremae Universalis Inquisitionis, diei etc. coram R. P. D. Archiepiscopo Taurinensi sistente in .... (luogo) atque in mei praesentia, adstantibus et praesentibus, uti testibus, D. D. (persone dei testi) rogatis idoneis, mihi notario cognitis, atque una mecum coram praelaudato Archiepiscopo per corporalem tactum S. Evangelii respective iuratis de secreto servando et munere fideliter obeundo, vocatus personaliter comparuit N. N. filius qd..... presbyter, aetate annorum..... degens..... qui monitus fuit per Dñum iudicem vocatum eum fuisse propter causam contra ipsum in s. Officio vertentem, et cui proinde delatum fuit, per eumdem Dñum iudicem, iuramentum de veritate dicendâ, quod praestitit tactis Sanctis Dei Evangeliis. Tunc idem Dñus Iudex inquisitum monuit Emos ac Rmos Dños Cardinales Generales Inquisitores sententiam contra ipsum tulisse in causa sollicitationis ad turpia, per abusum Sacramenti Poenitentiae, atque eidem clare et distincte legit dictam epistolam Supremae et Universalis Inquisitionis, singula explicando. Quibus bene auditis et

intellectis, fuit inquisitus per Dñum Iudicem interrogatus utrum parere intendat. Habitaque responsione affirmativa, fuerunt inquisitio, per Dñum Iudicem impositae poenitentiae salutares in sententia contentae. Tunc vero inquisitus genuflexus coram eodem Dño atque tangens Sacrosancta Dei Evangelia ante se posita abiuravit haereses et errores, prout in adnexa schedula abiurationis suae; qua abiuratione peracta, adhuc geneflexus fuit absolutus in forma Ecclesiae consueta a sententia excommunicationis et S. M. E. reconciliatus, adhibitis orationibus et caeremoniis solitis et consuetis. Quibus habitis, dimissus fuit, iuratus ad tactum s. Evangelii de secreto servando quoad alios, atque praevia, in praemissorum confirmationem, ipsius, testium, meique subscriptione.

N. N. (subscriptio rei)
N. N. (subscriptio Iudicis)
N. N. Testis
N. N. Testis.

Acta sunt per me notarium assumptum

N. N.

Equidem Instructiones editas a S. Officio vel alia rescripta aut decreta non explicite faciunt hanc legem Ordinariis ut ipsi quum *ordinaria* procedunt potestate, eamdem sequantur normam, sed certe hanc processus rationem prae oculis usque habere debent ut prudenter et caute procedant in tanto negotio. Quum vero procedunt ex commissione S. Officii huius Instructiones sequi debent et specialia facere mandata significata in rescripto commissionis seu delegationis.

544. Modo per extensum referimus Instructionem *a. 1867, die 20 Febr.*

Quae Supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV, in constitutione die 1 Iunii anno 1741 edita, cuius initium est *Sacramentum poenitentiae*, confirmavit ac decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita reducuntur. In primis, quemadmodum iam antea sancitum fuerat praesertim a Gregorio XV, constitutione quae sub die 30 Augusti anno 1622 data incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii aeque ac inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomo-

dolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi, quamprimum poterunt, inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea tertio loco apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio ad sacramentales confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat (1). Et apostolicae Sedi reservatur eorum confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV, et Benedicti XIV constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera Vicario apostolico Cocincinae sciscitanti. 1. *An constitutio Benedicti XIV, adversus sollicitantes obligèt etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* 2. *An eadem constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam in eodem regno Cocincinae?* iussu Pii VI, anno 1775 opportuna instructione responsum fuit: *ad 1m. affirmative: ad 2m. negative.* Et proxime SSmus D. N. Pius Papa IX, decreto huius supremae Inquisitionis sub feria IV, die 27 Iunii anno 1866 edixit, *in facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus apostolicae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV quae incipit « Sacramentum poenitentiae »*. Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit.

Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum summopere est, ne eorum vigor, quae in praedicta constitutione salubriter providentur,

(1) Const. eiusdem S. P. Bened. XIV « *Apostolici muneris* », die 8 Februarii 1745.

paulatim uspiam elangueat. At Emi PP. Cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverunt, eamdem constitutionem non ubique, sicut par esset executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos tum in denunciationis onere adimplendo, tum in iudicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse abusus, qui sine iustitiae ac providae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore iudicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem instructionem edi mandarunt.

1. Personae sive mares sive foeminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in confessione vel occasione aut praetextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata Constitutione praecipitur, rem ad sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

2. Denunciare oportet quemcumque sacerdotem etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti (1).

3. Huiusmodi denunciationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri (2).

5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi: qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque, quo citius poterunt, faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denunciationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denunciationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis: nec sufficit si fiat per apochas vel litteras sine nomine et cognomine auctoris (3). Ceterum prohibetur, ne recipiendis denuntiationibus praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum speciali et scripto

(1) Ex declar. diei 11 Febr. 1661 confirmata in Const. « *Sacramentum poenitentiae* ».

(2) Ex declar. sub diebus 20 Martii 1624 et 1 Octob. 1626 penes Albit. de inconst. in fide cap. 35, num. 17.

(3) Albit. loc. cit. n. 21.

exarata Episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciationibus quaeratur, num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu quantumvis sponte manifestato nihil notetur in tabulis (1).

7. Denunciationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium vel sanctam Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta instructionem, quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli consult. 104. Carena, Albitius etc.

8. Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique haec potestas est) deputetur ad denunciationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante absque interventu notarii. Huic instructioni folium adiicitur circa modum, quo hisce in casibus confici denunciatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur., de actu denunciationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent, ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad ipsum Episcopum, a quo fuerunt deputati, caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat quod pro missionibus Pernambuci in America die 22 Ianuarii an. 1627 declaratum fuit: ***Mulieres*** videlicet ***sollicitatas non teneri ad denunciationem, si ministri Inquisitionis et vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant.***

9. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim iudiciaria forma superius enunciata examinandae sunt: et primo per *generalia*, deinde per

(1) Ex declar. Urbani VIII, sub fer. V, die 17 April. 1624.

gradus, quoad ita res ferat, ad *particularia* deveniendo interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

10. Accepta denunciatione non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuncians sit fide digna. Sollicitationis crimen, ut plurimum, secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis summorum Pontificum constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et antequam contra denunciatum procedatur perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis neque ad accusandum vel inimicitia, vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim, ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit (1).

11. Ea est huius supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus, *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet. Ad formale examen vocantur parochi vel probatae fidei spectataeque virtutis viri praesertim ecclesiastici, qui cum iuramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denunciantium et denunciati, et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis, reus in iudicium adducitur, et coram iudice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii, partes agat, super singulis cuiusque denunciationis et examini adiunctis, iuramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum, ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa sancta Sede impertitas. Huiusmodi sententiam Episcopus ipse et non alius ab eo delegatus proferat: et pro modo culpae, atque omnibus

(1) Ex Instruct. iussu Pii VI, anno 1775 ad Vicar. apost. Cocincinae data.

attentis circumstantiis caeteras quoque poenas reo irroget quae in supradictis pontificiis constitutionibus decernuntur. Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, haeresis suspicione: et hac quoque poena in ipsa sententia mulctetur. Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum, in decreto Benedicti XIV, die 5 Augusti anno 1745 praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae*. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV, statutum fuit: ceterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur (1).

13. Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientia victi, Ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant: nec coeteris poenis antea dictis accedentibus licet postmodum denunciationibus, afficiantur. Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; et ii pariter quos, veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

14. Quod in hisce causis vel ex commissione apostolica vel ex iure Episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet illud est, ut eaedem causae, utpote ad fidem attinentes, secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est cap. *Statuta* fin. de haeret. in 6 et in Clementina *multorum* § *Porro* de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, etiamsi sint sacerdotes praestare tenentur. Haec si caute san-

(1) Albit. op. cit. cap. 15, n. 13 et Benedict. XIV, in privata epistola die 11 Novembr. anno 1743 data ad Emanuelem de Azevedo S. I. presbyterum.

cteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque, vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775 ad Vicarium apostolicum Cocincinae data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt; et cum si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine indiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii apostolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam neque omnibus esse communem, neque absque apostolicae Sedis auctoritate iure posse ubivis induci.

16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus; vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quae peculiares instructiones singulis casibus accommodatas, ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Haec sunt quae ad praedictam pontificiam constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quaeque, utpote ubique locorum observatu facilia, sacra haec Congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastorali Ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

Allegatum I.

Instructio pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum edita sub die 11 iunii 1880, italice exarata, quam latine ita reddiderunt moderatores ephemeridis « acta s. sedis ».

« Sacra haec EE. et RR. Congregatio, mature praesenti Ecclesiae conditione perpensa, quae pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super Clericis. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas a Curiis servandas:

I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad praecavendas in eisdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur. Alia finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias.

III. Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones et casuum adiunctorumque gravitatem.

IV. Mediis, quae perseverant, praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V. Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio, quae ab Ordinario notanda est, *ut ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat superiorem Auctoritatem in casu legitimi recursus.

VI. Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta, etiam per epistolam aut per interpositam personam; sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu.

VII. Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum iniungatur *praeceptum*; in quo declaretur quid eidem agendum aut respondendum sit, cum accommodae poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

VIII. Praeceptum intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis.

§ 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus et praevento quoque, si velit.

§ 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

IX. Quoad poenalia media animadvertant revmi Ordinarii, praesenti instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus, per sacros canones, per apostolicas constitutiones, et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eaedem libere efficaciterque applicari queant; sed oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim servat suam extraiudiciale remedium ex *informata conscientia* pro criminibus occultis, quod decrevit S. Trid. Synodus in *Sess. 14, cap. 1 De ref.* adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. C. Concilii in pluribus resolutionibus et praesertim in Bosnien. et Sirnien. *20 Dec. 1873.*

X. Quum procedi operteat criminaliter, sive ob infractionem praecepti, aut ob crimina communia vel legum Ecclesiae violationem, processus confici potest formis summariis, et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.

XI. Processus instruitur *ex officio* aut in sequelam supplicis libelli, aut notitiae alio modo a Curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, tum culpae, aut innocentiae accusati erumpat.

XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo Ecclesiastico adstante Actuario.

XIII. Unicuique Curiae opus est Procuratore fiscali, pro iustitiae et legis tutela.

XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit Apparitorum Curiae opera, supplebitur exhibitione eorumdem expleta per qualificatam personam, quae de facto certioret, sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illius in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus. Quoad titulum transgressionis *praecepti* constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis perfectorum modis enuntiatis *Art. VII et VIII.*

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII. Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim.

XVIII. Testes ad probationem aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

XIX. Testium absentium aut in aliena Dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab Ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo apposita facti adiuncta. Auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis Instruct. normas.

XX. Quoties ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, maxime opportunum esset testes interrogare qui examini subiici nequeant, eo quod censeatur haud expedire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de auditu, aut alia ratione noverint id quod exquiritur.

XXI. Cum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati culpam constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII. In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collectae ut parari valeat ad respondendum.

XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur,

eumdem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quae ipsum respicit uti accusatum.

XXIV. Si iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax, et pro tali in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem.

XXV. Si compareat, auditur in examine, et quatenus responsiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest, iudiciali examini subiici.

XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et determinationem rationum quibus, persuadetur accusatum reapse criminis fuisse auctorem lapsumque in relativis poenis canonicis.

XXVII. Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem actorum, quae in processu adversus se habita sunt, accusationi omni ex parti respondere valet, et iure pollet defendendi semetipsum, aut per se ipsum aut per Advocatum.

XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem terminis ad exhibendam defensionem, scripto exaratàm; praecipue quando ob depositionem *Art. XXIII*, nequiverit se parare ad respondendum, in continenti, impactae accusationi.

XXIX. Expleto processu actorum, Instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem.

XXX. In die, qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se praesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore antea approbatis ab Ordinario.

XXXI. Quatenus praeventus constituere defensionem renuat, Ordinarius legitimae defensioni prospicit, constituendo advocatum *ex officio*.

XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti apud Curiae Cancellariam ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subiicitur oneri secreti iurati servandi, quoties Ordinario videatur indolem causae id expostulare.

XXXIII. Transmittitur dein Procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo ex officio functo, uterque Ordinario tradatur, qui plena causae cognitione adepta, diem constituit in qua disceptanda et resolvenda sit, iubens ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV. Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus Procuratore fiscali, Defensore et Cancellario.

XXXV. Post votum Procuratoris fiscalis et deductiones defensionis profertur sententia dictando dispositivam Cancellario cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis, accusato applicatae.

XXXVI. Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam competentem.

XXXVII. Pro appellatione servantur normae statutae a Const. « *Ad militantis* » s. m. Bened. XIV, 30 Martii 1742, aliaeque emanatae ab hac Congr. Decreto 18 Decemb. 1835, et littera circulari d. 1 Aug. 1851.

XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiae, quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu versatur.

XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnia acta causae originalia, id est processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL. Auctoritas ecclesiastica superior, capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti ut infra terminum viginti dierum Defensorem constituat, qui approbari debeat ab eadem superiori auctoritate.

XLI. Elapso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuncium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta declaratur a Superiore Auctoritate.

XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicuius Curiae Episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus, pro cognitione et decisione causae sequitur normam procedendi in hac Instr. traditam.

XLIII. Si contingat quod Clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, hoc in casu, summariam sumit criminosi facti cognitionem atque perpendit an ipsum, ad tradita per ss. Canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut alii ecclesiasticae sanctioni.

§ 1. Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius limitet se ad media provisoria.

§ 2. Expleto tamen iudicio et libero reddito accusato, Curia iuxta exitum informationum, ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis Instr.

XLIV. In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus, quae contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congregationem ad vitandas contentiones et nullitates.

ALLEGATUM II.

Documenta pro causis matrimonialibus

CONSTITUTIO

IN QUA PRAESCRIBITUR ORDO ET FORMA IN IUDICIIS CAUSARUM MATRIMONIALIUM SERVANDUS

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda Divinae Legis servetur auctoritas.

§ I. Siquidem Matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, et indissolubile esse convenit; et quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis Iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potesta-

tem Coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos Iudices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis Parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, et Matrem, et adhaerebit Uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ II. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, Uxorem ob nimiam Iudicum praecipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis Uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter foeminarum, quae post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§ III. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum Iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram Iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Iudex, ad cuius Tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant; partim etiam ex facto Coniugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Coniugibus in Iudicium venientibus, alter, qui pro

Matrimonio, alter vero, qui contra agit, sententia de nullitate Matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem Iudicem appellationem interponat: vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum Matrimonium dissolvi cupiunt: vel quia Pars, quae pro validitate Matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a Iudice sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus, ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo Coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

§ IV. Quod autem ad Iudices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia, et necessario probitatis, spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus; quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum Iudicio, et Episcoporum tantum examini, et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem Dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus, ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio, et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem, et modum a Nobis in praefatis encyclicis litteris praescriptum pro Iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§ V. Quod vero ad ordinem, et seriem iudiciorum in causis matri-

monialibus pro debita, et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac iubemus, ut ab omnibus, et singulis Locorum Ordinariis in suis respective Dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ VI. Ad Officium autem Defensoris Matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit, in iudicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ VII. Et demum Defensoris huiusmodi persona, tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem, et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio sive unus ex Coniugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius Matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata, et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§ VIII. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex Coniugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a Iudice pro Matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a Iudice secundae instantiae pro vali-

ditate Matrimonii fuerit iudicatum, postquam Iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem contra Matrimonii validitatem sententia feratur, Defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit qui pro Matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Iudicem provocabit.

§ IX. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem Defensoris, et Partium interposita, si ambo, vel unus ex Coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes Matrimonium huiusmodi poenis contra Poligamos a Sacris Canonibus, et Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

§ X. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum Iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, et singula quaecumque coram Iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet Iudicii actu Defensore Matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur; et si Iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Iudex in secunda instantia erit Iudex Commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal, et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat Defensore matrimonii, volumus, ut illo Defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius Dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ XI. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea Pars, vel Defensor pro

sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio Coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, Coniugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper, et firmo remanente iure, seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique Coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a nobis in prima, et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato, et audito Defensore Matrimonii, qui a Iudice tertiae Instantiae deputatus fuerit.

§ XII. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Causae Iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur, sin minus a Iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecuniam ex mulctis suorum tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero Iudices causae erunt Iudices Commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius Dioecesis Iudex Commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

§ XIII. Hactenus quidem quoad causas Matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque Suburbiis, et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et

singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur, citato et audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super Matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Defensor Matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano praefati Tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a Persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

§ XIV. Unica quidem resolutio pro nullitate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam Coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad Defensoris Matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem Defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententias penitus similes, et conformes, a quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverit; quod si secus factum fuerit, et novum initum Matrimonium, Nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis ut supra statutis submittantur.

§ XV. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium

Concilii Interpretum vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius causae examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§ XVI. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari. Sicque, et non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata

eisdem praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentes litterae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est publicentur et affigantur sicque publicatae, et affixae omnes, et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§ XVII. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem tertio nonas Novembris anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo Pontificatus Nostri anno secundo.

Allegatum III.

Instructio edita a sacra congregatione concilii die 22 augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus.

Cum moneat Glossa *in cap. fin. de frig. et malef.)* in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (*de matrim. lib. 7, disp. 107)* et Card. Argenvilliers (*in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5, vol. ult. n. 16*) plura hinc a Sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, S. M. Bened. XIV (*In Constit.* « *Dei miseratione* ») processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte, et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta SS. Canones, citatam S. M. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a Sacro Conc. Trid. (*sess. 24, cap. 20, De ref.* § *ad haec*), ac etiam a S. M. Bened. XIV (*in cit. Constit.* « *Dei Mi-*

ratione » § *4*) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere Nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate Matrimonii, Episcopus Iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel iudex delegatus citari mandabit Defensorem Matrimonii, quatenus in curia Episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constitut. S. M. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris Matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor Matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda illo postulante ex ludicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux istans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio Iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus coeteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram Iudice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

Interim, dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas

scribet responsiones a Iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Iudice vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore Matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine Cancellarius leget clara, et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cru†cis; dein Iudex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis prout Defensor Matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. (*in Cap. Litterae Vestrae: de frig. et malef.*). Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor Matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine, vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante Defensore Matrimonii citandus erit alter

coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi designatis diebus horis, delato prius iuramento singulis. Defensor Matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam Defensoris Matrimonii erunt ab Episcopo illius Dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata S. M. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim quando initum fuerit Matrimonium; utrum inter Coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint: quamdiu in eadem domo, vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim Defensore Matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam defensori Matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium, et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua conreferendo.

Exhibitis notulis a partibus Iudex eliget quinque peritos, tres scilicet Medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, depu-

tabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad exploranda ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accendendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent Iudex, Defensor Matrimonii, Cancellarius, ac Periti. Singuli ex peritis, ac seorsim corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione, et relatione haec praecipue investiganda, et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliqua vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua, insanabilis, ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor Matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen Peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum Peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex Peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, Iudex, Defensor, validitatis Matrimonii, et Cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supradictum est de peritis, tres saltem Obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico, et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae Matronae pariter a Iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus Obstetricibus et Matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a Peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore

transacto, adstantibus semper et praesentibus Matrona, ed Obstetricibus, statim ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente Matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, Defensor Matrimonii et Cancellarius cum Peritis, ut supra ad domum Matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae Obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati, aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis Matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi Periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab Obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur, nemini nec ipsis quidem coniugibus eorumque Defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori Matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et nunquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitut. saepius citatam « *Dei miseratione* ».

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si hac Matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor Matrimonii

appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt Coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione « *Dei miseratione* ». Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede Cancellario.

ALLEGATUM IV.

INSTRUCTIO DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS CIRCA CAUSAS MATRIMONIALES (1)

PARS PRIMA.

De processu matrimoniali.

§ 1. Causae matrimoniales ad iudicem ecclesiasticum spectant, cui soli competit de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivantibus sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis iudicat.

§ 2. Coniuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a thoro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit. Priori casu quaelibet pars ius accusandi contra alteram ipsi competens coram Episcopo dioecesis, ubi haecce domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis minime operatur.

§ 3. Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuri-

(1) Haec Instructio data est a. 1883 a S. Congr. de Prop. Fide ad Foederatorum Statuum Americae Ordinarios; eademque pene ad verbum (*uti videre est in Collect. de Prop. Fide edita Romae a. 1893, pag. 591*) transcripta est ab Instr. data a S. Officio ad Ordinarios rituum orientalium *die 20 Iunii 1883*. - Additae sunt in principio duae paragraphi desumptae ab Instructione Austriaca ; factae vero sunt perpaucae mutationes respicientes diversas conditiones disciplinae et hierarchiae eccles. in Americae civitatibus.

dica accusatio praecesserit; quae numquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis, qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo, ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis praeseferens de alicuius impedimenti existentia divulgata sit.

§ 4. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto: si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

§ 5. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

§ 6. Accusatione sic recepta, munus moderatoris actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum Vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui cancellarii officio fungens quidquid ad causam pertinet in acta referat, ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.

§ 7. Praterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum iuris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii defensor existat. Eum vero suspendere vel removere, si iusta causa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

§ 8. Praedictae deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent.

§ 9. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare ut in iudicium compareant; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis qui ius habent petantur; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.

§ 10. Defensor matrimonii antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore iuramentum praestabit tactis Sanctis Evangeliis de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre iudicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citan-

dus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta recipienda, atque novo termino, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

§ 11. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu eadem ipsi tradantur, ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendae matrimonii validitati necessarias iudicaverit; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex iam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subiiciendas proponet.

§ 12. Constituto tribunali haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia iuramentum exiget de veritate dicenda, et si ita res postulet, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de iuramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari. Iuramentum praestandum erit tactis Sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.

§ 13. Qui examini subiiciendi sunt, seorsum semper audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cuiuslibet examinis, nec non singulorum nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum, et patriam, et etiam quod iuramentum revera praestiterint.

§ 14. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subiicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illiteratus, faciet hoc signum Crucis; ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

§ 15. Si aliquando contigat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quarum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quae concinnatis opportunis interrogationibus, de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur; ut ille sive per se, sive per suum vicarium generalem, sive per alium virum probum et expertum e clero eligendum, eos examini subiiciat iuxta datas interrogationes, requisito prius iuramento de veritate dicenda, et caeteris servatis, quae supra praescripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subiiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

§ 16. Quoad singulos in iudicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis, literae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erunt referendae.

§ 17. Inter examinandos primo loco venit ille, qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et indicia exponat quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit; et denique nominet testes, quos de re istructos sciverit, vel saltem reputaverit.

§ 18. Secundo loco veniunt coniuges ipsi, qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua iura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut reiicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subiecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Iuxta casuum diversitatem a coniugibus inquirendum erit, ut si qua documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad coniugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cuiuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda; et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

§ 19. Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem obiiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

§ 20. Post coniuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere videatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur; qui illas concinnare, augere aut imminuere poterunt, dummodo tamen

semper ea omnia inquirantur quae ad rectum proferendum iudicium aut necessaria aut opportuna censeantur.

§ 21. Quae in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus, erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

§ 22. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

§ 23. Publicato processu, locus fiet defensionibus, quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores, quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure, ut lata sententia, iniustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem, si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat.

§ 24. Omnibus ut supra peractis, ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu eius delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et nonnisi audito eorum voto sententia proferatur.

Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione iudicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem, relicto iisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda.

§ 25. Iudex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex coniugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et causa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis coniuges iudicio Praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali postulare; quam appellationem primus iudex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire.

Quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen ut quantocius id fiat. Quod si defensor

ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de iure appellatio esset facienda.

§ 26. Ordo appellationis erit prout sequitur. Si prima sententia a curia Episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam Metropolitanam; si vero a curia Metropolitana ea prodierit, appellabitur ad curiam Metropolitanam viciniorem. Ad S. Sedem appellatio erit semper facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit causam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.

§ 27. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius, qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro processu, caeterisque omnibus ad causam iterum iudicandam pertinentibus, ad tribunal ad quod appellatum est.

§ 28. Haec autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, coniuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novae informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validae desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu iam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus, quas necessarias iudicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adiungenda, vel novi aliquid investigandum censuerit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit, proprias animadversiones illis apponere valeat.

§ 29. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, iudex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus se nil amplius habere dixerit, auditis prius modo, quo supra declaratum est, aliquibus viris in scientia iuris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

§ 30. Quando utraque sententia conformis pro validitate coniugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino

patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei salva conscientia acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste iniusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remaneat utrique coniugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

PARS ALTERA.

De regulis servandis in tractandis causis matrimonialibus in specie.

Praeter hactenus recensitas regulas in omnibus causis matrimonialibus generatim servandas ut iuridica illis stet validitas, quaedam etiam speciales prae oculis habendae sunt iuxta peculiarem impedimentorum naturam et indolem, quae iudicio occasionem praebuerunt. Quare de his singulis, saltem quae frequentius occurrere solent, aliqua speciatim animadvertenda sunt.

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS COGNATIONIS CARNALIS, VEL SPIRITUALIS, ET AFFINITATIS.

§ 31. Si matrimonium impugnetur ob assertum impedimentum cognationis carnalis aut spiritualis, vel affinitatis, facile erit eiusdem existentiam detegere ope authenticorum documentorum. Etenim cognatio carnalis, et etiam affinitas, quae ex praecedenti matrimonio processerit,

dignoscuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficienda ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptizatorum, in quibus notata esse debent nomina non modo coniugum, et eorum qui baptizati sunt, sed horum etiam parentum. Similiter ex libris baptizatorum et confirmatorum aperte eruitur cognatio spiritualis, quia in illis una cum eorum, qui baptizati vel confirmati fuerunt, nomina quoque recensita esse debent sive patrinorum sive matrinarum. Talia documenta in forma authentica ex dictis libris erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum testimonio de eorum identitate cum respectivis particulis in libris extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, opus erit ut eiusdem parochi obsignatio a curia Episcopali authentica declaretur.

§ 32. Quod si aliquod oriatur dubium circa documenta praedicta vel circa eorum veritatem, in iudicium vocandi erunt et iuridice examinandi consanguinei, affines, propinqui, quibus origo eorum, de quibus agitur, nota sit aut nota esse possit, ut ex horum depositionibus gradus consanguinitatis vel affinitatis clarius valeat determinari. Non levi fundamento huic rei esse potest etiam publica fama, de qua ratio erit habenda; eius tamen sedulo consideranda erit origo et rationes, quibus innititur. Caeterum iudex semper prae oculis habeat, his quaestionibus dirimendis praecipuum fundamentum praebere documenta authentica, et nunquam licere contra eadem iudicare, nisi ex certis et evidentibus argumentis constiterit ipsa vitiosa aut falsa esse. Ac proinde locorum Ordinarii sedulo curabunt ut libri baptizatorum, confirmatorum, et matrimonio copulatorum, nec non defunctorum a parochis diligentissime exarentur et accurate custodiantur.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS.

§ 33. Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus.

In priori casu ad impedimentum adstruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum, vel regesta existentia penes

ministros haereticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis manantia, vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus, qui de existentia vel de non existentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit ut in iudicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum qui contraxerunt, nec non omnes quos sciverit de re instructos, ut omnia possint cognosci quae ad factum rite iudicandum conducere poterunt.

§ 34. Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad iudicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint, et utrum valida in sensu canonico haberi possint. Primum deducendum erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones minime patiantur; ex documentis si habeantur; ex testium fidem merentium depositionibus; nec non ex indiciis, quae iudex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis, quae facta exposita aut praecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sponsalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda. Ante omnia iudex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, nec ne, servatae; si primum, praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam nunquam erit iudicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint emissae, et utrum pro personarum, locorum, et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrimque voluntas sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex iure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia quaerendum est, quibus verbis, vel factis sibi futurum matrimonium promiserint; utrum promissio ab utraque parte processerit; et si ab una tantum, utrum alia eam acceptaverit sive verbis, sive factis, sive signis aequivalentibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese matrimonio contrahendo obligatos, an liberos. Erit quoque inquirendum de sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit ut praesumi non possit veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse.

§ 35. Quatenus casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infantibus, vel a maiori cum infante contracta, ipso iure nulla sunt, et impedimentum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod facile fiet petitis documentis ex libris baptizatorum atque ex testimonio parentum, sive aliorum, qui personas, de quibus agitur, cognoscunt. Si constiterit in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit utrum post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata.

ARTICULUS III.

DE IMPEDIMENTO VIS ET METUS.

§ 36. Circa impedimentum, quodvis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur, reiici vero eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si liber iam a metu sua sponte in coniugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat. Unde in primis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, uti, dicitur utili facta sit; et si hoc iam fluxerit, quaerendum erit quanam de causa hoc acciderit, ut iudicari possit utrum accusatio admittenda an reiicienda sit. Secundo prae oculis habendum erit, solummodo metum gravem, qui nempe in virum constantem cadat, matrimonium dirimere, et consequenter ad hunc metum exquirendum omnes sive moderatoris actorum, sive defensoris matrimonii investigationes esse dirigendas. Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

§ 37. Circa primum sedulo inquirendum, utrum qui de adhibita coactione accusantur, ita consueverint agere cum persona, quae coacta dicitur, ut gravem atque molestam eidem redderent domesticam et familiarem cohabitationem; quaenam fuerint in specie molestiae eidem illatae;

utrum verba gravi indignatione plena adhibita, intentata haereditatis privatio, eiectio e paterna domo, an addita etiam verbera.

Circa secundum considerandum est, utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumve passi sunt, nullatenus iisdem subiecti fuerint; quae ratio vis inferendae, magna ne ex matrimonio propriae domui utilitas, aut decus obventurum; quae indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent proclives, ut facile quod minabantur perficerent, et animo ita essent duro atque obstinato, ut a nemine sibi contradici aut consiliis suis impedimenta obiici paterentur.

Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae, quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri; deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans; qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur ut et propria sensa exponere, et iuxta propriam voluntatem operari potuerit; an parentes ita eam segregarint, ut omnis consilii expetendi facultas eidem adempta fuerit, nec cuiquam eiusdem alloquendae copiam tribuerint, nisi quos de matrimonio ineundo consilia praebere posse iudicaverint.

§ 38. Praeter ista inquirendum erit, utrum qui de illata vi conqueritur, aliquando relationem habuerit cum eo, cum quo postea contraxit; et utrum aliquando propositum habuerit cum eodem contrahendi. In casu affirmativo inquirendum, quas ob causas voluntatis mutatio contigerit; a quo tempore consilium fuerit mutatum, utrum nempe antequam parentes propriam voluntatem ostenderent, an postea; et utrum ex praecedenti relatione aliqua exorta sit suspicio contra decorem vel ipsius personae vel familiae, a qua parentes moveri potuerint ad matrimonium exigendum tamquam remedium bonae famae recuperandae. Etiam investigandum, quid haec persona fecerit ut a coactione parentum sese liberaret: utrum preces adhibuerit; utrum usa fuerit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos, utrum et quomodo propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit, utrum et quomodo altera pars operam dederit ut matrimonium revera concluderetur. Considerandum erit, utrum, quando contractus matrimonialis erat signandus, libenter et sine ulla protestatione id praestiterit, utrum aliqua fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam; quomodo sese gesserit, sive quando necessaria

pro matrimonio parabantur, sive quando ad consensum promendum adducta fuit, sive quando post datum consensum festum nuptiale celebrabatur utrum nempe his omnibus hilaris, prompte, et laeta adstiterit, an secus. Consideranda quoque eius agendi ratio erga alteram partem, et erga eiusdem familiam; utrum nempe benevola et affectuosa, utrum libenter et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit, an eisdem obstiterit, ea praesertim de causa, quia matrimonium nullum putaverit, atque ut melius tueri posset propriam libertatem. Ad hoc postremum factum probandum considerari debet, utrum hac de causa inter coniuges ipsos ortae sint lites et contentiones, utrum hoc factum manifestaverint, et quibus, a quo tempore post matrimonium istae querimoniae inceperint, et ex qua causa vel ratione, utrum ad tales lites et dissensiones tollendas adhibita fuerint consilia, hortationes, et in casu affirmativo, a quibus et quo exitu.

§ 39. Ad praedicta cognoscenda in iudicium vocandi erunt ambo coniuges, eorumque parentes, illi praesertim qui de coactione adhibita accusantur, et opportune interrogandi de facto ipso, de modo, de animo, et de fine, ob quem ad vim adhibendam ducti fuerint. Item vocandi propinqui et familiares violentiam accusantis, et interrogandi de omnibus quae vel ad parentes, vel ad filios referuntur; utrum quidquam eorum, quae in actis habentur, viderint aut audiverint, quidve norint accidisse ad rem pertinens, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive post coniugum separationem, si haec locum habuerit. In hisce examinandis iudex diligenter invigilet, utrum aliqua collusionis suspicandae causa subsit, et curet, ut quoad singulas personas parochorum testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credibilitate. Post istos vocandi parochus vel alius sacerdos, qui matrimonio adstitit; illi qui eiusdem celebrationi et festo nuptiali interfuerunt, ut referant praesertim de modo, quo persona contra matrimonium reclamans in illis circumstantiis se gesserit; aliae personae inductae, illae speciatim quae adhibitae fuerunt vel ut consiliis et hortationibus reclamantem ad matrimonium inducerent, vel ut excitarent ad officia matrimonialia praestanda, ab iisque quaerendum, quid egerint, quibus argumentis usae, quidve consecutae fuerint.

§ 40. Caeterum in hac re iudex sciat matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint. Ideo curandum

quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium numquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat.

ARTICULUS IV.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

§ 41. Vinculum praecedentis matrimonii, quod ad posterius connubium impugnandum adducitur, repetendum asseritur vel ex matrimonio, catholico modo a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut iuxta diversarum sectarum instituta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; vel ex contractu inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus fuerit declaratus. Diversorum istorum casuum possibilitas, aut etiam frequentia manifesta est, cum in regionibus Americae catholici commixti vivere cogantur cum haereticis, et infidelibus. Quaedam pro singulis casibus adnotanda sunt, quia diversis legibus reguntur.

§ 42. Ad primum casum quod attinet, doctrina catholica est matrimonium baptizatorum rite celebratum et consummatum aliter solvi non posse, nisi per mortem unius coniugis; et ideo locum non esse eiusdem dissolutioni declarandae in iudicio, nisi de morte alterutrius coniugis constiterit. Ut autem de hac constare dicatur non sufficit rumor aut fama quaecumque, neque solae praesumptiones, sed requiritur certus de ea nuntius, aut saltem concursus talium rationum, quae certo nuntio aequipollentes omne de illa dubium excludant. Ideo in hoc casu iudex ante omnia exigere debebit, ut prioris matrimonii documentum authenticum proferatur, atque, si opus fuerit, alias probationes colliget, quae praedicti prioris matrimonii existentiam demonstrent; similiter exquiret documenta vel probationes de secundo matrimonio contracto; quae omnia documenta facile haberi poterunt ex libris matrimoniorum in parochiis asservatis. Post haec exigenda erunt a competentibus parochis authentica documenta de praetensa morte alterius coniugis, et in defectu poterunt eadem requiri ab auctoritate civili, si suo libros habuerit, in quibus adnotentur. Quae comparari debebunt cum documento secundum matrimonium comprobante, ut cognoscatur, utrum secundum hoc matrimonium contractum fuerit ante, vel post prioris coniugis mortem; atque ita iudicetur utrum secundum matrimonium validum, an nullum fuerit.

§ 43. Quando ad mortem prioris coniugis probandam praesto non

sunt neque esse possunt haec authentica documenta, aliis argumentis et aliis probationibus opus est, quae a iudice sedulo erunt colligendae. In primis argumentum desumi potest ex depositione testium fidem merentium, si ipsi de visu mortem illius, de quo agitur, revera accidisse affirmaverint, aut idem asseruerint ex auditu, dummodo non ex vaga aliqua relatione, sed a personis minime suspectis proprias informationes se hausisse testentur. Isti testes erunt interrogandi, utrum bene cognoverint quem mortuum asserunt; quo tempore, quo loco mors acciderit, qua de causa, ubi cadaver sepultum, utrum adsint et ubi commorentur alii, qui de hoc facto instructi sint aut esse possint. Ab illis vero, qui ex aliorum relatione deponunt, erit quoque inquirendum, a quibus tales hauserint notitias, a quo tempore fama de morte vulgari coeperit, et quid ipsi sentiant de probitate et credibilitate eorum, qui primitus de re ista sunt loquuti, utrum isti peculiarem aliquam rationem habuerint aut habere potuerint ut talem notitiam evulgarent. His cognitis, in iudicium vocandi erunt testes inducti, et eodem modo examini subiiciendi, ut tandem aliquando vel ad testes de visu, vel ad certa documenta obtinenda perveniatur. Animadvertat iudex, ne admittat eos, qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur; et si requisiti fuerint, quaerat ab eis, a quibusnam, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerint requisiti; utrum pro hoc testimonio ferendo fuerit ipsis aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a personis interesse habentibus, vel ab aliis eorum nomine. Similiter advertat, non esse admittendos testes, qui personas, de quibus agitur, plene non cognoscant; et consequenter extraneos non esse testes idoneos, nisi a longo tempore in loco fuerint, aut ex peculiaribus circumstantiis appareat eos cognitionem habere potuisse de iis, quae enarrant. Quod si testes sive de visu, sive de auditu haberi non poterunt, considerandae erunt circumstantiae omnes in facto concurrentes, et diligenter ponderandae, ut videatur, utrum ex illarum complexu exurgere possit moralis illa certitudo, quae necessaria est ut iudicium proferatur. Porro circumstantiae istae praecipuae sunt: aetas personae, quae mortua dicitur, utrum senior, an iunior fuerit; tempus eiusdem discessus a patria et familia, utrum longius an brevius, locus vel loca, ad quae se contulerit, utrum valetudini corporali noxia, an et quibus vicissitudinibus subiecta fuerit, ex. gr. num ibidem bella, vel pestilentiae saevierint; eiusdem personae physica constitutio, utrum sana et robusta, an debilis et infirma. Erit similiter perpendenda causa quare e propria discesserit domo, utrum nempe ad negotium vel ad artem aliquam exercendam, an

potius ut coniugem derelinqueret. Haec cognosci vel deduci poterunt ex benevolis, aut contrariis relationibus, quas vel coniuges habuerunt inter se, durante eorum contubernio, vel ille qui discessit continuavit cum altero coniuge sive per litteras, sive per nuncios; si enim constiterit, ad tempus talem epistolarum sive relationum consuetudinem adfuisse, et postea cessasse, quin cessationis causa aut ratio appareat, gravis de morte obita praesumptio habebitur; si e contra constiterit eum, qui discessit, numquam epistolarum commercium habuisse cum sua familia, aut cum propinquis et amicis, indicium mere negativum nullam probationem facere poterit. Ponderandum quoque erit genus vitae, quod discedens in aliena regione amplexus fuerit; si vitam et artem militarem exercendam elegerit, vel arti nauticae aut servitio alicuis navis sese addixerit, et cognoscatur in quo exercitu militaverit, aut in qua navi servierit, inquisitiones erunt faciendae penes duces exercitus illius, et penes gubernatores vel officiales navis. Si cognita fuerint loca, in quibus commoratus est, in singulis locis, et praesertim in illo in quo commorabatur, quando eius indicia perdita fuerunt, investigationes erunt faciendae. Ad has tribunal adhibebit idoneas personas, si praesto sint, vel etiam civiles auctoritates, ab iisdem postulando ut, quibus pollent modis, de illo opportunas investigationes faciant, atque etiam in subsidium vocentur publica diaria cum indicatione nominis, cognominis, patriae, professionis, et conditionis illius, de quo quaeritur. Item si fieri possit, tribunal curabit, ut in locis in quibus idem commoratus fuerit publica edicta affigantur, et singuli excitentur, ut notitias, si quas habent, velint suppeditare. Si omnibus istis adiumentis adhibitis nihil omnino poterit reperiri, et si omnes circumstantiae ad mortem prioris coniugis ante secundas nuptias, de quarum valore agitur, adstruendam conspiraverint, iudex sententiam proferre contra secundum matrimonium non poterit; non enim constaret de eius nullitate. Quod si de matrimonio contrahendo agatur, hoc permitti numquam poterit, donec de morte prioris coniugis certo constiterit.

§ 44. At si non ex isto capite, sed potius quia primum matrimonium in haeresi contractum, rescissum fuerit ob aliam causam, specialia quaedam erunt observanda. Et primo advertendum est, Evangelicam et Apostolicam doctrinam esse, matrimonium valide celebratum solvi non posse propter adulterium, vel propter molestam cohabitationem, aut longam et affectatam coniugis unius absentiam, aut propter aliud quodcumque motivum ab haereticis confictum. Quare si constiterit, a tribunalibus haereticorum ob aliquam ex istis rationibus praecedens matrimonium dis-

solutum fuisse, causa in favorem secundi matrimonii a tribunali catholico ne admittenda quidem seu introducenda erit. Si vero eiusdem dissolutio fuerit decreta ob alium titulum a iure canonico recognitum, sciendum est, acta a tribunali haeretico confecta valore iuridico carere, et ex ipsis solummodo iudicium proferre catholico iudici minime licere. Quare tunc causa ex integro erit instituenda, et iuxta ss. canones pertractanda. Vetitum tamen non est, imo aliquando expediet, ut acta tribunalis haeretici requirantur, quo plenior factorum et circumstantiarum cognitio attingatur. Imo si huiusmodi documenta a partibus fuerint exhibita, dummodo nihil aliud obstet, poterunt adhiberi, atque ex illis indicia colligi. Partes tamen erunt semper audiendae, nec non, quatenus fieri poterit, etiam testes singuli iterum in iudicium vocandi, et interrogandi ad normam harum regularum. Neque omittenda aliarum personarum iuridica depositio si adesse cognoscantur; sicut neque alia acta, quae vel moderator vel defensor matrimonii necessaria reputaverint. Si perpensis omnibus iudex censuerit, sententiam edicendam esse conformem sententiae a tribunali haeretico prolatae, numquam tamen istam sententiam tamquam sui iudicii motivum invocare debebit; neque ullo modo post eam existimandum erit, duas adesse sententias conformes, a quibus necesse non sit appellare.

§ 45. Quoad matrimonia in infidelitate contracta, si haec dissoluta dicantur per sententiam editam vel ab auctoritate civili, vel a quovis tribunali haeretico, eadem erunt servanda quae dicta sunt de matrimoniis baptizatorum resolutis per sententiam tribunalis saecularis, nempe causam admittendam non esse, si rescissio proclamata fuerit ex titulo ab Ecclesia non agnito, vel servatis servandis esse ex integro instituendam, si contrarium contigerit. Si vero coniugum separatio acciderit absque ullo iudicio, observandum utrum pars quae coram tribunali catholico agere intendit, secundum matrimonium contraxerit post baptismi susceptionem, an ante. Si matrimonium acciderit cum parte catholica post baptismi susceptionem, erit inquirendum, utrum praecesserit coniugis adhuc infidelis canonica interpellatio, aut saltem a legitima potestate fuerit super eadem interpellatione dispensatum. Quatenus constiterit de facta interpellatione aut de illius dispensatione, primum matrimonium nequit amplius constituere vinculum secundum connubium irritans; quatenus vero neque interpellatio, neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed Ordinarius iudicium suspendere debebit, et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario quid faciendum sit, indicabit. Ad probandum vero, utrum interpellatio vel

eius dispensatio intercesserit, consulendi erunt libri matrimoniorum, vel etiam regesta curiae, in quibus haec accurate erunt semper recensenda. Quod si secundum matrimonium contractum fuerit etiam in infidelitate, praesumendum quidem erit quod antequam persona, de qua agitur, ad baptismum admitteretur, servata fuerint omnia, quae ss. Canones pro his casibus statuunt; sed si institutis opportunis investigationibus, adhuc dubium subit, ad S. Sedem erit recurrendum.

ARTICULUS V.

DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIAE.

§ 46. Ad impugnandum ex capite impotentiae matrimonium solummodo coniuges admittuntur, quia ipsis solummodo hoc factum cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solliciti esse debent. Ut autem impotentia matrimonium contractum irritet, necesse est ut sit antecedens atque perpetua, quae scilicet naturalibus atque licitis remediis tolli non possit. Ista impotentia si fuerit absoluta, seu talis ut omnino impossibilem reddat coniugalem copulam, matrimonium dirimit semper, et cum qualibet persona contractum; si vero relativa tantum, matrimonium dirimit solummodo cum illa, ad quam impotentia ipsa refertur. Ita igitur in causis huius generis investigationes erunt dirigendae, ut tandem deveniatur ad adstruendam vel excludendam assertam impotentiam antecedentem et perpetuam, sive absolutam, sive saltem relativam.

Hunc in finem prae oculis habenda erit instructio supremae Congregationis S. Officii.

§ 47. Quod si casus occurrat, cui in instructione hac provisum non sit, ad iuris communis normam pertractetur, ac decidatur oportet.

ALLEGATUM V.

Documenta pro processu status liberi ad matrimonium ineundum

INSTRUCTIO S. U. INQUISITIONIS, IUSSU CLEMENTIS X ORDINARIIS LOCORUM ALIISQUE PRAESCRIPTA, QUA UTANTUR AD LEGITIME COGNOSCENDUM ADMITTENDUMQUE STATUM LIBERUM EORUM, QUI MATRIMONIUM CONTRAHERE VELINT.

« Decretum emanatum in congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente divina providentia Papa X ac Eminentissimis et Reverendissimis Dominis S. R. Ecclesiae Cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Feria V die XXI Augusti
MDCLXX.

« Cum alias per Sacram Congregationem S. Officii iteratis instructionibus ab eadem emanatis de anno MDCLVIII et MDCLXV locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui, adhuc vivente altero coniuge, aut alias impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus SSmus Dominus Noster quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios et deputatos ad excipiendas testium depositiones, nec non Parochos et Notarios, in casibus expressis aut omittere aut non observare earumdem instructionum tenorem, et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus.

« § 1. Ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Emis et Rmis DD. Cardinalibus generalibus inquisitoribus, praesenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo iterum iniungit omnibus Vicariis seu deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, nec non Parochis, Notariis, et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio Sacrae Congregationis ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

« § 2. Ut autem praesens Decretum et instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit illa ad valvas Basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe ac Palatio S. Officii eiusdem Urbis per aliquem ex Cursoribus Sanctitatis suae publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere ac arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificata et intimata fuisset.

INSTRUCTIO PRO EXAMINE ILLORUM TESTIUM, QUI INDUCUNTUR PRO CONTRAHENDIS MATRIMONIIS, TAM IN CURIA EMI ET RMI CARDINALIS URBIS VICARII, QUAM IN ALIIS CURIIS CETERORUM ORDINARIORUM.

« I. In primis testis moneatur de gravitate iuramenti in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana maiestas laeditur ob rei, de qua tractatur, importantiam et gravitatem, et quod imminet poena triremium et fustigationis deponenti falsum (1).

« II. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.

« III. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

« IV. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus: si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax; si vero dixerit, accessisse requisitum, interrogetur a quo vel a quibus, ubi quando, quomodo, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

(1) Non est opus animadvertere eiusmodi corporales poenas, iuxta eorum temporum indolem latas, non amplius in usu esse.

« V. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

« VI. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis vel conditionis existant.

« Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative.

« VII. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate vel dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

« Si vero responderit contrahere volentes esse cives.

« VIII. Interrogetur sub qua paroecia hactenus contrahere volentes habitarunt vel habitent de praesenti.

« Item an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

« Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum neque aliud impedimentum ut supra.

« IX. Interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, vel aliud impedimentum, etc. et quod ipse testis nesciat.

« Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum, etc.

« Si vero responderit negative.

« X. Interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde iudex colligere poterit an testi sit danda fides.

« Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos.

« XI. Interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti praedecesserunt vel a rectore ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

« XII. Interrogetur an, post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

« Si responderit negative,

« XIII. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

« Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia donec produ cantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

« Si vero negative,

« XIV. Interrogetur de causa scientiae, qua perpensa, iudex poterit iudicare, an sit concedenda licentia nec ne.

« Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. *Multi*, *Sess. XXIV.*

« Fides aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum et sigillum, et attente consideretur quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas, de quibus agitur.

« Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri; nec admittantur vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio; et Notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula, mihi bene cognitus, sin minus examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita Notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. Et huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Emo Vicario; si extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea

ab Episcopo specialiter deputanda: alias puniatur Notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

« Ordinarii praecipiant omnibus et singulis Parochis in eorum dioecesi existentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo vel eius Generali Vicario, prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, etc.

« Contravenientes autem severe punientur ».

Circa probationem obitus coniugis.

INSTRUCTIO S. OFF. A. 1868.

« Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et coniungi posse; alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias, licitas esse, dogmatica Ecclesiae catholicae doctrina est.

« Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc S. Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

« Inde constituta sacrorum canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti *cap. Dominus, De secundis nuptiis,* vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuntium, uti *cap. In praesentia, De sponsalibus et matrimoniis.* Inde etiam ea, quae explanatius traduntur in instructione *Cum alias 21 Augusti 1670,* a Clem. X sancita, et in bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis, in curia Emi Vicarii Urbis et caeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae proprius ad rem facientia ibi habentur, n. 12 et 13.

« Et haec quidem abunde sufficerent, si in eiusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius coniugis obitu haberi semper posset: sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata instructione his verbis: *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, S. C. non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes*), sequitur, quod stantibus licet principiis gene-

ralibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda; imo, pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

« Quapropter S. eadem C. huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere instructionem, in qua iis quae iam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. C. sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad S. Sedem possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

« 1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur), a sacris canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde s. m. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem, *die 11 Iulii 1789*, rescripsit, solam coniugis absentiam atque omnimodum eius silentium satis argumentum non esse ad mortem comprobandam, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit), nullum suimet indicium dederit. Quod enim non comparuerit, idem ait Pontifex, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.

« 2. Hinc, ad praescriptum eorumdem sacrorum canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis paroeciae, vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

« 3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut

socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

« 4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et, licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen, ne coniux, alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit S. C. in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile.

« 5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto, mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse; isti autem, vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc, dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentibus respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti iudicio.

« 6. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis, qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis, et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut, pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine, permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; hic tamen non abs re erit plures indicare fontes, ex quibus illae, sive urgentiores, sive etiam leviores, colligi et haberi possint.

« 7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur, ex. gr.:

« An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset.

« An discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset.

« An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit; aliaque eius generis indicia colligantur.

« Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt.

« Si ob militiam abierit, a Duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

« Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regione, ad quam se contulit, supervenerint, seditiones, bella, fames et pestilentiae, etc.

« Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis, quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

« 8. Fama quoque, aliis adiuta adminiculis, argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

« 9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

« 10. Haec omnia pro opportunitate casuum S. haec C. diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis, aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et iurisprudentum suffragiis, denique suum iudicium pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

« 11. Ex his omnibus ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam, quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur,

ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis ».

Quoad iuramentum suppletorium pro status libertate illorum, qui cum vere vagi non sint, nequeunt aliter probare libertatem propriam.

S. Officium ad instantiam Episcopi N. N. qui referebat magnas adesse difficultates in probando statu libero ad matrimonium quoad eos, qui nec vagi sunt nec milites, sed tamen, quippe habitualiter absentes a locis sui domicilii, non possunt obtinere appositam attestationem de statu libero quoad tempus absentiae, concessit facultatem, rescripto diei 30 Novembris 1898, istos *non vagos* admittendi ad *iuramentum suppletorium*, iuxta instructionem in *Adrien.* diei 1 Febr. 1865.

Instructio, quam latine reddo, ita se habet:

I. Utrum Episcopus obligetur ad probandam libertatem status sponsorum, qui matrimonium contrahunt in sua dioecesi, ante publicationes una cum processu testium, quamvis ipsi sponsi habuerint semper domicilium in eadem dioecesi?

Resp. Generatim loquendo affirmative.

II. Quaenam amplior significatio dari possit denominationi *vagorum*, et utrum liceat Episcopo admittere ad iuramentum, loco attestationum Curiae et processus super testibus quoad matrimonia ineunda in propria dioecesi, illos, qui cum vere vagi non sint, tamen diversis in locis commorati sunt, et declarant se testes suppeditare non posse Curiis pro attestationibus status liberi; et in genere utrum haberi possint veluti vagi, quatenus de iis obtineri non possunt expetitae attestationes de libertate, eosdem admittendo ad iuramentum relate ad ea loca, de quibus attestationes haberi non possunt?

Resp. Affirmative, durante indulto admittendi ad iuramentum *suppletorium*, et servatis omnibus clausulis in eodem indulto contentis, et dummodo mora in unoquoque loco vagationis non excesserit annum.

III. Utrum attestationes de statu libero, debeant fieri semper, nedum per examen testium, sed etiam per publicationes?

Resp. Regulariter loquendo affirmative, quando mora contrahentium non fuit continua per plures annos in loco, in quo contrahitur matrimonium.

IV. Utrum ea pars instructionis — *Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fidem Ordinariorum suorum esse liberos etc.* — remaneat absque vigore, ob facultates

quas S. Sedes concedit ut admittantur vagi et milites ad iuramentum suppletorium; et utrum quoad utrosque praeter iuramentum suppletorium exigantur quoque publicationes in locis, quibus vel vagi vel milites fuerunt?

Resp. Indultum admittendi ad iuramentum suppletorium locum dumtaxat habere, quando libertas status legitime probari non potest.

V. Utrum quum deficiunt testes aut non perfectam habent cognitionem de personis adeo ut non valeant respondere interrogationibus praescriptis a supracitato decreto, et speciatim iis, quae exprimuntur sub num. IX, XIII, uti ordinario contingit, valeat Episcopus permittere matrimonium contentus publicationibus in iis locis editis, in quibus hae fieri possunt; et his etiam deficientibus aut totalibus aut partialibus, utrum possit admitti iuramentum et hoc assumi veluti *plenam* probationem libertatis, aut uti *partialem*, pro iis locis nempe, in quibus nequeunt haberi publicationes neque processus testium?

Resp. Urgendum observantiam instructionis s. m. Clementis X sub feria V, 21 Aug. 1670, cum adnexis declarationibus datis feria IV, 24 Februarii 1874, et instandum ut parochi diligenter inquirant a contrahentibus testes fide dignos in respectivis locis examinandos. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in Curia loci ubi contrahitur matrimonium, testes fidedigni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent: et si Ordinario opportunum videatur, admitti etiam potest sponsus ad iuramentum suppletorium, constito tamen ipsum esse fide dignum. In casibus vero particularibus et difficilioribus r. p. d. Episcopus recurrat ad S. Congregationem. Quod si matrimonium adeo urgeat ut tempus recurrendi non adsit, Episcopus curet concludentes probationes super status libertatem, prout expediens iudicaverit, aliter colligere.

DUBIA EXHIBITA QUOAD SENSUM PRAELATI DECRETI ET IN LATINAM LINGUAM VERSA.

Dub. I. In quarta ultima § dicti decreti praescribitur: « Fides aliaque « documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint « munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per « testes, qui habeant notam manum et sigillum ». Quatenus ipsae fides et documenta munita non sint sigillo Ordinarii sed sigillo et subscriptione parochi solius, et talis subscriptio taleque sigillum sive parochi dioecesis, sive extranei noti tamen uni aut pluribus curiae officialibus v. g. cancellario aut substituto, possuntne admitti? Et quatenus negative, ad cogno-

scendum utrum sigillum et subscriptio sint parochi scribentis satisne est testimonium patris aut matris sponsi aut aliorum ex familia alterutrius?

Dub. II. In tertia ultima § decreti praescribitur: « Pro textibus in « hac materia recipiantur magis consanguinei quam exteri, quia praesu- « muntur melius informati ». Sub nomine consanguinei » intelligine possunt proprii genitores, etsi aliquando interesse habere videantur de matrimonii conclusione; et ideo ipsi sese exhibent, aut curant ut indicentur a sponsis iisdem ad fidem faciendam de istorum status libertate? Et deficientibus genitoribus, si vices istorum agant fratres vel patrui, poteruntne iidem, quorum interesse cognitum aut suppositum sit, audiri ceu testes?

Dub. III. Circa dimidium dictae § adiicitur: « Et notarius exacte « describat personam testis, quem si cognoscat, utatur clausula: *mihi bene « cognitus*; sin minus examen non recipiat, nisi cum persona testis aliqua « alia compareat cognita notario et quae testetur de nomine et cognomine « ipsius testis ». Quatenus in aliqua dioecesi sint plures et remoti pagi, et consuetudo vigeat quod sponsi mittant aut secum ducant duos testes cancellario et civitatis episcopalis residentiae haud notos, et non reperiatur persona, quae eosdem agnoscat; ad vitanda gravia incommoda populis, qui tempus et pecuniam frustra tererent, quatenus remitti deberent; et ad vitandas querimonias, quae facile enascerentur, possuntne recipi istorum testimonia innitendo legali axiomati quod « Nemo praesumitur malus nisi probetur? ».

Dub. IV. Cum saepe etiam contingat quod, peracto statu libero, aliqua superveniat sponsis circumstantia, ob quam tunc matrimonium amplius locum non habet, uno, duobus, vel tribus mensibus, si praecipue agatur de personis humilis conditionis et quae curiae haud notae sint eo quod ad diversos pagos pertineant?

Dub. V. Quum in dioecesibus quamplurimis usus inoleverit recipiendi, in examine pro statu libero, hominum depositiones solummodo ex eo quod in praefato decreto edicitur « Testes » quin mulieres excipiantur, possuntne audiri etiam mulieres?

Dub. VI. Haud raro evenit quod homo aut mulier domicilium posuerit in loco ab originis diverso per decem aut plures annos etsi patriam aut aliam civitatem aut pagum reliquerit, cum iam adoleverit. Satisne erit probare libertatem pro dictis decem aut pluribus annis, transactis in loco sui ultimi domicilii, aut oportebit etiam, non obstante eiusdem perlongo absentiae tempore a patria sua, vel suo primo pago exposcere fidem status liberi viri aut mulieris ad ineundum matrimonium?

Dub. VII. Tandem in penultima § dicti decreti praescribitur: « Et « eiusmodi examinibus interesse debet.... extra urbem vel vicarius Episcopi, « vel aliqua persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda ». Sub nomine « personae insignis et idoneae » intelligi ne possunt Vicarii foranei et eorum cancellarii, etsi isti facultate rogandi careant, quae conceditur tantum Cancellario episcopali? Et quatenus negative utrum liceat sequi contrariam consuetudinem?

Feria IV die 25 Februarii 1847

In Congr. Gen. S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. M. supra Minervam, coram EE. et RR. DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis supradictis septem dubiis iidem EE. ac RR. responderunt ad singula ut sequitur:

Ad I. Quoad primam partem; Affirmative, quo tamen in casu apponatur legalitas a Curia Episcopali. Quoad secundam partem, provisum in prima.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Servetur instructio.

Ad IV. Generatim affirmative: in casibus vero particularibus prudenti arbitrio Episcopi.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Quoad primam partem: Negative; quoad secundam partem: Affirmative.

Ad VI. Quoad primam partem: Affirmative. Vicarii tamen foranei transmittant acta ad Curiam Episcopalem, cuius est expedire fidem status liberi. Quoad secundam partem: provisum in prima ».

ALLEGATUM VI.

Formulae quibus concipi possunt acta in iudiciis vel causis criminalibus.

FORMULA SENTENTIAE DECLARATORIAE CENSURARUM.

(Monacelli, *Formul. leg. pract. fori eccl. part. 3, tit. 1, form. 23*).

Visis actis et decretis nostrae Visitationis sac. Montis Pietatis in hac Civitate legittime erecti, sententia Revisorum Computorum, aliisque iuribus exhibitis, per Procuratorem locorum Piorum, ex quibus constat N. Depositarium et Administratorem dicti Montis pecuniam in summa.... et alios reditus eiusdem, quae in pauperum necessitatibus converti debuerant, alio, propria auctoritate contra formam Bullae Pauli V (VEL STATUTI MONTIS) divertisse, imo et in proprios usus dolose convertisse, et usurpare praesumpsisse; visis monitionibus et praeceptis contra eum executis pro reintegratione Montis, quibus parere contempsit, dicimus et declaramus d. N. Depositarium damnabiliter incurrisse excommunicationem maiorem, Papae reservatam, contentam tam in Bulla, quam in Conc. Trid., sess. 22, c. 11 et ideo esse publice denunciandum, prout denunciari volumus et mandamus, cui anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu d. montem plene reintegraverit et a R. Pontifice absolvi meruerit.

Loco ✠ Sigilli.

N. Episcopus N.

FORMULA SENTENTIAE EDITAE EX INFORMATA CONSCIENTIA.

(Monacelli, *Form. leg. pract. fori eccl. part. 3, tit. 2, form. 6, n. 4*).

Constito Nobis Presbyterum N. esse reum criminis, eum ob causas, quae animum nostrum digne movent et de quibus Deo et Sedi Apost. cum habuerimus in mandatis, rationem reddere debemus, ex *informata*

conscientia a divinis suspendimus per duos menses.... et suspensum declaramus ac ei decretum suspensionis intimari mandamus.

N. Episcopus N.
N. Actuarius.

FORMULA SENTENTIAE CONDEMNATORIAE IN CENSURAS.

Decreta, quibus irrogantur censurae, concipi possunt sequenti vel alio adsimili modo (Monacelli, *Form. leg. pract. for. eccl. p. 3, t. 1, for. 17*): *Visa comparitione et instantia* R. P. D. Rectoris et Parochi Eccl. Parochialis S. N. loci N. desuper retardata solutione decimarum praedialium (sive personalium) d. ecclesiae et sibi debitarum, et solvi debitarum ab infrascriptis parochianis; *visis monitionibus* contra eos executis, et nihil in termino praefixo, quod a dictis decimis *ipso eximere valeat* deducto; visaque et attenta eorumdem parochianorum contumacia, dicimus et declaramus omnes infrascriptos esse *excommunicandos* et excommunicatos esse denunciamus.... etc. Sequuntur nomina eorum, qui excommucantur N. N. N. N....

Sequitur subsignatio:

N. Episcopus.
N. Vicarius Generalis.
N. Actuarius.

DECRETUM SUSPENSIONIS.

Visa et attenta informatione capta, ex qua constat Presbyterum N. *aleis ludere* solitum, *monitioni sibi factae* ut a tali ludo abstineret sub poena suspensionis non paruisse, immo adhuc *dicto ludo cum laicis deservire* (vel tabernas frequentare) *eum a divinis suspendimus per tres menses* et suspensum declaramus, denunciamus et *eidem intimari mandamus.*

N. Vicarius Generalis.
N. Actuarius.

FORMULA VOCANDI TESTES PER LITTERAS PRIVATAS UT EXAMINENTUR PRO INFORMATIONE CURIAE. ISTAE CITATIONES PROMOVENTUR A PROMOTORE FISCALI QUI NARRATIS INDICIIS DE QUODAM CRIMINE IUBET INQUIRI ADVERSUS PRAESUMPTUM REUM.

Colendissime Domine, *(quae verbà pro qualitate personae varientur)*, Cum in quadam causa, quae coram Nobis in curia episcopali vertitur, necessaria sit praesentia tua, ad dictam curiam de nonnullis informandam, non graveris te a Nobis citari ad comparendum die 5 mensis proximi, hora 9 matutina, in praefata curia. Et interim incolumem te Deus servet. Datum in curia episcopali, die.... mensis.... anno....

N. Vicarius Generalis.

(Si forte testis morem non geret eiusmodi privatis litteris, recurret iudex ad citationem iuridicam proprie dictam, iuxta sequentes formulas).

FORMULA CITATIONIS IURIDICAE TESTIUM, PRO INFORMATIONE CURIAE, ANTEQUAM CONSTITUTUS SIT REUS. HAEC CITATIO REMITTITUR PER APPARITOREM AUT NUNCIUM NISI IUDEX UTATUR FACULTATE CONCESSA AB INSTR. S. C. EE. ET RR. DANDI HAS LITTERAS PER OFFICIUM TABELLARIORUM.

Nos N. Vicarius Generalis reverendissimi N. Episcopi, *requirimus, monemus et citamus sequentes testes*, nempe (et ibi ponantur eorum nomina, atque addantur poenae comminatae, si ita iudici visum fuerit, verbi gratia, *sub poena excommunicationis*, vel si sint clerici, *sub poena suspensionis ipso facto incurrendae*) ut die.... huius mensis compareant personaliter in episcopali curia, coram me Vicario Generali, iuraturi et deposituri pro informanda curia, in causa quadam nunc apud dictam curiam vertente; et mandamus nuntio nostro publico N. ut dictam citationem singulis supra nominatis testibus personaliter denunciet. Datum etc.

N. Vicarius Generalis.
N. Actuarius.

(Hoc decretum remanet in fasciculo actorum et actuarius conficit singulos libellos citationis quos subsignat Vicarius Gen.).

FORMULA CITANDI TESTES, IAM CITATO ET CONSTITUTO REO.

(*Potest esse eadem ac praecedens usque ad verba* iuraturi ac.... *pro quibus scribatur hoc aut simili modo*).

Iuraturi ac deposituri (vel si iam deposuerint, *suamque depositionem repetituri*) in causa criminali, quae apud dictam curiam vertitur contra Andream N. prout in actis. Et mandamus Nuntio nostro publico N. ut dictam citationem singulis supra nominatis testibus personaliter denuntiet. Datum etc.

FORMULA CITATIONIS, QUAE TRIPLICI MONITORIO AEQUIVALEAT AD EFFECTUM TESTEM PUNIENDI UT CONTUMACEM, SI COMPARERE RECUSET.

Nos Vicarius Generalis.... (et reliqua ut in superiori formula, usque ad voces *apud dictam curiam vertente*, quibus addatur). Volumus autem ut huius nostrae citationis libellus vim canonici monitorii obtineat, proinde nominatis testibus assignamus sex dies, quorum duos pro primo, duos pro secundo et duos pro tertio et peremptorio termino statuimus, a die praesentationis praesentium ipsis personaliter factae computandos; intra quos si (nulla legitima causa praepediti) non comparuerint coram Nobis, noverint Nos contra ipsos ut contumaces, ad formam iuris, nulla ulteriore citatione praevia, esse processuros. Datum....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMULA LITTERARUM REMISSORIALIUM PRO HABENDA DEPOSITIONE TESTIS IN ALIENA DIOECESI COMMORANTIS.

(*Possunt scribi et* in actis *referri in hunc modum*).

Consequenter Reverendus N. Vicarius Generalis, cum advertisset necessarium esse examinari ut testem dominum N., et non posset ipsius praesentiam habere, cum commoretur in dioecesi N., decrevit litteras commissoriales dare ad Rev. N. Vic. Generalem et Ordinarium illius dioecesis iudicem. Expeditae igitur ad illum fuere litterae sequentis tenoris, videlicet:

Reverendissime et colendissime Domine. — Necessarium cum mihi sit habere testimonium domini N., in dioecesi N. commorantis, in causa quadam, quae coram me actitatur; teque Ordinarium in dicta dioecesi iudicem existere dignoscatur; visum est auxilium tuum requirere. Quapropter omni maiori, qua possum, instantia rogo, ut praedictum dominum N. coram te comparere facias eumque iuridice, ad nostrae curiae praxis normam, examinare velis, nempe ipsius testimonium iuratum excipiente notario legitime creato et in scripturam publicam redigente; et ad me ipsius depositionem transmittere. Articuli porro interrogationis sunt insequentes (et ibi scribens easdem interrogationes ponat, quas ipse faceret, si testes examinaret). Interim tuo me famulatui reverenter offerens, rogo ut te Deus servet incolumem. Datum....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMULA TENENDA A IUDICE AD QUEM MISSAE SUNT LITTERAE REMISSORIALES, UT TESTEM EXAMINET.

(Poterit procedi et scribi in hunc modum).

In Nomine Domini. Amen. Cum reverendus N. reverendissimi Episcopi N. Vicarius Generalis recepisset a reverendo N. in dioecesi N. Vicario Generali et ordinario iudice quasdam litteras remissoriales, quae incipiunt... et desinunt.... et sunt tenoris sequentis, videlicet (ibi litterae describantur) ideo praefatus reverendus N. Vicarius Generalis decrevit, prout de iure, eas executioni demandare. Quapropter me adhibito infrascripto curiae episcopalis actuario statuit ad formam iuris examen, de quo fuit rogatus, instituere. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit dominus N. et interrogatus super primo articulo respondit..... Super secundo respondit.... (Postea ponuntur clausulae, quibus solet semper concludi examen testium. Examen autem sigillatum transmittatur ad iudicem, qui remissorialem dedit).

FORMULA SENTENTIAM FERENDI CONTRA CONTUMACEM TESTEM.

Cum Dominus N. ad comparendum coram Nobis ter iuridice citatus fuerit, nempe die.... mensis.... anni...., et die.... mensis eiusdem anni, et die.... mensis.... dicti anni (vel ad comparendum coram Nobis monitorio peremptorio vim triplicis monitionis habente citatus fuerit die.... mensis.... anni....) et ipse, mandata nostra contemnendo, contumax post dictas (vel dictam) monitiones (vel monitionem) fuerit et sit; idcirco ad ipsum compellendum ad debitam Nobis obedientiam praestandam, in his scriptis, contra eum sententiam excomunicationis maioris, (vel suspensionis a divinis, si sit in sacris) proferimus, qua maneat illaqueatus, donec coram Nobis se sistat et absolutionis beneficium, parendo Nobis, mereatur. Et ut omnibus haec sententia pateat, eam per affixionem ad loca opportuna publicari mandamus. Datum....

N. Vicarius Generalis.
N. Actuarius.

(Sed hodie in laicos fertur tantum decretum et *ad acta* ponitur quo declaratur contumacia, ad effectum probandi testem, rite citatum, auditum non fuisse, utpote contumacem).

FORMA RECOGNOSCENDI ET COMPARANDI SCRIPTURAS.

Auditis praefatis testibus, volens Rev. N. iudex pergere ad recognitionem et comparationem litterarum, quas Andreas N. dicitur ad puellam N. scripsisse, et quae a teste N. in manibus fisci fuerunt depositae, curavit e sacristia Ecclesiae N. sibi afferri regestum baptismorum, in quo extant plura acta, manu Andreae N. certo exarata. Quo habito, curavit insuper diversorum scripturas afferri, ad videndum an testes, qui dicuntur Andreae N. scripturam optime noscere, eam inter varias alias discernerent. Ad quem finem dictos testes vocare et examinare decrevit. Acta sunt haec die.... mensis.... anno.

Vocatus igitur comparuit Gervasius N. et deposito iuramento de dicenda veritate, deposuit ut sequitur:

AD GENERALIA.

1) Interrogatus: quomodo vocetur? - Respondit....
2) Interrogatus: cuius aetatis existat? - Respondit....

3) Interrogatus: ubinam habitet et a quanto tempore? - Respondit....

4) Interrogatus: cuius conditionis vel officii existat? - Respondit....

(Alias addere poterit iudex interrogationes generales, ut pateat an testis alicui exceptioni obnoxius sit, aut etiam omnino reiici debeat).

AD SPECIALIA.

1) Interrogatus: an cognoscat Andream N.? - Respondit: apprime cognosco.

2) Interrogatus: an habeant vel habuerint familiaritatem et commercium litterarum ad invicem? - Respondit: antehac bene, sed a duobus annis non amplius.

3) Interrogatus: an bene cognoscat characterem et manum Domini Andreae N.? - Respondit: perfecte cognosco.

4) Interrogatus: an inter alias plures scripturas cognosceret manum et characterem Andreae N.? - Respondit: inter mille cognoscerem. Tunc Rev. Iudex varias scripturas una cum scriptura Andreae N. posuit ante testem, ita tamen ut nullibi alicuius subscriptio pateret; et dixit ei ut seligeret scripturam domini Andreae N. Qui non multum deliberans extraxit unum folium dicens: haec est scriptura domini Andreae N., prout etiam erat. Quibus habitis, et si, et in quantum acceptatis....

Postea pro maiori veritatis certitudine, vocati comparuerunt N. et N., in discernenda scripturarum varietate satis periti; qui deposito iuramento de fideliter exequendo officio et veritate dicenda, iussi sunt a Rev. N. iudice ut scripturas, quas esse de manu Andreae certo iam constabat, cum litteris, quae praetenduntur ab ipso ad puellam Bibianam scriptae, accurate, diligenter et exacte conferant atque examinent, suumque postea iudicium manifestent, num ab una eademque, vel diversa manu sint exaratae. Acta sunt haec die... mensis.... anno....

N. Iudex.

N. Actuarius.

Consequenter praefati duo periti calligraphi scripturas sibi consignatas, et sequens desuper iudicium suum in scriptis praesentarunt: incipit.... (et ibi ponantur primae voces) et desinit.... (et ibi ultimae) et est tenoris sequentis (et ibi transcribatur iudicium illud peritorum). Quod iudicium cum ad mandatum iudicis eisdem praelegissem, confirmarunt. Acta sunt haec die.... mense.... anno...., et subscribant duo periti hoc modo: Ego N. affirmo ut supra. Ego N. confirmo ut supra.

Ego N. Actuarius.

FORMA COMPOSITIONIS POSTULANDAE ET CONCEDENDAE.

Ego N., reperiens me processatum in curia episcopali N., pro quodam praetenso crimine (vel quibusdam....) nempe (et ibi crimen indicetur) lites cum fisco habere refugiens, nullatenus tamen praetensi criminis me culpabilem (quod absit) profitens, oro illustrissimum et reverendissimum Episcopum, ut velit supradicto processui finem et fisco silentium imponere; me submittens ad poenam poenitentiamve sibi benevisam, si forte quam mihi iniungendam existimaret. Ita supplico et insto. Ego N.

FORMULA DECRETI COMPOSITIONIS.

Attentis remissione partis, necnon qualitate delicti et delinquentis, ac aliis iustis causis animum nostrum digne moventibus, supra dictum N. inquisitum pro.... et causa, de quibus in processu, et compositionem quam curiae et fisco obtulit, et ad quam admitti postulavit, admittimus; et solutis per eum in manu depositarii poenarum nostrae curia scutis.... ipsum absolvimus et totaliter liberamus; fisco silentium imponimus et mandamus, omni etc.

N. Episcopus.
N. Cancellarius.

FORMA CONSTITUENDI REUM.

Cum ex actitatis hactenus, ad minimum semiplena habeatur probatio de delicto (vel delictis) Domino Andreae obiecto, nempe quod (et ibi delictum vel delicta exprimantur) cumque sic ex informatione summaria emerserint a iure requisita ut dictus Andreas N. possit reus constitui, et constitutus possit legitime examinari; decrevit reverendus N. iudex praefatum Andream N. reum constituere et examinare, aliaque prout de iure prosequi. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

N. Iudex.
N. Actuarius.

Si ex processu informativo illa non emerserit saltem semiplena probatio, declaratur non esse locum processui in sequentem formam:

Cum ex informatorio processu iam absoluto ne semiplena quidem

emerserit probatio de praetenso delicto a Domino Andrea N. perpetrato, nempe quod (et ibi exprimitur delictum) cumque hoc ipso desint iure requisita ut dictus Andreas N. legitime possit reus constitui et examinari, decrevit reverendus N. iudex, non esse contra eum ulterius procedendum. Acta sunt haec die.... mensis.... anno.

N. Iudex.
N. Actuarius.

FORMA CITANDI REI, QUANDO PROCEDITUR ACCUSATIONIS VIA.

Nos N. reverendissimi Episcopi N. Vicarius Generalis, cum a Domino Ioanne Zelata Nobis praesentatus fuerit accusatorius libellus contra Dominum Andream N. presbyterum, quo is accusatur de pluribus delictis videlicet 1. quod.... 2. quod.... etc. cumque praefatus Dominus Ioannes Zelata sese obtulerit ad probanda iudicialiter enumerata delicta, sub poenis contra calumniatores a iure statutis; ut debito nostro reddendae iustitiae satisfaciamus, decrevimus citare, prout harum serie citamus Dominum Andream N.

FORMA CITANDI REUM QUANDO PROCEDITUR EX MERO OFFICIO, SEU INQUISITIONIS SPECIALIS VIA, OB PUBLICAM DE DELICTIS FAMAM.

Nos N. reverendissimi Episcopi N. Vicarius Generalis, cum pluries ad aures nostras rumor pervenerit de patratis a Domino Andrea N. presbytero nonnullis delictis, videlicet 1. quod.... 2. quod.... etc. cumque de praevia curiae informatione a Nobis acta, prout in actis, sufficientia emerserint, ut pronuntiare deberemus, prout et pronuntiavimus, constare de fama publica contra praefatum Andream N., eamque famam non ab inimicis et malevolis, sed a gravibus personis ortam: idcirco, ut satis nostro officio faciamus, decrevimus eumdem Dominum Andream N. citare, prout harum serie citamus.

FORMA CITANDI REUM IN ALIENA DIOECESI EXISTENTEM, PER REMISSORIALES LITTERAS ITA AD ACTA RELATAS.

Cum rescivisset reverendus N. Vicarius Generalis, praefatum Andream N. in dioecesi vicina N. versari, ut tutius citatio ad eum perveniret, decrevit litteras remissoriales dare ad reverendum N. Vicarium Generalem

et ordinarium in dicta dioecesi iudicem. Quae litterae expeditae fuerunt et sunt tenoris sequentis, videlicet: Reverende et colendissime Domine. Cum te ordinarium in dioecesi N. iudicem existere dignoscatur, et in hac dioecesi versari resciverimus Dominum Andream N. presbyterum iurisdictioni reverendissimi Episcopi nostri subiectum, quem mei officii est tamquam reum citare, pro causa criminali contra eum mota, et apud curiam nostram pendente; idcirco visum est auxilium tuum requirere, quatenus infra scribendam citationem procures dicto Domino N. per unum curiae vestrae episcopalis publicum nuntium, personaliter vel in domo solitae ipsius habitationis intimari, et de eiusdem citationis executione iuridicam relationem ad me transmitti. Est autem intimanda citatio, quae sequitur: (et hic, prout proceditur via accusationis vel denuntiationis, vel ex mero officio, ponatur una ex formulis supra descriptis). Interim tuo me famulatui offerens, rogo ut te Deus servet incolumem. Datum....

N. Vicarius Generalis.
N. Actuarius.

FORMA TENENDA A IUDICE ALIENAE DIOECESIS, IN EXEQUENDIS, QUAS ACCEPIT, REMISSORIALIBUS.

Ab actuario huius dioecesis scribatur in hunc modum.

In nomine Domini Amen. Cum reverendus N. reverendissimi Episcopi nostri N. Vicarius Generalis recepisset a reverendo N. in dioecesi N. Vicario Generali et ordinario iudice quasdam litteras remissoriales, quae incipiunt... et definiunt... et sunt tenoris sequentis, videlicet (et ibi inserantur illae litterae) ideoque praefatus reverendus N. Vicarius Generalis decrevit, prout de iure, eas executioni demandare. Quapropter vocato Ioanne N. curiae nostrae Episcopalis publico nuntio, praemissam citationem consignavit, et iussit ut eamdem Domino Andreae N. personaliter vel domo solitae habitationis intimaret. Qui dictus nuntius ad me actuarium reversus, retulit se praefato Andreae N. personaliter, prout in mandato, citationem intimasse, copia relicta. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Episcopalis curiae nuntius, affirmo ut supra.
Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

Ille autem processus sigillatur et mittitur ad iudicem, qui remissoriales dedit.

FORMA DECLARANDI CONTUMACIAM REI.

Postquam in actis adnotatum fuerit binam saltem citationem datam esse, sed frustra, scribatur:

Consequenter reverendus N. Vicarius Generalis, declaravit praefatum Andream N. incidisse in contumaciam et contra eum tamquam contumacem procedere decrevit. Quapropter eumdem citari ad audiendam sententiam definitivam ordinavit. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

N. Vicarius Generalis.
N. Actuarius.

FORMA CITANDI REUM CONTUMACEM AD AUDIENDAM SENTENTIAM DEFINITIVAM.

Itaque de mandato reverendi D. N. Vicarii Generalis, Ioanni N. episcopalis curiae nuntio publico fuit consignatus libellus citationis, quem iussus est praefato Andreae N. personaliter vel in domo solitae ipsius habitationis intimare (vel si reus fugerit, valvis Ecclesiae N. aut alibi pro stylo curiae affigere) qui libellus est tenoris sequentis: Harum serie citatur peremptorie Dominus Andreas N. iam peremptorie citatus, et, quia non comparuit, contumax declaratus, ad comparendum Nobis infra tres dies ab intimatione (vel a publicatione si per modum edicti fiat citatio) praesentium computandas, ad audiendam sententiam difinitivam. Datum...

N. Vicarius Generalis.
N. Actuarius.

Reversus autem ad me dictus nuntius Ioannes retulit se die.... praesentis mensis, hora.... praefato Andreae N. memoratam citationem personaliter prout in mandato intimasse, copia eidem relicta. Acta sunt haec die.... mensis.... anno.... Ego N. episcopalis Curiae Cursor affirmo ut supra.

Ego N. Notarius.

Nam nuntius fidem facere debet se executum esse mandatum iudicis et certa ratione executum fuisse, haec scribens vel in originali vel in exemplari libelli citatorii. Sed melius est originale servare *ad acta* et in eo fidem facere de executa citatione.

FORMULA SENTENTIAE DEFINITIVAE CONTRA REUM CONTUMACEM.

Igitur, elapsis tribus diebus, pro peremptorio termino in praefata citatione assignatis, reverendus N. Vicarius Generalis, pro tribunali sedens, alta voce legit sententiam definitivam, quae est huiusmodi.

Visis et consideratis diligenter omnibus et singulis indiciis et probationibus coram Nobis factis, in processu fabricato contra Dominum Andream N. presbyterum diffamatum (seu denunciatum, seu accusatum) de crimine (seu de criminibus) de quo (seu de quibus) in actis: attento insuper quod dictus Andreas N. a Nobis debita forma peremptorie citatus non comparuerit, et sic in contumaciam inciderit, Deum solum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, declaramus et sententiamus Dominum Andream N. presbyterum esse reum talis aut talium delictorum (et ibi haec delicta exponantur) de quibus delictis fuit sufficienter indiciatus in actis, et quae, ob contumaciam, censenda sunt ab ipso confessa. Quapropter delictis poenas commensurantes, contra praefatum Andream N. pronuntiamus poenam suspensionis a divinis, nec non depositionis ab officiis et beneficiis quibuslibet, et tandem maioris excommunicationis. Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit die.... mensis.... anno.... Denuntiavimus ut supra.

N. Vicarius Generalis.
N. Notarius.

FORMA EXAMINANDI REI.

Constitutus personaliter praefatus Dominus Andreas N. praesbyter, coram reverendo N. Vicario Generali, in atrio episcopii expediendis iudiciis destinato, interrogatus fuit et respondit.

Ad generalia:

1. Interrogatus: an ipse sit Andreas N. presbyter, in parochia N. vicarii munus explens? Respondit: is ipse sum.

2. Interrogatus: a quanto tempore sacris ordinibus initiatus fuerit? Respondit....

3. Interrogatus: in quo seminario studuerit, an e dioecesi oriundus sit, an et quomodo clero dioeceseos adscriptus fuerit? Respondit....

4. An dum in seminario versaretur, dilata ipsi fuerit ordinatio ob aliquem in moribus defectum? Respondit....

5. An presbyter factus, ad curiam episcopalem fuerit aliquando vocatus et de aliquo reprehensus? Respondit: Cum essem parochus in pago N. nonnullae malevolae mulierculae vitae meae integritatem in suspicionem vocarunt. Reverendissimus autem Episcopus me accersivit et monuit ut non tantum a malo sed etiam a specie mali declinarem sedulo, ac me a dicta parochia rurali revocans, vicarium in civitatis parochia N. me constituit.

Eiusmodi interrogationes generales pro opportunitate congerere iudex ecclesiasticus poterit.

Ad specialia.

1. Interrogatus: an vestes saeculares domi habeat et his utatur? Respondit: hisce turbolentissimis temporibus, cum nec tutum nec conveniens esset noctu, quando ād aegros vel moribundos vocamur, habitu clericali incedere, vestes saeculares mihi comparavi et iis quandoque propter dictam rationem utor.

2. An die decima praeteriti mensis invisendum noctu habuerit moribundum aliquem. Respondit: recordor mihi, circa hoc tempus invisendum fuisse aegrum quemdam.

3. Interrogatus: de nomine et domo huius aegri? Respondit: est Dominus N. hac hebdomada defunctus, et commorabatur via N. num. N.

4. Interrogatus: an ab aliquo fuisset vocatus de familia vel de domo aegri? Respondit: a nullo se fuisse vocatum, sed cum esset huic aegro a confessionibus, et sciret eum se male habere, sponte ivisse, ne absque sacramentis decederet.

5. Interrogatus: qua hora iverit? Respondit: circa mediam noctem.

6. Interrogatus: cur tam insolita hora voluerit invisere aegrum? Respondit: sibi in mentem venisse, hoc fore Deo placitum.

7. Interrogatus: quinam de domo aegri eum receperint, et testari possent ipsum hora dicta aegrum adiisse? Respondit: ivi quidem ad domum et tintinnabulum pulsavi, sed cum diutius morarentur, abii, nec domum ingressus sum.

8. Interrogatus: an vocatus noctu aliquando fuerit ad invisendum aegrum in via N. num. N.? Respondit: Numquam.

Eiusmodi opportunas interrogationes quando iudex expleverit, claudat hoc modo:

Quibus habitis et si et in quantum acceptatis de mandato reverendi

Vicarii Generalis praedictas interrogationes et responsiones dicto Domino Andreae N. perlegi: et cum interrogatus fuisset an vellet quidquam mutare vel addere et respondisset, nihil sibi occurrere addendum aut mutandum, quia veritatem dixerat (vel respondit ad Numerum N. se ulterius respondere, et ibi ponatur mutatio vel additio) iussus est subscribere. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

Ego Andreas N. depono ut supra.
Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

Si examen rei uno tractu perfici nequeat, de interruptione mentio fiat in actis, in hunc modum.

Tunc reverendus N. Vicarius Generalis, tarditate horae praeventus (vel gravibus negotiis impeditus) examen continuandum remisit ad crastinum diem, hora. .... Quare de mandato eiusdem reverendi Vicarii Generalis partem depositionis iam factam a dicto Andrea N. reo ipsi perlegi; cui et subscribere iussus est. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

Ego Andreas N. deposui ut supra.
Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMA AUTEM REASSUMENDI INTERRUPTUM EXAMEN REI HAEC ESSE POTERIT.

Die .... mensis .... anno .... in atrio solito episcopii, ventilandis causis ecclesiasticis destinato, reverendus N. Vicarius Generalis volens continuare examen rei prius interruptum, ut supra, vocari illum coram se fecit. Ulterius reus interrogatus respondit ut sequitur: 13. Interrogatus etc.

FORMA PUBLICANDI PROCESSUS OFFENSIVI.

Absoluto, ut supra, rei examine, reverendus N. Vicarius Generalis assignavit Domino N. promotori fiscali, pro termino exhibendorum capitulorum (vel in genere pro exhibenda postulatione fiscali) diem sabati proximum; atque Dominum N. reum citavit ad comparendum hoc ipso dicto die, hora nona, ad audienda fisci capitula et dandas responsiones. Acta sunt haec die.... mensis.... anni....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

Comparente in Curia episcopali Domino N. reo, iussit reverendus N. Vicarius Generalis eidem rei legi capitula pro fisci parte exhibita, quae sunt tenoris sequentis, videlicet: *Fiscus ponit et quatenus negatur probare intendit* 1. .... 2. .... etc. Interrogatus autem a iudice reus quoad singula, omnia negavit (vel omnia negavit praeter 5 et 7).

Quibus habitis responsis rei, decrevit reverendus N. Vicarius Generalis processum hucusque habitum publicare.

Consequenter de ipsius mandato, lecta sunt alta voce acta omnia; quo peracto, decrevit idem reverendus Vicarius Generalis processum pro publicato et hinc legitimato esse habendum. Acta sunt haec die.... mensis.... etc. Dein reo vel eius defensori conceditur facultas legendi, penes Cancellariam tribunalis, acta; vel ad eius instantiam et expensas, copia authentica actorum.

FORMA PETENDI PROROGATIONEM TERMINI DEFENSORII, EAMQUE CONCEDENDI VEL DENEGANDI NEC NON A DENEGATIONE APPELLANDI.

Coram reverendo N. Vicario Generali comparet Dominus N. patronus Domini N. rei et petit prorogari terminum octo dierum, suo principali concessum, quem nimis breve esse, ob nonnullas ab eo productas rationes, contendit. Quae petitio eidem reverendo Vicario Generali rationabilis vita est; quapropter ea si et in quantum acceptata, praecepit prorogari terminum ad alios octo dies, computandos immediate a tempore octo dierum prius assignatorum expirato. Acta sunt haec die.... mensis.... anno ...

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

Si iudex prorogationem deneget scribi poterit in hunc modum.

Coram ... (ut supra usque ad *contendit*). Praefatus vero Vicarius Generalis perpendens causas adductas non esse legitimas, et petitionem fieri tantum ad protrahendum iudicium, postulatam prorogationem denegavit et protestatus est quod si in tempore assignato defensiones non praestabuntur, nulla habita ratione illarum, ad ulteriora procedetur. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

Si reus vel eius patronus prorogationem postulans, velit a denegatione appellare (nam appellare potest) poterit haec forma adhiberi.

Ad quae praedictus comparens replicavit causas a se adductas esse legitimas et nullo modo inventas ad iudicium differendum; proinde appellavit ad quos de iure a praedicta sententia et decreto et protestatus est de nullitate actorum, si ad ulteriora procedetur, petens apostolos instanter, instantissime. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

Ego N. patronus protestor et appello, ut supra.
Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

Si iudex tunc maluerit prorogationem concedere, scribi poterit in hunc modum.

Videns autem reverendus N. Vicarius Generalis perseverantiam dicti comparentis in appellando, et considerans quod, quamvis appellatio ipsius sit frivola, et causae superius adductae non legitimae, magis tamen protraheretur iudicium in iis discutiendis, quam in concedendo petitum novum terminum; prudenter recedendo a decreto denegationis iam facto, indulsit alium terminum octo dierum ab expirato priori termino computandorum. Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMA SCRIBENDI INTERROGATORIOS ARTICULOS.

Interrogatoria, quae reverendo N. Vicario Generali exhibet Dominus N. rei praetensi N. patronus, supra quibus examinari postulat testes omnes (vel testes N. N.). 1. testis Dominus N. interrogetur; a quo loco viderit Dominum N. praetensum reum, delictum committentem; qua de causa in hoc loco dictus testis tum repertus fuerit: quo in loco fuerit ante et post. 2. Testis Dominus N. interrogetur (et sic ponantur coetera opportuna interrogatoria). Quae interrogatoria ego infrascriptus reverendo iudici N. praesento et fieri postulo. Ego N. Patronus.

FORMA CORRIGENDI INTERROGATORIA.

Consideratis et bene ponderatis, per reverendum N. Vicarium Generalem, articulis interrogatoriis, censuit corrigendum esse articulum primum

(sive secundum.... et exprimatur numerus articuli) quia superfluus est; pariter tertium, quia nullo modo pertinet ad causam; idemque quartus, quia est pure imfamatorius. Proinde supra praedictis non intendit repetere testes; sed eos super caeteris repetere decrevit. Acta sunt haec die etc....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMA CITANDI REUM AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

Consequenter volens reverendus N. Vicarius Generalis ad finalem sententiam procedere, vocavit Ioannem. N. episcopalis curiae nuntium publicum, eique consignavit citationis libellum tenoris sequentis, videlicet: citatus Dominus N. reus et Dominus N., eius patronus ad comparendum coram reverendo N. Vicario Generali die... hora... in atrio episcopii, ubi curia regitur, ut audiant definitivam sententiam, in causa criminali contra Dominum. N. praefatum mota, ferendam. Et mandat dictus reverendus Vicarius Generalis praesentem citationem dictis Dominis N. et N. personaliter, vel in domo solitae habitationis intimari. Datum...

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMULA SENTENTIAE DEFINITIVAE, QUOAD EAM PARTEM, QUAE OMNIBUS GENERALIBUS SENTENTIIS DEFINITIVIS COMMUNIS EST.

In nomine individuae SS. Trinitatis. - Nos N. iudex ordinarius (vel delegatus) visis et diligenter consideratis omnibus et singulis in causa et causis coram nobis actitatis de et super (et hic exprimatur delictum, super quo processus factus est) de quo delicto Dominus N. fuit infamatus, (vel denuntiatus, vel accusatus) et mature perpensis testium depositionibus contra praedictum Dominum N. super memorato crimine; ipsoque citato, interrogato et sufficienter audito in omnibus suis defensionibus; Deum solum omnis iustitiae fontem prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus etc...

FORMULA SENTENTIAE ABSOLUTORIAE IN CASU DELICTI NON COMMISSI.

In nomine... (ut supra) dicimus Dominum N. nullo modo commisisse crimen, de quo fuit inculpatus; et proinde ipsum tamquam innocentem ab omni observatione iudicii absolvimus. Ita hoc et omni meliori modo. Lata, lecta et publicata fuit die..... mensis... anno..... Ita pronunciavimus pro tribunali sedentes.

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMULA SENTENTIAE ABSOLUTORIAE PRO REO NON INVENTO CULPABILI.

In Nomine (ut supra) dicimus Dominum N. non fuisse inventum culpabilem nec de iure punibilem; et proinde ipsum absolvimus ab omni observatione iudiciali et quavis ulteriore instantia, et causae huic perpetuum silentium imponimus. Ita hoc et omni meliore modo. Lata, lecta et publicata die... mensis... anno... in (et ibi ponatur locus). Ita pronuntiavimus pro tribunali sedentes.

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMA SENTENTIAE CONDEMNATORIAE CONTRA REUM, PLENE PER TESTES CONVICTUM.

In Nomine (ut supra) dicimus Dominum N. reum per testes integros plene remanere convictum de (et ibi exprimatur delictum cum omnibus suis qualitatibus et circumstantiis). Quapropter ipsum condemnamus in poenas a ss. Canonibus (vel a nostris constitutionibus synodalibus) latas, nempe (et ibi exprimatur per extensum poena a reo subeunda). Ita hoc etc. (ut supra).

FORMA APPELLANDI A SENTENTIA INTERLOCUTORIA.

Coram reverendo N. Vicario Generali comparet Dominus N. reus qui supra; et dicit se esse gravatum per reverendum Vicarium Generalem

in decreto, quo reiecta est tamquam frivola exceptio sua contra testes N. N. (vel aliud exprimatur gravamen, si aliud sit). Dicit insuper tale esse huiusmodi gravamen ut non possit per sententiam definitivam reparari: cum enim praedicti testes praetensum delictum a dicto Domino reo fuisse patratum testati sint, si eorum admittatur testimonium, nihil eidem reo expectandum esse quam condemnationem. Hinc quia sustinet Dominus N. praetensus reus, se sufficienter probasse dictos testes esse ipsius inimicos, periuros, inhabiles; ideo cum omni debita subiectione, non animo iudicium protrahendi sed se eximendi a gravamine, appellat super praedicto decreto seu sententia interlocutoria; et vult et instat illam rescindi; aliter provocat ad metropolitam et ad Sedem Apostolicam: et petit sibi responderi de apostolis instanter, instantius, instantissime. Datum die... mensis... anno... Ego N. appello ut supra.

Praesentata fuit suprascripta appellatio et de mandato Vicarii Generalis in actis recepta, et nonnisi prout de iure admissa, hac die... mensis.... anno... in....

Ego N. Actuarius.

Si appellatio erit reiicienda, decernatur in hunc modum:

Consequenter reverendus N. Vicarius Generalis, attente considerata appellationis causa, a praefato Domino N. reo producta, invenit eam in iure et in facto insubsistentem; proinde eam reiecit tamquam frivolam, et nullius valoris, et decrevit, ea non obstante, ad ulteriora procedere. Quod decretum cum fuisset per me praefato Domino N. reo intimatum ille acquievit. Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. Actuarius.

Si vero appellans non acquiescat, sed denuo appellet, scribi hoc modo poterit.

Quod decretum cum fuisset per me infrascriptum dicto Domino N. reo intimatum denuo appellavit, et iterum petiit apostolos instanter, instantissime. Acta sunt haec, etc.

FORMA APPELLATIONIS A SENTENTIA DEFINITIVA.

Cum lecta et intimata fuisset, ut praefertur, praefata sententia praedicto Domino N. reo, ipse appellavit et apostolos petiit; cui reverendus

Vicarius generalis respondit, se praestiturum esse ea, quae de iure esse iudicabit. Acta sunt haec die... etc. Ego N. appello et peto apostolos.

Ego N. Actuarius.

Casu, quo reus non appellet immediate post sententiam latam (tamen intra decennium) potest actuarius appellationem excipere ut sequitur.

Anno... mense... die.... loco.... comparuit coram reverendo Vicario Generali Dominus N. reus qui supra; qui appellavit contra sententiam publicatam contra ipsum die..., prout in actis et apostolos petiit; cui praefatus reverendus Vicarius Generalis respondit se praestiturum esse quod de iure esse iudicabit. In quorum fidem...

Ego N. appello.
Ego N. Actuarius.

FORMA CONCEDENDI APOSTOLOS REFUTATORIOS.

Cum Dominus N. appellaverit sub die... coram Nobis, super decreto a Nobis prolato sub die... prout in actis et causam appellationis produxerit, prout latius in citatis actis continetur; talem appellationem et eius causam, utpote nullius valoris reiecimus et reiiciendam esse iudicavimus, prout de facto eam iterum reiecimus. Verum quia denuo a decreto reiectionis appellavit et apostolos petiit, ipsos prout de iure appellationis causam refutantes concedimus, et causam super hoc articulo incidenti ad (et ibi exprimatur immediatus iudex ad quem) et successive ad alios, prout de iure, ablegamus et remittimus. Intendendo quod, per hoc, talem reum a nostra iurisdictione minime dimittimus, sed ipsius causam, ut de iure, prosequi, ac definire velle pronuntiamus. Datum....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMA APOSTOLORUM REVERENTIALIUM.

Cum Dominus N. (ut supra usque ad illa verba *verum quia*). Verum quia denuo a decreto reiectionis appellavit, et apostolos petiit, quamvis haec nova appellatio Nobis frivola fuerit visa, tamen ob nostram reverentiam erga (et ibi nominetur iudex ad quem) et alios, ad quos appella-

vit, praedictae appellationi duximus deferendum, et de facto detulimus, et petitos apostolos reverentiales harum serie concedimus. Datum...

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

FORMA APOSTOLORUM DIMISSORIALUM.

Cum in causa delicti, de quo diffamatus (sive denuntiatus, sive accusatus) fuit Dominus N. sententiam definitivam tulerimus, et a nostra sententia praedictus Dominus N. appellaverit et provocaverit ad (et ibi exprimatur nomen iudicis ad quem) et successive ad Apostolicam Sedem; Nos appellationi huiusmodi, ut par est, deferentes ipsum appellantem a nostro iudicio dimittimus et eius causam cum copia actorum sigillata ad praedictum (et ibi nominetur rursus iudex immediatus ad quem) remittimus. Datum....

Ego N. Vicarius Generalis.
Ego N. Actuarius.

QUOMODO IUDEX AD QUEM INCIPERE DEBEAT PROCESSUM, IN CAUSA APPELLATIONIS A SENTENTIA INTERLOCUTORIA.

In Nomine Domini Amen. Cum comparuisset coram reverendo N. Vicario Generali archidioecesis N. Dominus N. dioecesis N. (sive Dominus N. patronus Domini N. praetensi rei) et exposuisset se appellasse a decreto interlocutorio, interposito a reverendo N. Vicario Generali eiusdem dioeceseos super .... (et ibi exprimatur decretum super quo fuerit appellatum) et praefatus Dominus N. appellans institisset ut admitteretur ad probandam coram reverendo N. Vicario Generali huius Archidioeceseos causam vel causas praedictae appellationis a se productas, idem reverendus Vicarius Generalis, adhibito me infrascripto, huius curiae publico actuario, decrevit, prout de iure, procedere. Acta sunt haec die .... mensis .... anno....

Ego N. Vicarius Generalis archidioeceseos N.
Ego N. Actuarius.

Consequenter idem reverendus Vicarius Generalis, visis causis appellationis productis a dicto Domino N. appellante, pronuntiavit eas de iure esse legitimas; et ad videndum an subsistant in facto, de eiusdem mandato fuit vocatus idem Dominus N. appellans (seu Dominus N. patronus

praedicti Domini N. rei praetensi) coram eodem reverendo Vicario Generali, et se paratum esse dixit probare causas expressas in libello appellationis; et testes super primo articulo produxit Dominos N. et N.; super secundo, Dominos N. et N. (et sic deinceps assignet testes, seu producat litteras, scripturas, sive alia documenta, per quae causae ab ipso adductae probentur, et omnia in processu adnotentur). Quae omnia a reverendo N. Vicario Generali huius Archidioeceseos fuere recepta et admissa si et in quantum; et decrevit idem Vicarius Generalis ad ulteriora, prout de iure, procedere. Acta sunt haec die... mensis... anno... in...

Ego N. Vicarius Generalis Archidioeceseos N.
Ego N. Actuarius.

Si iudex ad quem existimet causam appellationis non subsistere in iure (idest non esse de iis, propter quas appellari potest, etiamsi factum allegatum verum foret et concludenter probaretur) in superiori formula, loco verborum. *Pronuntiavit eas de iure esse legitimas;* ponatur: pronuntiavit eas de iure non esse legitimas; et consequenter Dominum N. appellantem decrevit ad iudicem suum ordinarium remittere; et iussit praesentis decreti et processus copiam authenticatam et sigillatam ad eumdem ordinarium transmitti. Acta sunt haec die... mensis... anni...

Ego N. Vicarius Generalis Archidioeceseos N.
Ego N. Actuarius.

FORMA FERENDAE SENTENTIAE SUPER VALORE APPELLATIONIS AB INTERLOCUTORIA.

In Nomine Domini. Amen. Visa appellatione interposita a Domino N. reo praetenso super sententia interlocutoria lata a reverendo N. Vicario Generali dioeceseos N. iudice ordinario die... mensis... anno...; visis causis appellationis a memorato reo praetenso propositis; visisque et ponderatis depositionibus testium et aliis instrumentis ab appellante productis, per hanc nostram sententiam declaramus et dicimus, male fuisse a memorato iudice interlocutum, et bene appellatum. Datum etc.

Ego N. Vicarius Generalis Archidioeceseos N.
Ego N. Actuarius.

Nisi iudex a quo sit legitime *suspectus* impediri non debet quominus postea prosequatur ad sententiam definitivam.

Quod si appellatio iudicata fuerit insubsistens, post verbum *Declaramus* ponatur:

Declaramus et dicimus bene fuisse a memorato iudice interlocutum et male a praedicto Domino N. appellatum.

Quapropter non obstante praedicta appellatione, debere praedictum iudicem in causa procedere, prout de iure, decernimus et pronuntiamus. Datum etc.

FORMA INCIPIENDI PROCESSUM APUD IUDICEM AD QUEM, QUANDO APPELLATUM EST A SENTENTIA DEFINITIVA.

In Nomine Domini. Amen. Cum ad reverendum N. huius archidioeceseos Vicarium Generalem, transmissa fuissent acta processualia in causa criminali Domini N. habita, in quibus continetur sententia condemnatoria contra praefatum N. lata a reverendo N. Vicario Generali dioeceseos N. et iudice ordinario, nec non praedicti Domini N. a dicta sententia interiecta ad metropolitanum tribunal appellatio, simul cum eidem facta apostolorum dimissorialium concessione; et memoratus Dominus N. comparuisset coram praefato reverendo N. Vicario Generali, ad effectum prosequendae suae appellationis; idem reverendus Vicarius Generalis huius archidioeceseos, adhibito me infrascripto notario publico et huius curiae actuario, decrevit prout de iure, in causa supradictae apellationis procedere.

Acta sunt haec die... mensis... anno...

Ego N. archidioeceseos N. Vicario Generalis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus supradictus Dominus N. reus praetensus a Reverendo Vicario Generali iussus est exhibere, si quos haberet praesentandos articulos, ad probandam supra memoratae sententiae iniustitiam (si nullos velit defensor articulos praesentare, notetur ut sequitur). Qui respondit se nihil habere adddendum iis, quae in actis continentur; ex quibus sufficienter apparebit dictae sententiae iniustitia. (In quo casu nihil remanebit iudici faciendum, quam acta processualia iam habita perpendere et sententiam pronuntiare. Si vero articulos exhibeat, scribat actuarius hoc modo). Qui statim chartam defensoriam praesentavit, quae incipit.... et desinit.... et ad mandatum reverendi N. Vicarii Generalis in

acta redacta est, signata numero.... Acta sunt haec die.... mensis.... anno....

Ego N. Vicarius Generalis Archidioeceseos N.
Ego N. Actuarius.

FORMA SENTENTIAE PRONUNTIANDAE A IUDICE AD QUEM.

In Nomine individuae et SS. Trinitatis. Amen. Nos N. Vicarius Generalis Archidioeceseos N. ac iudex ordinarius, visis ac diligenter consideratis omnibus et singulis actitatis in causa et causis discussis coram reverendo N. Vicario Generali dioeceseos N. contra Dominum N. diffamatum (sive accusatum, sive denuntiatum) de... (et ibi exprimatur delictum) visis item omnibus productis iure et facto ad favorem praedicti Domini N.; visa pariter sententia contra eumdem prolata a praefato N. Vicario Generali et iudice ordinario praedictae dioeceseos; visa tandem appellatione ad N. interposita; ipsiusque causis, iuribus et probationibus, coram Nobis productis ad ipsam sustinendam, mature pensatis; Deum solum omnis iustitiae fontem prae oculis habentes; per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus praefatum Dominum esse (et ibi exprimatur eum patrasse tale delictum, de quo fuit processatus, cum talibus qualitatibus et circumstantiis). Quapropter sententiam a iudice ordinario dioecesis N. latam confirmantes, praefatum N. condemnamus ad...

Si poena diversa infligatur, omittantur eae voces *sententiam confirmantes*. Si contra absolvatur reus, post vocem *dicimus* ponatur forma sententiae absolutoriae, ut supra. Et addatur solita clausula *ita pronuntiavimus pro tribunali* etc.

INDEX RERUM

QUAE

IN TERTIO - DE IUDICIIS - VOLUMINE CONTINENTUR

A

Absolutio — Notio; differt a *dispensatione;* pag. 154; - est actus iustitiae, pag. 155. - Distinguitur absolutio a *peccatis*, a *censuris*, pag. 156 *nota;* - in foro interno et in externo, pag. 157; in foro conscientiae, aut in actu confessionis, pag. 158; - interdum est illicita, interdum invalida, pag. 157 et 194. - Quis absolvat ex ordinaria potestate in censuris *a iure latae sent.*, pag. 161 et 182; *fer. sent.*, pag. 163; - in censuris *ab homine*, pag. 164 et 177; - quid possint iudices inferiores, pag. 178; - superiores, pag. 180; - Summ. Pontifex, pag. 179. - Ex facultate speciali absolvunt Ordinarii in nonnullis casibus, pag. 165; - an etiam Praelati Regulares, pag. 169. - Stante impedimento iudicem adeundi quis absolvere possit ex Iur. Decr., pag. 183; - in reservatis Sedi Apostolicae quis possit ex iure novissimo, quomodo, quando, pag. 185; - in articulo mortis, pag. 190; - tempore Iubilaei, pag. 173 *nota*. - Absolutio a censuris debet esse libera, pag. 194; est semper directa, pag. 169; - potest esse simplex vel sub conditione suspensiva, pag. 170 et 175; - vel sub resolutiva, *ibid.*; - in unam ex pluribus vel in plures simul dari potest, pag. 169; - ad reincidentiam, pag. 170; - ad cautelam, pag. 196. - Absolvendi modus, pag. 193; - quoad absentes, pag. 160; - cautio praestanda, pag. 195.

Acatholici, — quinam sint, pag. 434. - Utrum eorum libri prohibeantur, pag. 434 et 435.

Acta Curiae Romanae — quaenam dicantur, pag. 510: - ab executione prohibentes vel corrumpentes plectuntur excom. spec. modo Papae reserv. pag. 511 et 512.

Actus — quando perfectus in delicto, pag. 29.

Actus praeparatorii — ad delictum, pag. 25.

« *Ad evitanda* » — Constitutio Martini V, pag. 205 *nota*.

Adulterini — *(Vide illegitimi)*.

Aetas — quotuplex distinguatur in Iur. Can., pag. 40; - quaenam requiratur ad poenas incurrendas, pag. 40 et seq.

Alienantes — bona eccles., pag. 518; - quibus poenis plectantur, pag. 522-525. - Patroni alienantes bona beneficii quibus poenis plectantur, pag. 525.

Amentia — aufert imputabilitatem, pag. 44.

Anathema — Sacr. etymologia, pag. 262; - historia, *ibid.* nota; - maranatha, *ibid.*

Appellatio — differt a recursu, pag. 135; effectus vel in devolutivum, pag. 135; - vel in suspensivum, pag. 136; - ad futurum Concil., quomodo probetur, pag. 500-502.

Apostatae — quinam dicantur, pag. 432. - Apostatarum libri utrum prohibeantur, pag. 433-435. - Apostata a religione quibus poenis plectatur, pag. 414 et seq. - ab ordine, quibus plectitur poenis, pag. 416.

« *Apostolicae Sedis* ». — Constitutio Pii IX, refertur, pag. 577-582; - eius commentatio, pag. 413-536.

Auxilium praebentes — ad delictum, pag. 70; - quando poenas incurrant, pag. 75.

B

Baptismus — iteratus irregularitatem inducit, *(vide iteratio)* - item collatus ab haeretico, pag. 315.

Beccaria Caesar - eius systema poenale, pag. 11.

Beneficium — quoad suspensionem quaenam comprehendat, pag. 233.

Bigamia. — Quid sit, pag. 382 et seq, - quotuplex, pag. 383 et seq. - Quando habeatur bigamia vera, pag. 385-386; - quando bigamia interpretativa, pag. 386. - Quibusnam in casibus habeatur bigamia interpretativa, pag. 387-390. - Quando habeatur bigamia similitudinaria, pag. 391. - An irregularitas ex bigamia sit ex defectu vel ex delicto, pag. 391. - Quinam possit ab irregularitate ex bigamia dispensare, pag. 392.

Brachio saeculari — traditio clericorum, pag. 78.

C

Canonis — privilegium, pag. 533-534. - Quando excommunicatio canonis sit reservata, pag. 434-435. - Species quaedam privilegii canonis per personas ecclesiasticis dignitate polentes, pag. 531-532; - pro officialibus S. Officii, pag. 535-536.

Cardinales S. R. Eccl. — non incurrunt censuras nisi nominentur expresse, pag. 151. — Irregularis ex defectu natalium neque legitimatus fieri potest Cardinalis, pag. 336.

Carrara. — Eius systema poenale, pag. 14.

Casus — Quid sit, pag. 64; - nec cum culpa imputatur, pag. 65.

Cautio — in absolutione a censuris, pag. 195.

Censura. — Quid apud Romanos, pag. 124. - In Ecclesia usque ad Innocentium III, *ibid.*; - postea, pag. 125. - Definitio, pag. 91. - Distinguitur a poena vindicativa, pag. 90, - complectitur excommunicationem, suspensionem, interdictum, pag. 127. - Est poena negativa vel mixta, pag. 131; - medicinalis, *ibid.*; - gravis; ad tempus indeterminatum, pag 132; - in contumacem, *ibid.* - Esse potest valida in foro externo, invalida in interno, pag. 139. - Plures censurae cumulari possunt in eodem subiecto, pag. 151; - etiam eiusdem speciei pag. 152.

Distinguitur *a iure* vel *ab homine*, pag. 142; - *latae* vel *ferendae sententiae*, pag. 144; - pura vel conditionata, pag. 139. - Quid de censura data per sententiam universalem, pag. 143, - an censura *a iure* fiat *ab homine* per denunciationem vitandi, pag. 178. Quis infert censuras, pag. 142; - an Vicarius Generalis possit, et iudex delegatus, pag. 146. - Subiectum passivum: Christi fidelis, pag. 147; subditus, pag. 148; - nec mortuus, nec impubes, pag. 149; - nec Episcopus, Praelatus, Cardinalis S. R. Eccl. nisi

exprimatur, pag. 150; - nec ens morale, pag. 149; nec persona incerta, pag. 150.

Ad validitatem censurae quid requiratur ex parte peccati, pag. 132; - causae, pag. 137; - iudicis et legislatoris, *ibid.*; - processus iudiciarii, pag. 138; - metus in iudice non invalidat censuram, pag. 146; - in delinquente an excuset, pag. 150. - Quando incurritur censura, pag. 135; - quomodo cessat, pag. 170 et 176, (*vide* absolutio).

Censura librorum — quando et ubi requiratur, pag. 466. - Nulla praescribitur solemnitas, pag. 466. - Effectus omissae debitae censurae, pag. 467. - De iis qui praepositi sunt censurae librorum, pag. 467-473. - De censorum officio in examine librorum, pag. 473-475. - Quinam teneantur subesse praeviae censurae pag. 475-478-480. Quinam libri et quaenam scripta legi censurae subsint, pag. 475-477. - Officium typographorum et editorum quoad libros subiectos censurae ecclesiasticae, pag. 481-484..

Cessatio a divinis. — Quid, pag. 227; - differt ab interdicto, *ibid.*; - est generalis vel particularis, pag. 228; quomodo statuatur ac cesset, pag. 229; differt a pollutione Ecclesiae (*vide* pollutio).

Communicatio — cum haereticis et acatholicis utrum prohibeatur, pag. 490 et seq.; - nonnullae prohibitiones ex iure speciali, pag. 491. - Communic. cum Iudaeis pag. 492; cum Saracenis, pag. 492-493.

Communio. — Multiplex prioribus temporibus, pag. 126; - communio peregrina, pag. 259.

Competentia — poenalis Ecclesiae, pag. 6; - obiectum, pag. 76.

Competentiae beneficium — invocari nequit a suspenso a beneficio, pag. 246.

Conatus — ad delictum quid sit, pag. 25.

Congregationes. — Quaenam dispensant super irregularitates, pag. 302.

Consulentes — crimen, quinam sint, pag. 74; - poena tenentur, pag. 71.

Contumacia. — Quando adsit, pag. 215; - ad censuram, pag. 132; ad reincidentiam, pag. 171.

Corporis defectus — irregularitatem inducit, pag. 366. - Irregularitas impropria, pag. 367. - Quibus regulis moderentur hae irregularitates etiam quoad dispensationem, pag. 368. - Quinam iudex de adiunctis facti, pag. 370. - Defectus potiores; morbus epilepticus, pag. 371; - pusillitas staturae, pag. 373; - deformitas corporis, pag. 374; - caecitas pag. 377; in manibus, pag. 378; in pedibus et cruribus, pag. 380.

Correi in delicto. — Quinam, pag. 68. - Principales, accessorii, pag. 69. - Qua poena teneantur, pag. 70. - Bibliographia huius quaestionis, pag. 73, *nota.*

Crimen. — (*Vide* delictum). - In crimine criminoso communicare quid sit, pag. 201.

Culpa iuridica. — Quid, pag. 64. - In iure criminali quotuplex, pag. 65. — Etiam theologica levis sufficit interdum ad irregularitatem, pag. 290.

D

Damnum — in delicto, pag. 34. - Mediatum et immediatum, pag. 35.

Dataria. — Dispensat ab irregularitatibus, pag. 302.

Decretum inhibitorium. — Quid sit, pag. 252.

Defensores reorum. — Quinam, pag. 70.

Degradatio. — Est poena, pag.

258. - Antiquitus non differebat a depositione, *ibid.* - Quando dari possit, pag. 260 - Qua forma, pag. 261.

Delictum. Est ens iuridicum, pag. 19. - Aliud *publicum*, aliud *privatum*, pag. 35. - Non differt a crimine, pag. 21 *nota.* - Quid sit in Iure Can., pag. 21. - Differt a delicto civili, pag. 22; - a peccato, pag. 23. - Distinguitur in: non consummatum, consummatum, frustratum, pag. 26; - publicum et occultum, pag. 24 et 305; - sive materialiter sive formaliter, pag. 166, *nota;* - aliud completur in actu, aliud tractum habet successivum, pag. 132 et 152, *nota*, Elementa delicti: actio externa, pag. 24; - dolus (*vide* dolus); - damnum (*vide* damnum). Quantitas; qualitas, gradus delicti, pag. 38.

Dementia. — Aufert imputabilitatem, pag. 44.

Demoniaci. — Non ordinandi, pag. 361.

Denunciatio. — Requiritur ut censuratus fiat vitandus, pag. 130; - differt a sententia declaratoria, pag. 135.

Denunciatio librorum pravorum — a quibusnam sit facienda pag. 462-463; - cui sit facienda, pag. 463; - modus quo fieri debet, *ibid.* - Officium Ordinariorum quoad denunciationem librorum, pag. 464-465.

Depositio. — Quid, pag. 257.

Depositarius mulctarum — pag. 268.

De vehementi — suspectus, quis dicatur, pag 216.

Diaria. — *Vide* Ephemerides.

Dispensatio. — Differt ab absolutione, pag. 154; - est actus gratiae, pag. 155; — a poenis, pag. 154; - ab irregularitatibus, pag. 300; - in foro interno aut externo, pag. 157 et 308; pure et sub conditione, pag. 170; - non tamen conceditur *ad reincidentiam*, pag. 171.

Dispensandi facultas cui competat generatim, pag. 155; in poenis a iure, pag. 161; - ab homine, pag. 162; - non continetur in generali mandato iurisdictionis, pag. 156; - speciales facultates Ordinariorum, pag. 165. - Ab irregularitatibus dispensat Summ. Pontifex, pag. 302; - per quaenam dicasteria, *ibid.*; - Episcopi in irregularitate ex delicto occulto, pag. 304; an Vicarius generalis et capitularis, pag. 306; - an Superiores et confessarii Regularium. pag. 307. - Regulae in dubio de potestate dispensandi, pag. 307.

Dispensatio datur in forma gratiosa vel in forma commissoria, pag. 302.

Disputatio — cum haereticis quotuplex, pag. 491. — An permissa, pag. 491-492.

Dolus. — Quid, pag. 38. - Causae tollentes dolum, pag. 39.

Dubium — in poenis decernendis, pag. 117; - in censuris quoad absolutionem, pag. 196; - in irregularitatibus dispensandis, pag. 295. - In dubiis irregularitatibus dispensare potest Episcopus, pag. 306.

E

Ebrietas. — Quid; quotuplex, pag. 52. - Quando auferat dolum in delicto, pag. 53.

Edentes leges aut decreta — contra libertatem aut iura Ecclesiae, quinam sint, pag. 510. - Poenae quibus plectuntur, pag. 509-510.

Editio textus originalis S. Scripturae — ab acatholicis facta prohibita est, pag. 435; - utrum omnibus, pag. 435-437. - Editio antiquarum versionum, *ibid.* - Aliarum versionum, non tamen lingua vulgari, pag. 438. - Editio versionum lingua vulgari prohibetur, pag. 438; - an semper, pag. 438-439.

Eleemosynae Missarum. — An auferri possint in poenam, pag. 269, *nota.*

Ephemerides. — Quid sint, pag. 432. - Impetentes data opera religionem aut bonos mores naturali et ecclesiastico iure proscribuntur, pag. 455-458. - Nemo e catholicis huiusmodi ephemeridibus quidquam publicet, nisi suadente iusta et rationabili causa, pag. 458-459.

Episcopus — in quibus dispensare, absolvere possit, (*Vide* dispensatio, absolutio). - Subiacet censuris, quando, pag. 150. - In Regulares an possit ferre censuras, pag. 151, *nota.*

Error. — Differt ab ignorantia, pag. 54.

Excommunicatio. — Notio, pag. 198. - Definitio, pag. 199. - Minor abolita, pag. 200. Est semper censura, pag. 203. - A quibus bonis arceat, pag. 204. - Simplex, anathema, maranatha, pag. 203. - Alia vitandum facit, alia toleratum, pag. 205. - Quando irregularitatem inducat, pag. 215. - Utrum suspendi possit, pag. 136. - An dari in mortuos, pag. 149.

Excommunicatus. — Vitandus, pag. 205; - a quibus bonis arceatur, pag. 208; - num a praedicatione verbi Dei, pag. 208; - a poenitentia, pag. 209; - a sacramentis, pag. 209. - Repellitur a gratiis Pontificiis, pag. 210. - Nequit ministrare sacramenta, pag. 211; - conferre beneficia, *ibid.* - Cum eo communicandi, quaenam excusent causae, pag. 214.

Toleratus, pag. 205; - a quibus bonis arceatur, pag. 207. - Quando sacramenta ministrare possit, pag. 212. - An consequi et retinere beneficia, pag. 213, et *nota.*

Exercitium ordinum vetitum. — Inducit irregularitatem, pag. 317 (*Vide* Ordo).

Expositi — infantes num illegitimi, pag. 332.

F

Facultas — legendi et retinendi libros prohibitos est necessaria, pag. 459. — A quibus concedi possit, pag. 459-462.

Falsarius — litterarum Apostolicarum, pag. 512. — Quibus modis quis falsarius evadit, pag. 513. - Quibus poenis plectatur, pag. 513-515.

Familiaritas. — Episcopus proprius ratione familiaritatis dispensare nequit a defectu natalium, pag. 304 et 340.

Fautores reorum — sunt conrei accessorii, pag. 70. - Haereticorum quinam infamiam incurrant, pag. 355.

Fides. — Ex eius defectu quinam repellantur ab ordinibus, pag. 363.

Filius illegitimus. — Est irregularis. (*Vide* illegitimi).

Folia. — (*Vide* Ephemerides).

Forma Ecclesiae consueta — absolvendi quaenam sit, pag. 194. — Dispensationum, pag. 302.

Forum Ecclesiae — duplex, pag. 23. - Historia, pag. 81. - Internum, *sacramentale* vel *conscientiae*, pag. 157; mixtum, pag. 77. - Fori privilegium, pag. 78.

H

Haeresis. — Irregularitatem producit. An ex defectu vel ex delicto, pag. 351. - A quibus incurritur, pag. 354. - Complices, pag. 355. - Haereticorum filii, pag. 356. - Quis dispensare possit, pag. 357.

Haeretici. — Quinam sint, pag. 417 et seq. - De haereticis quatenus detrahunt civili tranquillitati christianarum civitatum, pag. 418-419. - Poenae in haereticos et eorum complices, pag. 417-419. - Libri haere-

ticorum utrum prohibiti sint, pag. 434-435.

Homicidium. — Quid sit, pag. 394 et seq. - Ex homicidio duae species irregularitatis, pag. 395; - quae tamen non contrahuntur nisi effectu sequuto, pag. 394 et seq. - Irregularitas ex delicto oritur ob factum privatum plene voluntarium homicidii; secus oritur irregularitas ex defectu lenitatis, pag. 395. - Factum homicidii est voluntarium aut casuale aut necessarium; publicum aut privatum, pag. 395 et seq. - De facto homicidii culposo indirecte voluntario, pag. 396 et seq.

Ex homicidio ob necessitatem patrato irregularitas non incurritur. In dubio tamen an quis servaverit limites inculpatae tutelae, irregularitas declaratur incursa, pag. 399 et seq.

Quinam conrei homicidii contrahant irregularitatem, pag. 401 et seq. - Quando et quanam ratione irregularitatem incurrant clerici vel monachi chirurgiam exercentes, pag. 403 et seq.

De homicidio in bello perpetrato, et quando pariat irregularitatem, pag. 409 et seq. - Quinam possint dispensare ab irregularitate ex defectu lenitatis et ex delicto, pag. 410.

Hypnotismus. — Num illicitus per se, pag. 47. — An excuset a crimine, *ibid.*

I

Ignorantia. — Quid; differt ab errore, pag. 54. - Quotuplex, pag. 55. - Iuris et facti, pag. 56. - Quae excuset a poena, pag. 57; - ab irregularitatibus, pag. 294.

Illegitimi. — Quinam filii illegitimi sint, pag. 332; - quinam legitimi, pag. 331 et 333; - expositi, pag. 332. - Filii illegitimi presbyterorum, pag. 338.

Illegitimitas — natalium parit irregularitatem, pag. 329; - ex defectu, *ibid.* - Eius origo ac historia, pag. 330. - Aufertur: per subsequens matrimonium, pag. 333; - per dispensationem, pag. 334; - eius vis, pag. 335; - forma rescripti, pag. 336. - Quis dispensare possit, pag. 337; - an Episcopi, pag. 339; - Praelati Regulares, Vicarius Generalis aut Capitularis, pag. 340. - Cessat etiam per professionem religiosam, pag. 341.

Impedimentum — adeundi superiorem quoad absolutionem quotuplex, pag. 148.

Impedimentum — ab ordinibus (*Vide* irregularitatem).

Impedientes — exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, quinam sint, pag. 503 et seq. - Quibus modis hoc praestare possint, pag. 504-507. - Impedientes exercitium iurisdictionis iudicialis, pag. 507-509. - Impedientes acta Curiae Romanae, pag. 510-512.

Imperitia. — An excuset a delicto, pag. 66.

Impuberes. — Quinam: quibus poenis subiiciantur, pag. 40. — An irregularitates incurrant, pag. 293.

Imagines — sacrae quomodocumque impressae ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur, pag. 450-451. - Novae vero absque licentia ecclesiastica publicari non debent, *ibid.*

Inadvertentia. — Comparatur ignorantiae invincibili, pag. 63.

Indignatio — SS. Apost. Petri et Pauli est quaedam deprecatio, pag. 265, *nota.*

Indulgentiae — apocryphae, proscriptae, aut revocatae divulgari non debent, pag. 452. - Libri indulgentiarum ne absque licentia publicentur, *ibid.*

Infamia. — Quid, pag. 342; - facti, pag. 343; - iuris, *ibid.* et pag. 345, *nota*: - haec an reiicienda, pag.

344. - Differt a poenis infamantibus, pag. 345 - Est *fer. sent.*, vel *lat. sent.*, pag. 346. - Ipso iure quando incurratur, pag. 348. - An ex delicto oriatur, an ex defectu, pag. 349. - A quo dispensetur, pag. 350.

Infamia facti quomodo incurratur, extinguatur, pag. 350; - an per exercitium viliorum officiorum, pag. 358.

Infantes — poenis non subiiciuntur, pag 40.

Informata conscientia — (Ex) suspensio, pag. 309. - Eius violatio an irregularitatem inducat, pag. 323.

Inhabilitas — ad officia et beneficia, vel ex inidoneitate, pag. 250; - vel ex poena, pag. 251.

Inhibitorium decretum. — Quid, pag. 252.

Insordescentia. — Quid, pag. 215. - Quotuplex, *ibid.* - Annalis non privat ipso iure officiis et beneficiis, pag. 217.

Interdictum. — Definitio, pag. 218. - Est censura, poena, privatio, pag. 204 et 220. - Est personale, locale, mixtum, seu deambulatorium, pag. 219-220. - Interdictum personale vel est speciale vel generale, pag. 220 et *nota.* - Natura interdicti personalis specialis, *ibid.*, - an reddat vitandum, pag. 225; - eius species est interdictum ab ingressu Ecclesiae, pag. 222. - Interdictum personale, gen. et locale an sint censura, pag. 220, *nota*, et 223; - denunciari debent ut obligent, pag. 224.

Poenae in violantes interdictum, pag. 225. - Quaenam interdicto durante permittantur, pag. 226. - An suspendi possit interdictum, pag. 136.

Interpellare. — Lex interpellat pro homine in censuris lat. sent., pag. 131.

Interpretatio — in legibus poenalibus: eius regulae, pag. 118. - Declarativa stricte fieri debet, pag. 120. - Extensiva non admittitur, pag. 121. - Extensio comprehensiva vix intelligitur, *ibid.* - Restrictiva quando, *ibid.*

Intestabiles. — Quinam erant, pag. 266, *nota*

Irregularitas. — Nomen, pag. 275. Definitio, pag. 276; - Iure Decr., pag. 277; - ex delicto vel ex defectu, pag. 279; - vel ex utrisque, pag. 382. - Irregularitas mentalis quid, pag. 309. - Quid impropria, pag. 280, et 284. - Irreg. est individua, pag. 280; - perpetua, pag. 284; - non incurritur nisi expressa in iure, pag. 315; - an sit poena, pag. 278 et 282 *nota.* - Quomodo discernatur a suspensione, pag. 287. - Eius effectus quoad ordines, pag. 284; - quoad beneficia obtinenda, *ibid.*, - obtenta, pag. 287.

Quinam subiiciantur irregularitatibus, pag. 289: - Episcopi et Cardinales, pag. 290. - inscii aut inviti, *ibid.*; - impuberes, pag. 293. - Causae excusantes: an ignorantia, pag. 294; - dubium, pag. 296; - an culpa sufficiat absque dolo, pag. 293; - an theologice levis sed externe gravis, pag. 290.

Incurritur ipso facto, pag. 288. - An plures irregularitates ab eodem subiecto incurri possint, pag. 298.

Aufertur: non poenitentia nec lapsu temporis, pag. 284; - sed legis abrogatione, vel dispensatione Sum. Pont., pag. 301. - Per quaenam dicasteria, pag. 302. - Dispensatione Episcopi in occultis, pag. 304; - in necessitate, in dubiis, pag. 306; - non Vicarii Gen., pag. 304, - sed Capitularis, pag. 306; - Regularium Praelati, pag. 307. - Regulae quoad vim dispensationis, pag. 307. - Aufertur etiam per causam extrinsecam extraordinariam, pag. 300; - per professionem religiosam; pag. 301; - an per baptismum, *ibid.*

Irregularitas impropria vel ex defectu famae (*vide* infamia); vel status iuridici (*vide* fides, et pag. 359); corporis (*vide* corpus); - aufertur etiam lapsu temporis, pag. 300, *nota.*

Irritatio actorum. — Utrum sit poena, pag. 266, *nota.*

Iteratio baptismi — causat irregularitatem, pag. 312; - est ex delicto, pag. 314; - quando, a quibus incurritur, pag. 313; - a quibus rebus prohibeat, pag. 314; - an bona fides excuset, pag. 316.

Iudicium sanguinis. — Quid, pag. 405. - Parit irregularitatem ex defectu, *ibid.* - Omnes qui proximam et efficacem in iudicio partem habent sponte susceptam, eo consilio ut reus luat poenam mortis aut mutilationis publica auctoritate constitutam, fiunt irregulares, pag. 405-406 - Quaenam in specie ex personis quae in iudicio partem habent, fiant irregulares, pag. 406; - quaenam non, pag. 407-409.

Ius criminale. — Eius obiectum, pag. 3. - Historia secundum Carrara, pag. 77, *nota.* - Ecclesiasticum. Ordo tractationis, pag. 4.

L

Lex poenalis. — Est odiosa, pag. 118. - Datur interdum favorabilis, pag. 119. - Ex pluribus mitior est applicanda, pag. 120. - An habeat vim retroactivam, *ibid.* - Eius interpretatio (*vide* interpr.).

Libellus — ad dispensationem irregularitatis quomodo exarandus, pag. 303.

Liber. — Quid sit, pag. 431. - Libri detrahentes Deo, aut B. M. Virgini, vel Sanctis, aut catholicae Ecclesiae, eiusque cultui, vel sacramentis, aut Apostolicae Sedi, prohibiti sunt, pag. 441-443. - Idem dicendum de libris, in quibus inspirationis S. Scripturae conceptus pervertitur, aut extensio nimis coarctatur, *ibid.* - Idem de libris, qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiant, pag. 441, 443, 444.

Nefas est libros edere, legere, aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur aut commendantur, pag. 444. - Libri narrantes novas apparitiones, revelationes etc.; vel novas inducentes devotiones, si absque licentia ecclesiastica publicentur, proscribuntur, pag. 444-446. - Libri qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt, vel, qui sectas massonicas utiles dicunt, prohibiti sunt, pag. 446-449. - Libri liturgici in quibus aliqua mutatio facta fuerit, prohibiti sunt, pag. 453-454. - Libri precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae publicari non debent praeter licentiam eccles., secus prohibiti sunt, pag. 454-455. - Libri obsceni (*Vide* obsceni). - Quoad prohibitionem, censuram, denunciationem librorum, (*vide* rubricas speciales).

Libertatis defectus — irregulares facit servos, pag. 359. - Obligati ad ratiocinia reddenda, pag. 260. - Demoniaci, pag. 361. - Milites, pag. 362.

Lipemania. — Quid, pag. 44, *nota.*

Litaniae — omnes praeter antiquissimas non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii, pag. 454-455.

Lucida intervalla — pag. 44 et *nota.*

M

Mandans. — Conreus principalis, pag. 69; - ad quid teneatur per se, pag. 74; - si mandatarius excesserit fines mandati, pag. 71 *nota.*

Mandatis Ecclesiae. — Quid sit stare mandatis Eccles.; et quinam stare debent, pag. 191. - Est clausula ad monitionem, non ad conditionem, pag. 195.

Maranatha — (*Vide* excommunicatio).

Metus. — Quid, pag. 48. - Quando

excuset a crimine, pag. 49; - a censura, pag. 150.

Missa. — Quando offerre liceat pro excommunicatis, pag. 206; - pro tolerato, pag. 207. - Praeceptum Missam audiendi non obligat excommunicatum, pag. 208, *nota.*

Moderamen inculpatae tutelae — excusat a crimine, pag. 48.

Monitio canonica — ante censurae irrogationem praemittenda, pag. 133; - decreto insordescentiae, pag. 215.

Mulcta — est poena, pag. 266. - Mulctarum depositarius, pag. 268.

Mutilatio — pag. 394.

N

Naturales filii — (*Vide* illegitimi).

O

Obligati — ad ratiocinia reddenda non sunt ordinandi, pag. 360.

Obsceni — (libri) qui ex professo res lascivas seu obscenas pertractant omnino prohibentur, pag. 439-440. - Qui vero non ex professo, possunt prohiberi iure naturali, *ibid.* - Libri classici obsceni utrum prohibeantur, pag. 440-441.

Officium — opponitur beneficio. Quid comprehendat, pag. 233. - Ab officio suspensio - (*Vide* suspensio).

« Officiorum ac munerum » — Constitutio Leonis XIII de prohibitione et censura librorum refertur, pag. 552-563. - Eius commentatio, pag. 433-488.

Ordinatus — a schismaticis vel haereticis, quibus poenis plectatur, pag. 500.

Ordo poenarum — ferendarum, (*Vide* poena).

Ordo sacer. — Ex vetito ordinis exercitio irregularitas inducitur, pag. 317: - 1° ab exercitio in ordine non suscepto, *ibid.*; - casus potiores pag. 319; - an ex ioco, ex simulatione, pag. 318; - 2° ab exercitio ordinis in censura, pag. 321; - sub simplici prohibitione poenali, pag. 324. - Exercitium ordinis non est susceptio; nec ordinis nomine venit tonsura, pag. 325: - 3° a celebratione in loco nominatim interdicto, vel a persona interdicta, pag. 225 et 326.

Ordo tractactionis — totius operis, pag. 3.

P

Peregrini — poenas alienae dioecesis non incurrunt, pag. 148 *nota.*

Periodici — (libelli) quid, pag. 432. - Libelli periodici qui religionem aut bonos mores data opera impetunt prohibiti sunt, pag. 455-459.

Poena — in societate civili; - eius fundamentum apud veteres, pag. 10; - nostra aetate, pag. 12. - Fundamentum remotum, pag. 16, *nota.* - Est semper *a iure, fer. sent.*, pag. 113.

In Ecclesia: fundamentum proximum, pag. 8-17-80. - Lato sensu significat poenitentiam, censuram, poenam vindicativam, pag. 87. - Poena esse debet iusta, pag. 92; - personalis, proportionata crimini, pag. 93. - An geometrice, arithmetice, vel armonice, pag. 88. - Iuxta mores populi et reparabilis, pag. 94.

Distinguitur *a iure* vel *ab homine*, pag. 96; - *latae sent.*, vel. *fer. sent.*, pag. 30 et 106. - Criteria distinctionis in casibus concretis; pag. 107. - Poena conventionalis, pag. 105.

Ex parte effectus habetur poena positiva, pag. 109; - quae non tenet ante sententiam declaratoriam, pag. 110: - valet a momento criminis, pag. 111. - Negativa, pag. 109; - quae tenet ante sententiam, pag. 111 et 115. - Mixta, pag. 109, quae non tenet ante sententiam iudicis nisi in censuris, pag. 114.

Ordo in poenis inferendis quinam sit, pag. 271. - Effectus poenae quinam, pag. 94. - Poena consistit vel in castigatione corporis, pag. 94; - vel in privatione iurium, *ibid.* - Ecclesia abhorret a sanguine, pag. 95. - Poenae infamantes, pag. 345. - Cessat per dispensationem (*vide* dispensatio); - per absolutionem (*vide* absolutio); - per adimplementum conditionis, pag. 170. - An suspendi possit, pag. 172.

Poena vindicativa in Ecclesia, quid, pag. 90 et 259. - Definitio, pag. 91. - Quae bona auferat, pag. 251.

Poenitentia — prout sacramentum, pag. 83; prout remedium poenale: definitio, pag. 90. - Publice an frequentetur adhuc, pag. 91.

Pollutio. — Ecclesiae quid, pag. 229. - Ecclesiae reconciliatio, pag. 230.

Privatio poenalis — beneficii vel officii, pag. 252; - differt a degradatione vel depositione, pag. 257; - fructuum beneficii, pag. 255; - vocis activae vel passivae, *ibid.*; sepulturae ecclesiasticae, pag. 265.

Prohibitio — librorum. - Quodnam sit ius hodie vigens, pag. 424 et seq. - An hac de re vigeant consuetudines particulares, pag. 425 et seq. - Ad quaenam se protendat decretum prohibitionis, pag. 428-430. - De prohibitione absoluta et relativa, pag. 430; - vi iuris naturalis aut positivi humani, pag. 431; - decretis generalibus aut nominatim, pag. 459. - Quibus poenis plectantur legentes vel retinentes libros prohibitos, pag. 485, 488.

Purgatio — contumaciae, pag. 216.

Q

Quasi-delictum. — Notio, pag. 63. - Eius elementa, pag. 64.

R

Ratihabitio — delicti, pag. 75.

Rebaptizans, rebaptizatus — quando irregulares, pag. 313.

Receptatores — rei, sunt conrei, pag. 70. - Poena mulctandi, pag. 75.

Recursus — quando locum habeat, pag. 155.

Reincidentia — in censuris, pag. 170.

Remotio oeconomica. — Quando locum habeat in beneficiis curatis, pag. 253. - Ratio procedendi, pag. 256, *nota.*

Reservatio. — Quid, pag. 153; - in poenis, in censuris, pag. 156; - in reservatis peccatis cum censura quid principalius, pag. 156, *nota.* - Quomodo cessat, pag. 209, (*vide* absolutio).

Rossi — Pellegrinus. - Eius systema poenale, pag. 13.

S

Schismatici — quinam dicantur, pag. 421-497. - Quomodo dividantur, pag. 497-499. - Poenis quibus plectuntur, pag. 499. - Utrum libri schismaticorum prohibeantur, pag. 434-435. - De absolutione schismatici in bona fide, pag. 493-494, *nota.*

Scriptores — Iuris Crimin. pag. 9, *nota.*

Sententia — poenalis est condemnatoria vel declaratoria, pag. 106; - cur haec requiratur, pag. 108; - quando, pag. 109; - in poenis positivis, pag. 110; - in negativis, pag. 111 et 115; in mixtis, pag. 113; - in censuris, pag. 134. - Vis clausulae « ante quamcumque sententiam iudicis declaratoriam », pag. 114.

Sepultura ecclesiastica — quid sit, pag. 264. - Quinam hoc iure priventur, pag. 265.

Sequestrare — quid sit, pag. 519. - Sequestrantes bona aut reditus eccl.

plectuntur excommunicatione spec. modo Papae reserv., pag. 516. - Quidnam requiratur ad hanc excommunicationem incurrendam, pag. 520.

Servi — non ordinandi sunt, pag. 359. - An etiam servi glebae, pag. 360.

Socii — in crimine quinam sint, pag. 71.

« *Sollicita ac provida* ». — Constitutio Bened. XIV, de censura librorum, pag. 564-576.

Somnus — excusat a delicto, pag. 45. - Somnambuli, somniloqui, *ibid.*

Status personarum — quotuplex in Ecclesia, pag. 239, *nota.*

Suspensio — quid, pag. 231. - Definitio, pag. 232. - Differt a privatione, a depositione, *ibid.* - Vel censura est vel poena, pag. 204; - in dubio, pag. 232, *nota.* - Datur ab officio, pag. 233. - An teneat pro omnibus locis, officiis, pag. 239. - Vel a beneficio, pag. 233 et 242. - An sit censura, pag. 244. - Quae loca, beneficia pertingat, pag. 243. - A divinis, pag. 233. - A iurisdictione, pag. 235. - Ab ordine pontificali et ab usu pontificalium, pag. 237 et 238, *nota.* - A fructibus percipiendis, pag. 245. - Ab administratione, pag. 247. - Suspensio ad cautelam, pag. 239.

An teneat personas morales, pag. 247. - Violata suspensio inducit irregularitatem, (*vide* ordo). - An sit invalida collatio ordinum suspenso facta, pag. 240.

Suspicionis — exceptio, pag. 146.

T

Talionis — lex, pag. 88.

Tolerantia — haereticorum utrum et quaenam permittatur, pag. 489. - Utrum scholae et collegia mixta ex catholicis et haereticis tolerari possint, pag. 490.

Tolerati — censurati quando primum inducti, pag. 129. - Quinam dicantur, pag. 131, (*vide* excommunicatus).

Transgressio. — Eius notio, pag. 19. - Differt a delicto, pag. 66. - Quid in Iure Can. pag. 20 et 67.

U

Usurpantes — iurisdictionem ad personas eccles. pertinentem quomodo puniantur, pag. 516-517; - ditionem civilem Ecclesiae Rom. pag. 525-528; - bona aut reditus ecclesiasticos, pag. 516-522.

V

Vagi — quibus poenis teneantur, pag. 148.

Violentas manus — iniicientes in clericos, etc. (*vide* canonis privilegium).

Vis — quid, pag. 48. - An detur vis irresistibilis, pag. 50.

Vitandi — censurati, pag. 130. - Quaenam valide, quaenam invalide agant, pag. 131.

INDEX RERUM

QUAE

IN QUARTO - DE IUDICIIS - VOLUMINE CONTINENTUR

A

Abolitio. — Quid sit, pag. 249. - Est *generalis, specialis, legalis, ib. sq.* - Quomodo abolitio locum habeat in iure ecclesiastico, pag. 250 sq.

Abortus. — Procurantes *abortum* qui sint et quibus poenis puniantur, pag. 79 sq. - Quid de matre quae ipsa sibi procurat *abortum*, pag. 81.

Absentia. — Quomodo suppleri possit legitima absentia *defensoris matrimonii ex officio* in causis matrimonialibus, pag. 474.

Absolutio. — Est quidam modus quo cessat actio criminalis, pag. 249 sq.

Absolvens. — Absolventes complicem in peccato turpi qui sint et quamnam censuram incurrant, pag. 6. - Excommunicatione mulctantur qui sine facultate absolvunt a censuris in Const. « Apostolicae Sedis » reservatis, pag. 124.

Accusatio. — *De accusationibus*, pag. 153 sq. - Accusationi praecedere debet experimentum emendationis, pag. 206 - et si non ex iustitia saltem ex charitate praemittenda monitio charitativa, pag. 207. - De accusatione in processu pure inquisitivo, pag. 241. - Partialis criminis *contestatio* facta inquisito, occasione examinis, est exordium accusationis, pag. 388. - An exinde instauretur nova instantia, pag. 389.

Utrum iudex recusare possit accusationem excipere in matrimonium, pag. 472. - De his qui matrimonium accusare possint, pag. 480 sq. - Ius accusandi matrimonium non semper competit cuique de populo, sed aliquando tantum utrique coniugi aut etiam ex his alteri, pag. 481. - Accusare competit tantum coniugibus: 1) ex capite impotentiae; 2) pro obtinenda dispensatione a matr. rato et non consummato, *ibid.* - Accusatio non semel competit tantum uni ex coniugibus, *ib. sq.* - In nonnullis tamen ex hisce casibus cuique de populo, si non vera accusatio, competit denunciatio, pag. 484. - In reliquis casibus cuique de populo competit accusatio, et curiae competit inquisitio ex officio, *ib.* - Matrimonium contrahendum accusant qui denunciant impedimenta, pag. 485. - Impedimentum ex obligatione *sponsalium* dumtaxat sponsi opponere valent, *ib.* - Quomodo lis inter sponsos componenda sit, pag. 486. - Quomodo sint excipiendae accusationes in matrimonium, pag. 496.

Accusator. — Agit personam actoris in iudicio criminali, pag. 143.

- Accusator publicus vel est *civis privatus*, vel *magistratus* pro diverso systemate iudicii criminalis, pag. 145. - De accusatore in processu accusatorio, pag. 146. - Accusatoris definitio et munus, pag. 185. - Distinguitur non ex uno capite a denunciatore, *ib.* - Quinam possint esse accusatores, pag. 187. - Quomodo accusator explere debeat suum officium, pag. 189. - Quomodo in processu inquisitivo supplenda sit opera accusatoris, pag. 194 sq. - Infamia notoria quando suppleat munus accusatoris, pag. 195 sq. - An accusator necessario constituendus sit in processu inquisitivo, pag. 198. - Accusatores adhaerentes fisco qui sint, pag. 204. - Contumacia ex parte accusatoris aequivalet renunciationi accusationis, pag. 425 sq. - Pro rubrica tituli: *Qui matrimonium accusare possunt et contra illud testificari X* (IV, 18) aliquid singulare est in actore seu *accusatore*, ratione exercitii actionis matrimonialis, 465. - Causae matrimoniales instaurantur vel ad instantiam privati accusatoris vel ex officio, praevia inquisitione, pag. 481. - Praecipui casus exceptionis suspicionis in accusatorem matrimonii, pag. 484. Cf. *Accusatio.*

Accusatorius processus. Cf. *Processus.*

Accusatus — in processu accusatorio iuris romani, arbitrio magistratus, libera custodia fruebatur, pag. 150. - Quinam accusari possint, pag. 207. - An accusati responsiones in processu summario debeant tantum in scriptis exhiberi, pag. 405.

Actio. — *De Actionibus et Exceptionibus*, pag. 239 sq. - Actio *criminalis* definitur: *ius persequendi in iudicio poenam seu publicam vindictam adversus delinquentem*, *ibid.* - Iure canonico pressius actio criminalis est *ius persequendi omnimoda remedia poenalia sive praevenientia sive reprimentia*, pag. 240. - Promotor fiscalis debet accusare innixus cuidam actioni, *ib.* - Quomodo cesset aut extinguatur actio criminalis, pag. 248 sq. - Cf. *Transactio, Compositio, Praescriptio* etc. - Praeterea cessat actio criminalis morte accusati, pag. 262. - An perimatur instantia morte accusatoris, *ibid.* - Actionem *popularem* quis experiretur iure romano, pag. 149. - An et quomodo locum habeat iure canonico, pag. 244.

Acta — processus criminalis haec necessario continent: 1) accusationis contestationem; 2) probationes; 3) defensionem; 4) sententiam definitivam, pag. 169. - Haec partes necessariae expenduntur, pag. 236 sq. - Innuitur necessitas explicandi singulos actus processuales seu *telam* processus criminalis, pag. 341. - Acta processus summarii triplici vitio nullitatis inficiari possunt, ex defectu: 1) citationis; 2) iurisdictionis seu competentiae; 3) mandati, pag. 347. - Omnia acta originalia transmittenda sunt a iudice *a quo* appelletur, 415.

Actor. — In iudicio criminali actor fit accusator et inde movet ratio differentiae in diversis methodis processualibus, pag. 143. - Utrum et quando defensor matrimonii agat partes actoris, pag. 479. - Cf. *Accusator.*

Actuarius. — Necessario requiritur in iudicio criminali, pag. 217.

Adhaerentes fisco. — Qui sint, pag. 204. - Quomodo fiant actores in iudicio, pag. 242.

Admittentes — ad regimen Ecclesiae *praesentatos* aut *nominatos* ante praesentationem litterarum apostolicarum suspensionem incurrunt a perceptione fructuum beneficiorum Summo Pontifici reservatam, pag. 131.

Adulterium. — Late vel stricte accipitur, pag. 86. - Stricte est: *alieni tori violatio*. Est vel simplex et unilaterale, vel duplex seu bilaterale, *ib.* - Olim variae poenae constitutae erant in adulteros, *ib.* - Hodie

vigent nonnullae iuris privationes et obligatio indemnitatis praestandae, pag. 87. - De impedimento criminis, quod ex adulterio provenit, pag. 88.

Advocatus et Procurator. — Sunt personae accessoriae in processibus criminalibus, pag. 178. - Utrum reo pauperi necessario sint constituendi, pag. 181; - et quomodo constituantur, *ib.* - De advocato et procur. accusatoris, pag. 182. - Munus advocatorum est defensionem exercere reorum, *ib.* - An procuratores in re criminali admittendi sint, *ibid.* - Explicantur dispositiones iuris positivi ecclesiastici, p. 183. - De opera advocatorum aut procuratorum in genere quoad iudicia in formis summariis et oeconomicis, pag. 391.

Allegatum I. — Instructio pro ecclesiasticis curiis, quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum edita a S. C. EE. et RR. sub die 11 Iunii 1880, italice exarata quae tamen latine refertur iuxta versionem moderatorum Ephemeridis « Acta S. Sedis », pag. 571 sq.

Allegatum II. - Documenta pro causis matrimonialibus. — Constitutio Ben. XIV « Dei miseratione » in qua praescribitur ordo et forma in iudiciis causarum matrimonialium servandus, pag. 576 sq.

Allegatum III. - Documenta pro causis matrimonialibus. — Instructio « Cum moneat Glossa » edita a S. C. Conc. die 22 Aug. 1840 pro confectione processus in causis matrim., pag. 585 sq.

Allegatum IV. - Documenta pro causis matrimonialibus. — Instructio de iudicis ecclesiasticis circa causas matrimoniales. *Pars prima*: De Processu matrimoniali, pag. 592 sq. - *Pars altera:* De regulis servandis in tractandis causis matrim. in specie, pag. 598 sq. - *Art. I.* De impedimentis cognationis carnalis vel spiritualis, et affinitatis, *ib. sq.* - *Art. II.* De impedimento publicae honestatis, pag. 599 sq. - *Art. III.* De impedimento vis et metus, pag. 601 sq. - *Art. IV.* De impedimento ligaminis, pag. 604 sq. - *Art. V.* De impedimento impotentiae, 608.

Allegatum V. - Documenta pro processu status liberi ad matrimonium ineundum. — Instructio S. et U. Inquisitionis, iussu Clementis X Ordinariis locorum aliisque praescripta, qua utantur ad legitime cognoscendum admittendumque statum liberum eorum, qui matrimonium contrahere velint, pag. 609 sq. - Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in Curia Emi et Rmi Card. Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum, pag. 610 sq. - *Circa probationem obitus coniugis:* Instructio S. Off. a. 1868, pag. 616 sq.

Allegatum VI. — Formulae quibus concipi possunt acta in iudiciis vel causis criminalibus, pag. 621 sq.

Aperitio. — Quando fiat locus reassumptioni vel aperitioni processus matrim. pag. 507.

Apostoli. — Iudex a quo appellatur, per apostolos seu per litteras *dimissorias* explicat suam agendi rationem, pag. 417.

Apparitor Curiae. — Qui sit et quomodo possit suppleri eius defectus, pag. 370.

Appellatio. — In gradu appellationis servari debet forma summaria, si haec servata fuerit in prima instantia, pag. 266. - Ab incidenti sententia in genere nequit appellari per remedium ordinarium, si gravamen corrigi possit per definitivam, pag. 330. - Appellatio alia est principalis, alia incidens, sed praeter eas adsunt in sententias remedia extraordinaria, pag. 332. - Decendium ad appellandum decurrit a die habitae de sententia notitiae per cursorem, pag. 333. - Cuicumque per se et in omnibus causis permissum est appellare, pag. 334.

- Quando ex iure positivo non competat appellatio, pag. 335. - De effectibus vel *suspensivo* vel *devolutivo* appellationis, *ib. sq.* - Per recursum seu appellationem extraiudicialem impeti possunt remedia poenalia extraiudicialia, sed cum effectu tantum devolutivo, pag. 361. - Cui appellationi Curia deferre debet, probando apud superiores suam agendi rationem, pag. 362. - De processu servando in causa appellationis, pag. 412 sq. - Ea interponitur apud iudicem, ratione *gradus hierarchici* competentem, *ib.* - Hodie solet appellari in *secunda* instantia ad S. Cong. EE. et RR. *ib. sq.* - *De fatali* ad appellandum; quando decurrere incipiat, pag. 413. - Ad quemnam iudicem appellandum sit, pag. 415. - *De fatali* ad prosequendam appellationem, pag. 416 - Condemnatus appellans constituit defensorem *ib.* - Sententia appellata defenditur a promotore fiscali, et iudex *a quo* per *apostolos* seu *litteras dimissorias* explicat suam agendi rationem, pag. 417. - De appellatione incidenti, quae, ab una parte instaurata, alteri iuvat, *ib.* - Quando et quomodo perimatur appellatio *ib. sq.* - In causa appellationis observatur processus oeconomicus, pag. 418 sq. - Sed habita ratione obiecti appellationis, apud iudicem *ad quem* nonnulla tantum acta expleri oportet. Quidnam in sententiam appellatam iste iudex edicere intendat, pag. 419. - In processu appellationis facienda est *contestatio, ib.* - An novae probationes sint admittendae, pag. 420. - Appellationis processus apud S. Cong. EE. et RR. regitur decreto 18 Decemb. a. 1851 aliqualiter mutato per decretum a. 1885, *ib. sq.* - Appellandi ius non competit contumaci condemnato, pag. 429. - A sententia lata in processu pure inquisitivo nunquam deneganda est appellatio, nisi expresse prohibeatur a iure, pag. 435. - Et data appellatione, tunc iudici *ad quem* seu appellationis pandendae sunt omnes probationes in prima instantia collectae, *ib.* - A sententia *ex informata conscientia* nulla competit appellatio sed tantum *recursus* ad Sedem Apost., pag. 457. - Sed appellationi ordinariae est locus si aliqua subsit incidentalis causa, *ib. sq.* - Quinam sit iudex appellationis in causis matrimon., pag. 468. - De officio defensoris matrimonii quoad munus appellationem interponendi, pag. 475 seq. - Quando et quomodo fieri possit vel debeat appellatio, pag. 508 seq. - Appellatio retardat ab executione censuram comminatam vel eamdem penitus tollit, pag. 514. - Non habet effectum suspensivum in censuram irrogatam, *ib.* - Appellatio vero a sententia declaratae censurae habet utrumque effectum, pag. 516. - Ius appellandi in causis regularium competit etiam in suspensivo quando non agatur de correctione morum, pag. 520.

Arbiter. — Utrum in causis matrimonialibus compromitti possit in arbitros, pag. 461.

Articuli. — Quid sint et quomodo locum habeant in criminalibus pag. 323.

Asylum. — Ius asyli unde constitutum, pag. 4. - Immunitas asyli ecclesiastici quid et quotuplex, pag. 60. - Quaenam poenae adsint contra illam violantes, *ib. sq.* - Iure asyli non gaudent duellantes, pag. 76. - De iure asyli quoad cessationem actionis criminalis, pag. 261.

Assessor. — Commendatur praxis adhibendi adsessores seu consultores in processu pure inquisitivo, pag. 434.

B

Beneficiatus. — Si non resideat qua ratione puniendus sit, pag. 128.

Beneficium. — Privatio beneficiorum decerni non debet, nisi facto processu ecclesiastico, pag. 532.

Blasphemus. — Quibus poenis mulctabatur, pag. 64 sq.

C

Calumniatores. — Graviter eos puniebat ius romanum, pag. 149; et punit ius canonicum, pag. 190.

Cambium. — Quid sit, pag. 103 *nota.*

Canonici — non residentes quomodo puniendi sint, pag. 130.

Capitula. — In criminalibus vocantur capitula diversae accusationis partes post factam contestationem, pagg. 273, 322.

Cardinales — non residentes gradatim omnibus privantur iuribus et ipso cardinalatu, pag. 128.

Causa. — Quaenam causae dicantur nunquam transire in rem iudicatam, pag. 337 sq. - Causae criminales habendae sunt *summariae* tantum quoad *solemnitates*, non quoad probationes, pag. 344. - Necessitas instruendi et definiendi causas criminales in foro ecclesiastico, pag. 345. - De causae disceptatione orali, cf. *Disceptatio causae.*

Causae matrimoniales. — De causis matrimonialibus iudicialibus, pag. 459. - Adsunt etiam causae quae spectant effectus matrimonii separabiles vel incidenter vel principaliter, pag. 460. - Causae quae fiunt ad obtinendam dispensationem a matrimonio rato et non consummato sunt *gratiosae* in suo scopo, *iudiciales* in processu, *ib.* - Qui processus habet aliquid speciale, *ib. sq.* - An per transactionem praeveniri aut finiri possit contentio iudicialis, pag. 461. - An compromitti valeat in arbitros, *ib.* - Si fieri possit, iudex aut probus vir, *de mandato iudicis*, concordiam sedulo tentare debent inter coniuges, *ib. sq.* - Processus iudicialis qui fit in causis matrimonialibus est oeconomicus seu summarius, quamvis speciales contineat regulas, pag. 462. - Hae causae agitantur vel in *possessorio* vel in *petitorio*, pag. 463. - De ordinatione tribunalis et iudicii in causis matrimonialibus, pag. 464 sq. Cf. *Tribunal*, *Accusator*, *Testis* etc. De foro competenti in causis matr. pag. 465 sq. Cf. *Competentia.* - Quibusnam in causis defensor matrimonii intersit oportet, pag. 478. - De ordine processus matrimonialis, pag. 494 sq. Cf. *Processus.*

Censura. — In absolventes complicem in peccato turpi, pag. 6; in docentes revelandum nomen complicis, pag. 7; in omittentes culpabiliter denunciare infra mensem sollicitantem ad turpia, pag. 8; - in colligentes elemosynas maioris pretii pro Missis celebrandis, et ex iis lucrum captantes, pag. 13; - in religiosos praesumentes ministrare sacramenta Extremae Unctionis et Eucharistiae per viaticum, pag. 10; - in male ordinantes et male ordinatos, pag. 17 sq. (Cf. *Excommunicatio*, *Suspensio*, *Interdictum*, *Poena*). - Si censurae infliguntur per sententiam admittunt appellationem tantum in devolutivo, pag. 335 sq. - De processu servando in irrogandis vel declarandis censuris, pag. 511 sq. - Aliter proceditur ad sententiam *condemnatoriam*, aliter ad *declaratoriam ib.* - *Condemnatoria* fertur propter culpam gravem non omnino praeteritam, *ib. sq.* - Censuris praevia est monitio vel *trina* vel *una* pro *tribus* vel saltem *bina*, pag. 512. - In scriptis denuncianda est sententia condemnatoria, pag. 513. - Quomodo concipiendum decretum censurae, *ib. sq.* - Censurae irrogatae executionem secum trahunt, pag. 514. - Censuram *comminatam* retardat ab executione vel eamdem penitus tollit excusatio, exceptio incompetentiae aut suspicionis et appellatio, *ib.* - In censuram irrogatam appellatio non habet effectum suspensivum, *ib.* - De sententia *declaratoria* censurae, *ib.* - Declarationi censurae praemittitur *citatio* et citationi necessaria notitia criminis aut *inquisitio pro informatione curiae*, *ib. sq.* - A sententia declaratoria appellatur cum utroque effectu, pag. 516. - Posthabetur quicumque ritus in casu necessitatis seu *quum vis vi repellitur* et in casu *notorii*, pag. 517.

Census. — Quid et quotuplex, pag. 103 *nota.*

Citatio. — Quomodo distinguatur a monitione canonica, pag. 351. - De citatione inquisiti et de tenore huius citationis, pag. 382. - Quotuplex citatio requiratur ad *contumaciam*, pag. 383. - Citatio rei ut intersit causae disceptationi est necessaria, pag. 401. - Declarationi censurae praemittitur *citatio* et citationi necessaria notitia criminis, aut *inquisitio pro informatione curiae*, pag. 514 sq. - Sufficit una citatio et quomodo concipienda sit, pag. 515. - Citationi subsequitur contestatio et reliquae processus partes, *ib.*

Clausura. — Lege clausurae qui fruantur, pag. 4. - Quid sit et quas actiones prohibet, pag. 56 seq. - Quaenam decernantur poenae in eam violantes, pag. 57 sq.

Clericus. — De clericis exteris, qui ordinantur absque licentia Card. Vic. vel non praemissis exercitiis etc., pag. 25 sq. - Delinquentes in ecclesiasticam disciplinam diversis remediis veluti poenis conventionalibus et arbitrariis atque irregularitatibus compescuntur, pag. 107; - Clerici regulares et saeculares exempti a quibus possint puniri *ib. sq.* Cf. etiam *Concubinarius, Sodomia, Venatio, Habitus, Tonsura, Ludus, Negotiatio, Residentia.* Clerici accusare prohibentur, pag. 187. - Sententia *ex informata conscientia* fertur in clericos etiam arctatos ratione beneficii, pag. 454. - An et quando ferri possit in clericos regulares, pag. 455.

Codex poenalis iudicialis Gregorianus. — Eius notitia pressit Instructio S. C. EE. et RR. a. 1880; ab eo proinde desumi posse videntur nonnullae normae processuales quae deficiant in cit. Instructione, pag. 346.

Coercitio. — Pendente iudicio laicali in clericos et apposita *coercitatione*, assumitur ab Episcopo *summaria* facti cognitio, unde in primis dispicitur an incursae sint poenae l. s. aut irregularitates, pag. 531.

Cogentes — mulierem ad monasterium ingrediendum eorumque complices excommunicatione non reservata a Conc. Trid. percelluntur, pag. 89.

Colligentes — eleemosynas maioris pretii pro Missis celebrandis et ex iis lucrum captantes, censura plectuntur, pag. 13. - Quomodo incurratur haec censura, pag. 14. - Quid statuerit S. C. C. an. 1893 circa hanc materiam, pag. 16.

Collusio. — Quid sit et quando committatur, pag. 93.

Commentarium — in Instructionem editam a S. C EE. et RR. die 11 Iun. a. 1880, 341 sq.

Commissarius. — Cf. *Iudex instructor.*

Competentia — iudicis in re criminali habetur ratione *obiecti, gradus, territorii, delicti*, pag. 216. -. De competentia ratione *obiecti*, pag 225; - ratione *gradus* seu de ordinatione iudicum quoad causas criminales iudicialiter cognoscendas, pag. 227 sq. - De competentia quoad iudicem ordinarium delegatum, pag. 231. - De competentia ratione *territorii ibid.*, et in primis ratione *domicilii*, pag. 232. - De competentia ratione *delicti*, *ibid. sq.* - Huic titulo competentiae non subsunt Episcopi, pag. 235. - De prorogatione competentiae, *ibid. sq.* - De competentia dubia et de conflictu inter plures iudices aeque competentes, pag. 238. - Competentia in causis matrimonialibus determinatur, ut in caeteris causis, ratione *obiecti, gradus hierarchici, territorii.* De competentia ratione obiecti, pag. 466; - ratione gradus hierarchici, pag. 467. - De competentia Vicarii Generalis in hisce causis, pag. 468. - An Episcopus habeat potestatem delegandi hac causas, *ibid.* - Quinam sit index appellationis a sententiis Episcoporum, *ibid.* - Tribunalia quae cogno-

scunt causas matrimoniales apud S. Sedem sunt Congr. Concilii, S. Officii, de Prop. F. pag. 469. - Instantiae de dispensatione a matrimonio rato et non consummato introducendae sunt et definiendae apud S. Sedem, quamvis processus delegetur conficiendus ab Ordinariis locorum, *ibid.* - De competentia in causis matrim. ratione territorii, pag. 470. - Quomodo applicetur regula - *actor sequitur forum rei*, *ibid.* - An attendatur *locus contractus*, pag. 471. - De exceptione incompetentiae aut suspicionis, pag. 472. - Utrum iudex competens recusare possit accusationem recipere in matrimonium *ibid.* - De competentia *criminali* apud SS. Cong. Romanas, pag. 533. - De competentia S. Officii, pag. 541 sq. Cf. *Congregatio* etc.

Complex. — Absolventes complicem in peccato turpi censura multantur, pag. 6. - Complicis nomen non est inquirendum et contra docentes excommunicatione plectuntur, pag. 7. - Contra vero facientes S. Officio denunciandi sunt, pag. 8.

Compositio. — Quid sit, quando et quomodo locum habeat, pag. 251.

Conclusio in causa. — In criminalibus locum habet, quando decernitur non amplius concedi facultatem novas adducendi probationes, pag. 399. - Hic actus dicitur aequivalere in criminalibus conclusioni in causa, pag. 400. - Quando locum habeat in causis matrimonialibus, pag. 506 sq.

Concordia. — Quando fieri potest, in causis matrimonialibus a iudice aut a probo viro, de mandato iudicis, sedulo tentanda est concordia inter coniuges, pag. 461 sq.

Concubinarius. — Clericus concubinarius qui dicatur, pag. 110. - Diversus ordo poenarum in concubinarios statuitur pro diverso gradu clericorum, quorum quatuor classes distinguit C. Trid., videlicet non habentes beneficium, pag. 111; habentes beneficium absque cura, *ibid.* - habentes beneficium curatum, pag. 113; - Prelati et Episcopi, pag. 114.

Condemnatus — appellans constituit defensorem, pag. 416.

Confessio. — Est quaecumque asseveratio contraria ipsi asserenti, pag. 287. - Ex ipsa notione confessionis *iudicialis* sequitur confessionem provocandam esse per interrogatoria seu examen, *ibid.* - Quanti facienda sit confessio ultronea, tacita seu praesumpta, pag. 288. - De scindenda confessione, pag. 289. - Confessio incidentalis non aestimatur iudicialis, *ibid.* sq. - Quid dicendum de confessione extraiudiciali, pag. 290. - Confessio iudicialis debet esse libera non coacta, *ibid.* - Libertati confessionis obstat *tortura*, pag. 292. - De confessione iurata coniugum in causis matrimonialibus, pag. 492.

Confidentialis simonia, pag. 32.

Confrontatio. — Aliquando in criminalibus locum habet confrontatio rei cum testibus, pag. 299. - Quare confrontatio locum teneat repetitionis, pag. 311. - Quando sit necessaria, 313. - Quando et quomodo in processu fiat, *ibid.* - De testibus qui vocandi sunt ad confrontationem, pag. 397.

Congregatio Indicis. — De eius institutione et historia, pag. 545 sq. - De eius ratione procedenti, pag. 547. - De eius decretorum auctoritate, pag. 548.

Congregatio S. Officii. — Quando instituta fuerit S. Congr. S. R. et U. Inquisitionis seu *S. Officii* et quibusnam ex personis coalescat, pag. 534 sq. - Quomodo incumbat in negotiorum expeditionem, pag. 536. - *Secretum* S. Officii in quo consistat tum ex iure communi, tum ex iure particulari Cong. Supremae Inquisit. pag. 537 sq. - De eius competentia, pag. 541 sq. - De actorum et decretorum auctoritate, pag. 542 sq. - Eius ratio procedendi *iudicialis* est *pure inquisitiva*, pag. 543 sq.

- S. C. S. Officii in executionem Const. «Sacramentum Poenitentiae», plures edidit Instructiones, quarum intentio non sinit Episcopos procedere extraiudicialiter vel ex informata conscientia contra sollicitantes, pag. 549 sq. Cf. *Sollicitatio.*

Coniux. — Ius accusandi matrimonium aliquando tantum utrique coniugi competit aut etiam ex his alteri, pag. 481. - Accusare competit tantum coniugibus: 1) ex capite impotentiae, 2) pro obtinenda dispensatione a matrimonio, rato et non consummato, *ibid.* - Accusatio non semel competit tantum uni ex coniugibus, *ibid. sq.* - De confessione iurata coniugum in causis matrimonialibus, pag. 492. - De coniugum iuramento, pag. 493. - Ante vel post contestationem litis si fieri potest conciliandi sunt coniuges, pag. 503. - Quomodo examinandi seu interrogandi sint coniuges, *ib. sq.*

Consummatio. — De probando facto non secutae consummationis matrimonii ad obtinendam dispensationem a matrimonio rato et non consummato, pag. 493 sq.

Constitutum. — Innuitur et explicatur natura constitutorum, pag. 272 sq. - Quando iuxta Instructionem S. C. EE. et RR. deveniendum sit ad inquisiti examen seu *constitutum*, pag. 381. - Regulae communes servandae in examine inquisiti, pag. 383. - De cautelis servandis in concludendo examine seu constituto, pag. 387.

Contestatio litis seu accusationis. — In quo consistat tum in civilibus, tum in criminalibus, pag. 267. - Quo momento locum habeat in processu *accusatorio, inquisitivo, mixto*, pag. 268. - Debet esse *plena* et *tempestiva*, pag. 269. - Quomodo se habeat ad corpus delicti, pag. 270. - Exploratio corporis delicti praecedere debet interrogatoria rei, pag. 289. - De contestatione delicti facta reo delictum neganti, pag. 385. - An contestatio facienda sit etiam in processu appellationis, pag. 419. - Quinam in causis matrimonialibus sit casus aequipollens contestationi litis, pag. 502. - Si fieri potest tum ante tum post contestationem litis conciliandi sunt coniuges, pag. 503.

Continentia causarum. — Valet aeque in criminalibus regula - continentiam causarum non esse scindendam, pag. 238.

Contractus. — An in causis matrimonialibus pro determinanda competentia iudicis, attendatur locus contractus, pag. 471.

Contumacia. — Quotuplex ex Instructione S. C. EE. et RR. requiratur citatio ad contumaciam, pag. 383. - Contumacia est crimen, pag. 425. - Ex parte accusatoris vel querelam moventis aequivalet renunciationi accusationis seu querelae, *ibid. sq.* - Quomodo probanda sit contumacia, pag. 426. - De effectibus contumaciae et in specie de praesumptione criminis in contumace, *ibid. sq.* - A contumace nequit invocari litis pendentia, praecipue ad determinandam causae praeventionem, pag. 427. - De poenis in contumaces, tum ratione contumaciae, tum ratione criminis, unde accusatur contumax, *ibid.* - De ratione procedendi ad sententiam absolutoriam seu condemnatoriam adversus contumacem reum, pag. 428. - Contumaci condemnato non competit ius appellandi, pag. 429.

Conventionalis simonia, pag. 32.

Corpus delicti. — Est complexus probationum quae evincunt *factum criminosum*, pag. 270. - Quod factum aliquando est permanens, aliquando transiens, pag. 271. - De corpore delicti, seu potius de basi facti criminosi in processu mixto oeconomico, pag. 371.

Coryphaei — sectarum prohibitarum denunciandi sunt et excommunicantur non denunciantes, p. 70.

Crimen. — Alia crimina directius offendunt ius Ecclesiae privatum,

pag. 3 seq.; alia dicuntur patrata in legem naturalem-divinam, pag. 63; - alia offendunt religionem Deo debitam, alia charitatem laedunt erga *seipsos* vel erga *alios* exercendam, maxime habito respectu salutis animae, *ibid. sq.* - Huc spectant delicta venerea incestus, stupri, adulterii, pag. 64. - Criminis impedimentum ex quonam adulterio proveniat, pag. 88. - De criminibus, quae possumdata charitatis aut iustitiae lege, animabus vehementer nocent, p. 89 seq. - De his quae a clericis committuntur in disciplinam ecclesiasticam, pag. 107, sq. - An, quomodo et quanto tempore praescribantur crimina iure ecclesiastico, pag. 283 sq. - Propter crimen feruntur sententiae *ex informata conscientia*, pag. 443; - sed hoc crimen debet esse occultum, *ibid. sq.* - Quodnam *crimen occultum* habendum sit, pagin. 445. - Refellitur opinio eorum qui tenent, istas sententias ferri etiam propter crimen publicum, pag. 446. - Sed sufficit quod ex pluribus criminibus, unum tantum sit *occultum*, aut *occultum* esse probetur postquam in cassum coepta sit *probatio iudicialis*, pag. 447. Cf. *Delictum*.

Criminosi — accusare prohibentur, pag. 187.

D

Decendium — Est tempus fatale statutum ad appellandum et decurrit a die habitae per cursorem de sententia notitiae, pag. 333, 413.

Decimae. - Eas subtrahentes aut impedientes excommunicandi sunt, et si patroni, privandi iure patronatus, pag. 92.

Defensio. — Reus non potest renunciare suae defensioni, pag. 316. - Facultas se defendendi reo est concedenda in quacunque parte processus sive *inquisitivi*, sive *mixti*, pag. 317. - Ius defensionis neque reo confesso est denegandum, pag. 318. - Ius defensionis comparatum cum accusatione fruitur *favore*, pag. 319; qui favor expostulat ut reo deputetur defensor, ne indefensus condemnetur, quamvis per se ipsum se defendere valeat, *ibid. sq.* - Reo plena libertas relinquenda est alloquendi suum defensorem, pag. 320. - In agitatione causae immediate ante sententiam definitivam accusato vel eius defensori relinquenda est, ultimo loco, facultas loquendi, *ibid.* - Defensio ordinata ad repellendum accusatorem est vel *directa* vel *indirecta*, pag. 321. - Plena libertas defensionis concedenda est reo, pag. 389. - Quomodo consulatur iuri naturalis defensionis in processu pure inquisitivo, pag. 434.

Defensor matrimonii ex officio. — Quinam agere valeat munus defensoris matrimonii ex officio, pag. 473. - Non est necessario constituendus cum stabili officio, eique utiliter deputatur *adiunctus* seu substitutus, pag. 474. - In quacumque instantia eius opera necessaria est, *ibid.* - Quomodo suppleri possit eius legitima absentia, *ibid.* - Quodnam sit eius officium, praecipue quoad munus appellationem interponendi, pag. 475 sq. - Poena nullitatis actorùm constituta est si acta instruantur non rite citato defensore matrimonii, pag. 477. - Debet praestare iuramentum, initio processus, fideliter officium suum obeundi, *ibid.* - De eius mercede, quando et quomodo sit ei constituenda, *ibid. sq.* - Quibusnam in causis, matrimonii defensor intersit oportet, pag. 478. - Utrum agat partes actoris aut rei et quomodo, pag. 479.

Defensor rei. — Ipsi plena est concedenda libertas alloquendi reum, pag. 320. - Ipsi vel accusato ante sententiam ius est et privilegium, ultimo loco, loquendi, *ibid.*

Definitio causae. - De causae definitione, pag. 407 sq. - Cf. *Sententia*.

Delictum. — Venerea delicta incestus, stupri, adulterii sunt crimina contraria iuri naturae et recto usui virium naturalium ordinatarum ad

propagandum humanum genus, pag. 64. - Delicta venerea sunt *mixti fori*, pag. 82. - Delicta iuris communis in clericis punienda sunt iuxta normam generalem quae decernitur in cap. 10 *De iudic. X* (II, 2), pag. 137. - Delicta privata et publica apud Romanos, pag 147. - De competentia iudicis in causis criminalibus, ratione *delicti*, pag. 232 sq. - An, quomodo et quanto tempore praescribantur delicta iure ecclesiastico, pag. 253 sq. Cf. *Crimen*.

Denunciatio. — A quibus et quomodo fieri debeant denunciationes, pag. 9. - Denunciatio definitur: *Manifestatio criminis Superiori facta*, pag. 154; - Alia est charitativa, *ibid. sq.*; - alia iudicialis, quae distinguitur a querela, pag. 155, 186; - alia canonica, pag. 156. - Est quaedam accusatio ordinata ad promovendam *inquisitionem ex officio*, pag. 158; - et hinc non iudicialem, *ibid.* - Quando ex iure positivo adsit obligatio denunciationis, pag. 193. - Quinam denunciari possint, pag. 208. - Habenda est ratio tum diversae speciei *denunciationis*, tum *criminis*, quod si est occultum, *iudicialiter* non denunciatur, et aliquando denunciandum est *canonice ibid. sq.* - In nonnullis causis matrimonialibus cuique de populo competit denunciatio, si non vera accusatio, pag. 484. - Matrimonium contrahendum accusant qui denunciant impedimenta, pag. 485. - Quomodo fiant denunciationes impedimentorum, pag. 497. - Quid sit denunciatio censurae et quando locum habeat, pag. 515 sq. - De denunciationibus criminis sollicitationis, cf. *Sollicitatio*.

Denunciator. — Quinam sint denunciatores, pag. 154 sq. - Distinguuntur ab accusatore non ex uno capite, pag. 185. - Quid importet denunciatoris munus et quinam denunciatores esse valeant, pag. 190 sq.

Deprehensio. — De foro deprehensionis, pag. 233 nota 2. - Vagi tantummodo illud sortiuntur, pag. 235.

Dilatio. — Reo nunquam est concedenda dilatio responsionis, p. 296.

Dimissio. — Differt ab eiectione, ob diversam procedendi rationem, pag. 520. - De viris religiosis dimittendis ante vota solemnia nuncupata, pag. 524. - De dimissione Monialium, pag. 525.

Disceptatio causae. — De orali causae disceptatione, pag. 400 sq. - Reus necessario citandus est ut intersit disceptationi causae, p. 401. - Quare fiat oralis disceptatio causae et quomodo haec differat ab ea quae proponitur in Cod. Gregoriano, pag. 402. - Explicantur regulae observandae in hac causae disceptatione, pag. 403. - Haec oralis disceptatio causae non est absolute servanda ad substantiam, pag. 404. - Attamen si non observetur subroganda est pro accusato aequipollenti ratione defensionis, pag. 405. - An et quomodo pronunciatio sententiae habeatur conclusio disceptationis causae, pag. 408.

Dispensatio. — Est modus quidam quo cesset actio criminalis, pag. 249 sq. - Instantiae de dispensatione a matrimonio rato et non consummato introducendae et definiendae sunt apud S. Sedem, quamvis processus delegetur conficiendus ab Ordinariis locorum, pag. 469. - In causis matrimonialibus ad obtinendam dispensationem a matrimonio rato et non cons. specialem probationem exhibent periti physici, pag. 489. - Specialis procedendi ratio, pag. 490. - Dispensatio Summi Pontificis consulit casibus dubiis in causis nullitatis professionis religiosae, pag. 528.

Divinatio. — Per eam iure romano fiebat electio inter accusatores, pag. 149.

Documentum. — In criminalibus agitur de documentis, quae magis late patent quam instrumenta, de quibus in civilibus, pag. 281. - Quomodo relationes aut peritorum aut iudicis instructoris, qui fecit *accessum iudicialem*, referantur inter documenta, *ibid.* - Documenta afferenda sunt dum patet periodus in-

structionis processus, pag. 282. - Quotuplici sub aspectu pensanda sint documenta, *ibid.*

Domicilium. — De competentia iudicis in causis criminalibus, ratione domicilii, pag. 232.

Domini — temporales, libertatem matrimonii violantes, excommunicatione nemini reservata ex Conc. Trid. percelluntur, pag. 91.

Duellum. — Quid, quotuplex et quibus poenis mulctaretur et adhuc mulctetur, pag. 73 sq.

E

Eiectio Regularium. — Aliquid speciale cautum est pro forma procedendi in causis eiectionis Regularium, pag. 519. - Eiectio differt a dimissione ob diversam procedendi rationem, pag. 520. - Explicatur processus ordinatus ab Urbano VIII et Innocentio XII observandus in eiectione Regularium, pag. 521. - Hanc procedendi rationem confirmavit Leo XIII Decreto « Auctis admodum » art. 6, *ibid.* - Sed S. Congregatio « *Super disciplina regular.* » si agatur de ordinibus religiosis, S. C. EE. et RR. si agatur de Congregationibus seu de Institutis religiosis, prospiciunt ut procedere valeant Praelati Regulares, sepositis solemnitatibus, cum processu *summario* seu *camerali*, pag. 522 sq. - De eiectione Monialium, pag. 525.

Emendatio. — Proprium habet processus iudicialis criminalis ecclesiasticus ut antea emendationi delinquentis, deinde prospiciat poenis imponendis *improprie vindicativis*, pag. 347.

Episcopus. — Episcopi concubinarii deferendi sunt ad Summ. Pontif., pag. 114. - Non residentes variis poenis afficiuntur, pag. 129. - Praesentati aut nominati ad regimen Ecclesiae, si suscipiantur antequam obtinuerint institutionem a S. Sede, incurrunt suspensionem ab exercitio Pontificalium, et interdictum ab ingressu Ecclesiae, pag. 136. - Episcopi, cum eorum causae criminales sint maiores, titulo competentiae non subsunt, pag. 235. - In decreto Conc. Trid. de sententiis ex informata conscientia, nomine Praelatorum in primis veniunt Episcopi, pag. 453. - An Episcopus habeat potestatem delegandi causas matrimoniales, pag. 468. - Quinam a sententiis Episcoporum sit iudex appellationis in causis matrimonialibus. *ibid.* - Episcopus, pendente iudicio laicali in clericos, abstinere debet a poenis fer. sent. et non procedere poenis proprie dictis seu vindicativis, nisi post processum ecclesiasticum, pag. 531. - Instructiones S. C. S. Officii in executionem Constitut. « Sacramentum Poenitentiae » non sinunt Episcopos procedere extraiudicialiter vel ex informata conscientia contra sollicitantes, pag. 549 sq. - Episcopus qui recipit denunciationem in sollicitantem, de ea certiorem facere debet Cong. S. Officii, pag. 550 sq. Cf. *Ordinarius.*

Examen. — De examine rei, testium, coniugum, cf. *Constitutum, Interrogatorium, Testis, Coniux.*

Exceptio. — Quid importet in criminalibus agere per viam exceptionis, quod fit vel *civiliter* proprie aut improprie, vel *criminaliter*, pag. 170 sq. - Criminaliter agere per viam exceptionis reducitur ad processum accusatorium, pag. 171. - De exceptionibus, pag. 244 sq. - De exceptionibus in testes, pag. 314. - De exceptione *incompetentiae* aut *suspicionis* in causis matrimonialibus, pag. 472. - Praecipui casus exceptionis *suspicionis* in accusatorem matrimoniis, pag. 484. - Exceptio *incompetentiae* aut *suspicionis* retardat ab exsecutione censuram comminatam, vel eamdem penitus tollit, pag. 514.

Excommunicatio. — In absolventes complicem in peccato turpi, pag. 5; - a quibus et quando incurratur, pag. 6. - In docentes vel defendentes tanquam licitam praxim exquirendi a poenitente nomen complicis,

pag. 7; - evolutio historica huius censurae, *ibid.* - In negligentes vel culpabiliter omittentes denunciare infra mensem confessarios vel sacerdotes sollicitantes ad turpia, pag. 8; a quibus et quando incurratur, *ibid.* - *sq.* - In religiosos praesumentes sine debita licentia ministrare quaedam sacramenta, pag. 10; - evolutio historica, *ibid. sq.*; - quando et a quibus incurratur, *ibid. sq.* - In colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis et ex his lucrum captantes, pag. 13 sq.; evolutio historica, conditiones ad eam incurrendam, dubia, pag. 14 sq. - In reos simoniae realis eorumque complices et reos simoniae confidentialis in beneficiis, pag. 27 sq. - In reos simoniae realis ob ingressum in religionem, pag. 28 sq. - In quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, pag. 54. - In extrahentes absque venia reliquias ex Catacumbis Romanis, pag. 55. - In violantes clausuram Monialium, pag. 56. - In mulieres violantes Regularium virorum clausuram et Superiores alioseque eas admittentes, pag. 59. - In violare iubentes aut violantes, ausu temerario, immunitatem asyli ecclesiastici, pag. 61. - In docentes vel defendentes propositiones ab Apostolica Sede damnatas, pag. 66. - In nomen dantes sectis damnatis eisdemque faventes earumque coryphaeos non denuncientes, pag. 68. - In « societatem catholicam pro vindicatione iurium populi christiani in electione Rom. Pontificis », pag. 71. - In « duellum perpetrantes etc. », pag. 73. - In procurantes abortum, effectu sequuto, pag. 80. - In cogentes mulierem ad monasterium ingrediendum eorumque complices, pag. 89. - In raptores mulierum, matrimonii ineundi causa, eorumque complices et in dominos temporales libertatem matrimonii violantes, pag. 90 sq. - In ecclesiasticos et religiosos viros missionarios exercentes mercaturam in Indiis Orientalibus, pag. 110. - In absolventes sine facultate a censuris in Const. « Apostolicae Sedis » reservatis, pag. 124. - In eos qui praesentatos aut nominatos ad regimen Ecclesiae recipiant ante institutionem obtentam a S. Sede, pag. 133 et seq.

Executio. — De executione sententiae tum quoad competentiam executorum, tum quoad modum executionis, pag. 338. - Ei fit locus quando sententia appellatione impeti amplius non possit, pag. 424. - Quomodo ei fiat locus in causis matrimonialibus.

Exempti — delinquentes a quibus puniri debeant, pag. 107 sq.

Expensae. — Quinam solvere debeant expensas iudiciales, pag. 338 et seq.

Exploratio — corporis viri et mulieris maxime locum habet in causis de impotentia vel in iudicio de matrimonio rato et non consummato, pag. 505 sq.

Expositi — pag. 79. Cf. Vol. III n. marg. 238.

F

Fatale. — Ita vocatur decendium concessum ad appellandum, et est tempus *continuum* in decursu, *utile* in principio, cum incohetur a notificatione sententiae, pagg. 333, 413. - Fatale ad *prosequendam* appellationem est terminus peremptorius viginti dierum, pag. 416.

Fiscus. — An eius animadversiones in processibus summariis seu oeconomicis debeant tantum in scriptis exhiberi, pag. 405. Cf. *Promotor fiscalis.*

Fontes iuris criminalis ecclesiatici — pag. 146 nota.

Fori privilegium. — Cf. *Privilegium.*

Fornicatio. — Est vel simplex vel cum sacrilegio coniuncta, pag. 82.

Fornicator — sacrilegus, in iu-

dicio de crimine convictus, fit infamis *infamia facti*, pag. 83.

Fures — pag. 85.

G

Gradus. — De competentia ratione gradus, seu de ordinatione iudicum quoad causas criminales iudicialiter cognoscendas, pag. 227 sq. - De competentia in causis matrimonialibus, ratione gradus hierarchici, pag. 467.

H

Habitus. — Clerici non deferentes habitum iuxta morem, variis, vario tempore affecti sunt poenis, pag. 117 sq.

I

Immunitas. — Quid et quotuplex sit immunitas asyli ecclesiastici, pag. 60, - et quaenam poenae contra eam violantes, *ibid. sq.*

Impedimentum — criminis ex quonam adulterio proveniat, pag. 88. - Qui denunciant impedimenta matrimonialia accusant matrimonium contrahendum, pag. 485. - Impedimentum ex obligatione sponsalium tantum sponsi opponere valent, *ibid.* - De speciali ratione probandi diversa impedimenta, pag. 486. Cf. *Testis, Impotentia, Dispensatio, Confessio* etc. - Quomodo in causis matrimonialibus singula impedimenta specialem habeant procedendi normas, pag. 493.

Impotentia. — In causis matrimonialibus ex capite impotentiae specialem probationem exhibent periti physici, pag. 489. - Specialis procedendi ratio, pag. 490.

Impuberes — accusare prohibentur, pag 187.

Incapacitas. — Propter clerici incapacitatem nequit ferri *sententia ex informata coscientia*, pag. 443.

Incestuosus — coniux nequit petere, sed debet reddere debitum, pag. 83.

Incestus. — Est fornicatio cum persona consanguinea vel affine, pag. 83. - Reticitus in precibus, dispensationem amplius non irritat, *ibid.*

Incompetentia. — Cf. *Exceptio.*

Inconsummatio. — Cf. *Consummatio.*

Iudicium. — Est coniectura ex aliquo facto orta et allegata ad adstruendam rei dubiae fidem, pag. 283. Cf. *Praesumptio.* - Male distinguuntur diversae species iudiciorum, habita ratione vis probativae, pag. 285. - Quattuor regulae aptae ad aestimandam vim probativam iudiciorum, pag. 286.

Indultum. — Est quidem modus quo cesset actio criminalis, pag. 249 et seq.

Infames — in genere, pag. 96. - Prohibentur accusare, pag. 187.

Infamia facti. — Ea fit infamis fornicator sacrilegus in iudicio de crimine convictus, pag. 83. - Infamia notoria supplet munus accusatoris in processu inquisitivo, pag. 195 sq. - Utrum processui inquisitivo instaurando praerequiratur infamia, pag. 435.

Infamia iuris. — Incurritur ab alumnis Universitatum Germaniae qui patrant duellum, pag. 74.

Ingressus — in ordinem religiosum est res spiritualis a qua arcenda est labes simoniaca, pag. 43. - Quando et quare ab ingressuris in religionem aliquid excipere fas est, *ibid.*

Inhabilitas. — Adsunt inhabilitates ad accusandum tum *absolutae*, pag. 187; - tum *relativae*, pag. 188. - Exceptiones, *ibid.* nota. - Adver-

sus graviora crimina cessant inhabilitates tum absolutae tum relativae, pag. 189.

Inidoneitas. — Propter clerici inidoneitatem nequit ferri sententia ex inform. conscientia, pag. 443.

Inquisitio. — Fiebat aliquando ab accusatore privato, iure romano, pag. 149. - Quo pertinet Tit. *De inquisitionibus* (X), pag. 153. - Triplex est inquisitio: generalis, specialis, specialissima, pag. 201. - Inquisitioni specialissimae subiici non potest quisquam nisi praemissa probatione de infamia, pag. 213 sq. - Remediis poenalibus extraiudicialibus praevia debet esse inquisitio, pag. 249. - Quaenam inquisitio exquiratur, pag. 250. - De inquisitione iudiciali in processu mixto oeconomico, pag. 367 sq. - Quomodo distinguatur inquisitio iudicialis ab extraiudiciali praemittenda remediis extraiudicialibus, *ibid.* - Quotuplici modo introduci contingat inquisitio *iudicialis*, pag. 368. - Declarationi censurae praemittitur *citatio* et citationi necessaria notitia criminis aut *inquisitio pro informatione curiae*, pag. 514.

Inquisitus. — De inquisito confesso aut partim aut in toto, pag. 386.

Insinuatio clamosa. — Praemittenda est inquisitioni, pag. 211 sq.

Instantia accusationis. — De instantia accusationis a suo exordio usque ad publicationem processus eiusque impetitionem ex parte accusati, pag. 388 sq. - Cf. *Accusatio.*

Instantia criminalis. — An et quomodo differat ab actione criminali, pag. 242 sq.

Instantia dispensationis — a matrimonio rato et non consummatio introducenda est et definienda apud S. Sedem, quamvis processus delegetur conficiendus ab Ordinariis locorum, pag. 469. - In quacumque instantia necessaria est opera defensoris matrimonii, pag. 474.

Instructio a S. C. EE. et RR. die 11 Iun. 1880. — Est directiva non praeceptiva, pag. 265. - Commentarium in hanc Instructionem, pag. 341 sq. - Haec Instructio partim pressit vestigia Codicis poenalis iudicialis Gregoriani, a quo proinde desumi posse videntur nonnullae normae processuales deficientes in Instructione, pag. 346. - Formas praescriptas non iussit *taxative* sed praecepit servari normas iustitiae substantiales, pag. 431.

Instructio S. C. S. Officii ad perquirendam rerum veritatem circa crimen sollicitationis die 20 Iulii 1890, pag. 552 sq. - Instructio S. C. S. Officii *super diligentiis* in causis de sollicitationis crimine peragendis, die 6 Augusti 1897, pag. 556 sq. - Instructio S. C. S. Officii « Quae Supremus Pontifex » anno 1867 die 20 Februarii, pag. 564 sq. - Cf. *Allegatum.*

Interdictum — ab ingressu Ecclesiae olim ferebatur contra Episcopos et eos qui maiori praefulgebant dignitate, quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, pag. 54. - In interdictum ab ingressu Ecclesiae incurrunt Episcopi qui delinquunt contra dispositiones Const. « Romanus Pontifex » circa praesentatos aut nominatos ad regimen Ecclesiae, pag. 136.

Interpretatio — stricta adhibenda est in applicando decreto Tridentini circa sententias ex informata conscientia, pag. 441.

Interrogatorium. — A quo in criminalibus proponantur reo interrogatoria, pag. 288. - Interrogatoriis praevia sit oportet inquisitio seu exploratio corporis delicti, pag. 289. - Interrogatoria suggestiva vitanda sunt, 290. - Regulae observandae in interrogandis reis, 297. - Interrogatorium inquisiti pluries institui valet, 299. - Regulae desumptae ex Cod. Gregoriano de modo interrogandi testes in iudicio criminali, pag. 376. - De modo faciendi interrogatoria inquisito, pag. 384. - Quomodo et quaenam interrogationes

faciendae sint denuncianti sollicitantem, pag. 551 sq. - Interrogatoria testium sollicitationis, pag. 557 sq.

Interruptio — praescriptionis in criminalibus, pag. 261.

Irregularis — fit procurans abortum, pag. 80; - item violans suspensionem latam per sententiam ex informata conscientia, pag. 452.

J

Jansenistae — damnatas opiniones protulerunt contra sententias ex informata conscientia, pag. 440.

Judex. — Tam ordinarius quam delegatus nequit munera recipere a partibus, pag. 125. - Pro delegatis excipiuntur osculenta et poculenta liberaliter allata, *ibid.* - Transgressores ad quid teneantur, *ibid.* - Iudex in processu accusatorio passive se habet in excipiendis et pensandis probationibus ab accusatore allatis, pag. 150. - Passim iudicum ordinatio eadem est in re civili et criminali, quod obtinet et iure canonico, pag. 216. - De iudicis competentia, cf. *Competentia.* Iudex collegialis, cf. *Tribunal.* Iudex recusari potest etiam in criminalibus, pag. 322. - Ad quemnam iudicem appellandum sit, pag. 415. - Omnia acta originalia, scilicet processus, restrictus, defensiones et sententia transmittenda sunt a iudice a quo appelletur, *ibid.* - Iudex a quo per *apostolos* seu litteras dimissorias explicat suam agendi rationem, pag. 417. - Quidnam edicere intendat iudex *ad quem* in sententiam appellatam, pag. 419. - Concessa appellatione a sententia lata in processu pure inquisitivo, iudici ad quem seu appellationis pandendae sunt omnes probationes collectae in prima instantia, pag. 435. - Quinam sit iudex appellationis in causis matrim. a sententiis Episcoporum, pag. 468. - Utrum iudex recusare possit excipere accusationem in matrimonium, pag. 492. - Quinam sit iudex competens in prima instantia pro causis nullitatis professionis religiosae, pag. 527, - quinam in secunda et ulteriori instantia, pag. 528. - Pendente iudicio laicali in clericos et apposita coercitione, iudex ecclesiasticus assumit *summariam* facti cognitionem unde imprimis dispicitur an incursae sint poenae lat. sent. aut irregularitates, pag. 531. - Sed iudex interim. abstineat a poenis *ferendae sent.* quippe tantum est locus remediis provisoriis, *ibid.* - Poenis autem proprie dictis seu vindicativis applicandis Episcopus non procedat nisi post oeconomicum processum ecclesiasticum, *ibid.* - Quam normam maxime iudex servare debet in decernenda privatione beneficiorum, pag. 532. - Et in casibus dubiis faciat relationes ad S. Sedem, *ibid.* - De iudice competente in causis sollicitationis, pag. 550.

Judex instructor — seu commissarius est qui ad instantiam promotoris fiscalis acta processus conficit, pag. 203. - Eius constitutio iure can. consulitur non praecipitur, *ibid.* - Iure positivo est inhabilis nisi sit *clericus coelebs,* pag. 218. - Eius constitutio habet specialem gravitatem in processu criminali, pag. 224. - Quomodo eius relatio cum fecerit accessum iudicialem referatur inter documenta, pag. 281. - Constitutio iudicis instructoris seu commissarii non expresse iubetur, sed tantum consulitur art. XII. Instructionis S. C. EE. et RR., pag. 369.

Judicium criminale. — Pertinet ad potestatem punitivam *executivam,* pag. 139. - Differt a iudicio civili potissimum ratione personae *actoris* seu *accusatoris, ibid.* - Eius definitio, pag. 140. - Quare explicanda sunt iudicia criminalia in ea parte qua differunt a civilibus, *ibid.* - Obiectum iudicii criminalis idem est ac obiectum poenae, pag. 141. - Sed praestat considerari *obiectum specifice proprium* seu *immediatum ibid.* - Obiectum vero *mediatum* prout diversimode consideratum fuit, diversa effecit systemata processualia, pag. 142. - De partibus proces-

sualibus quibus necessario constat iudicium criminale, pag. 263 sq. - Cf. *Normae processuales*. De iudiciis criminalibus in specie, pag. 341 sq. - De iudicio criminali mixto ordinando iuxta Instructionem S. C. EE. et RR. *ibid. sq.* - Iudicium criminale ecclesiasticum proprium habet ut antea emendationi delinquentis, deinde prospiciat poenis imponendis improprie vindicativis, pag. 347. - Cum locus amplius esse non possit mediis praeservativis, neque medicinalibus extraiudicialibus, instaurandum est iudicium criminale, pag. 368. - Pendente iudicio laicali in clericos et apposita coercitione, assumitur summaria facti cognitio unde in primis dispicitur an incursae sint *poenae* lat. sent. aut *irregularitates*, pag. 531. - Sed iudici abstinendum est a poenis *fer. sent.* quippe tantum est locus remediis provisoriis, *ibid.*

Judicium Dei. — Cf. *Duellum.*

Juramentum. — Reis numquam est deferendum praeterquam in causis fidei, pag. 295. - Defensor matrimonii ed officio iuramentum munus suum fideliter obeundi praestare debet, sub initio processus, pag. 477. - De iuramento coniugum, et testium in causis matrim. pag. 493.

L

Labor — in muneribus sacris peragendis iure naturali est rependendus, pag. 36. - Quando hoc prohibetur iure positivo, *ibid. sq.*

Laicus. — Quando possit fieri accusator vel denunciator adversus clericos, pag. 188.

Legitimatio processus. — Habetur per repetitionem testium in processu mixto, pag. 309. - Modum practicum legitimandi processum iussit Pius VII edicens processum legitimari per confrontationem verbalem aut personalem, pag. 393 sq.

Libellus. — Hodie secus ac olim auctores libelli famosi poenis puniuntur, pag. 136.

Litterae dimissoriae. — Cf. *Apostoli.*

Ludus. — Quinam ludi prohibeantur clericis, quo iure, sub quibus poenis, pag. 116.

M

Magistratus. — Accusare prohibetur, pag. 187.

Maledicus. — Clericus maledicus poenis arbitrariis puniendus est pro rerum adiuctis, pag. 136.

Matrimonium. — Raptores mulierum eorumque complices matrimonii ineundi causa, et domini temporales libertatem matrimonii violantes incurrunt excommunicationem nem. reservatam ex Concilio Tridentino, pag. 90 sq. - Cf. *Causae matrimoniales.* - Matrimonium contrahendum accusant qui denunciant impedimenta, pag. 485.

Media — ad sanctificationem fidelium, pag. 4.

Mensis — datus ad denunciandos sollicitantes ad turpia non decurrit ignoranti vel impedito, pag. 8.

Mentalis simonia, pag. 32.

Mente captus. — Accusare prohibetur, pag. 187.

Mercatura. — Sub poena excommunicationis prohibetur Ecclesiasticis et Missionaribus in Indiis orientalibus, pag. 122; - aliae poenae contra Superiores, pag. 123.

Merces — praestita pro labore ministerii sacri, iure naturali est rependenda, pag. 36. - Quando prohibeatur iure positivo, *ibid. sq.* - Quando, quomodo a quibus constituenda est merces defensori matrimonii ex officio, pag. 477.

Miles. — Accusare prohibetur, pag. 187.

Missa. — Decori Sacrificii Missae prospicitur per art. XII Const. « Apostolicae Sedis », 13. Praxis stipendium Missae commutantium cum mercibus a sacerdotibus coemptis improbatur, pag. 15. - Negligentia et culpa in curanda celebratione missarum compescitur a S. C. C., 16 sq. - Qui missam sine legitima causa non perficiunt poenis mulctantur, quae tamen sunt f. s., pag. 119. - Qui missam pluries eodem die celebrat, si ex avaritia, irregularitatem incurrit, si secus, non item, pag. 120.

Mixta simonia, pag. 32.

Mixtus processus. — Cf. *Processus.*

Modi procedendi criminales. — Communiter *quinque* memorantur a Canonistis pag. 169; - 1) per viam accusationis, 2) inquisitionis, 3) denunciationis, de quibus cf. *Processus;* 3) per viam exceptionis et 5) notorii, pag. 169 sq. - Cf. *Exceptio*, *Notorium.* De modis quibus cessat aut extinguitur actio criminalis, pag. 248 sq. - Cf. *Actio.*

Monachus. — Quando possit accusare necne, pag. 187.

Monasterium. — Cogentes mulierem ingredi monasterium, eorumque complices excommunicatione nemini reservata a Conc. Trid. percelluntur, pag. 89. — Quid requiratur ad illam excommunicationem incurrendam, et quibus causis liceat cogere mulierem, *ibid. sq.*

Monialis. — Quinam exerceant potestatem iudicialem in Moniales, pag. 519. - De eiectione vel dimissione Monialium, pag. 525.

Monitio canonica. — De ea prout est remedium poenale, pag. 245. - Quomodo distinguatur a citatione, pag. 351. - Quid et quotuplex sit monitio canonica, pag. 353. - Monitio canonica paterna et secreta quando et quomodo facienda sit, pag. 354. - Quando vero et quomodo facienda sit monitio canonica in forma legali, pag. 355. - Explicantur regulae quibus innotescat quando uni et quando alteri dandus sit locus, pag. 356 sq. An monitiones praemittendae sint impositioni exercitiorum spiritualium, pag. 360. - De monitione paterna praemittenda sententiae ex informata conscientia, pag. 457.

Monomachia. — Cf. *Duellum.*

Mulier. — Accusare prohibetur, pag. 187.

N

Negligentia — et culpa in curanda celebratione Missarum compescitur a S. C. C. pag. 16 sq.

Negotiatio. — Est propria vel impropria: prima praesertim prohibetur clericis, pag. 120. — Quid de negotiationibus quae hodie aguntur per societates, pag. 121. - Poenae in clericos negotiatores, pag. 122.

Nominati — vel praesentati qui regimen Ecclesiae suscipiant antequam institutionem a S. Sede obtinuerint variis poenis percelluntur, pag. 136.

Normae processuales — quae moderantur controversiam iudicialem, pag. 263 sq. Cf. *Acta.*

Notarius. — In causis sollicitationis adhibendus est notarius, qui sit vir ecclesiasticus, pag. 550.

Notorietas facti et iuris, — quid sit et quomodo distinguatur, pag. 173.

Notorium - Quid sit procedere in criminalibus per viam notorii, et quando locum habeat, pag. 173. - Utrum et quando hic processus dicendus sit *iudicialis*, pag. 175. -

Quando dici possit *legitimus*, pag. 177.

Nullitatis professionis religiosae. — Aliquid speciale cautum est pro forma procedendi in causis nullitatis professionis religiosae, pag. 519. - De processu in iisdem causis, quid in genere statuerit Conc. Trid. *Sess. 25, cap. 19*, pag. 525 sq. - Processus iudicialis servandus est ex Const. « Si datam » Ben. XIV, pag. 526. - De restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, *ibid. sq.* - Quinam sit iudex competens in prima instantia, pag. 527. - Speciales normae iudiciales servandae, *ibid.* - De iudice competente in secunda et ulteriori instantia, pag. 528. - Casibus dubiis consulitur dispensatione Summi Pontificis, *ibid.* - De hisce causis in Institutis votorum simplicium, *ibid. sq.*

O

Obiectum. — De competentia in causis matrimonialibus ratione obiecti, pag. 466.

Obiectum iudicii criminalis. — Cf. *Iudicium criminale.* - De competentia in re criminali ratione obiecti, pag. 225. - De obiecto iudiciorum criminalium, pag. 239. - Obiectum immediatum est actio criminalis, *ibid.* Cf. *Actio.*

Obligatio. — Habet Episcopus obligationem alendi clericum quem ordinavit absque titulo, pag. 18.

Obreptio. — In rescriptis Pontificiis vel Episcopalibus an et quando obreptio poenis puniatur, pag. 93, sq.

Officio. — *Processus matrimoniales ex.* Cf. *Processus.* - Quando et quomodo procedatur ex officio, pag. 497. - Distinguendi sunt varii casus, pag. 498 sq.

Omittentes — culpabiliter denunciare infra mensem sollicitantes quomodo puniantur, pag. 8.

Opes — ad rem spiritualem consequendam quotuplex et quando sit prohibita, pag. 37.

Ordinans. — Cf. *Suspensio.* - Male ordinantes et male ordinati, suspensione mulctantur, pag. 17.

Ordinarius. — Nomine Praelatorum in decreto Conc. Trid. de sententiis ex informata conscientia, comprehenduntur praeter Episcopos, et Praelatos regulares, etiam alii ordinarii, veluti Praelati nullius, Vicarii Apost., Administratores Apost., Vicarii Capitulares, pag. 453. - Contra sollicitationis reos ordinarii debent habere prae oculis praxim S. C. Sup. et Univ. Inquis. uti specimen prudentissimi processus, etiam in casibus, quibus ipsi procedant sua ordinaria potestate, pag. 564 sq.

Ordinatione iudicii criminalis (de), pag. 139 sq.

Ordinatus. — Quis dicatur male ordinatus et quasnam poenas incurrat.

Ordo. — De ordine processus matrimonialis, pag. 494. Cf. *Processus.*

P

Pactum — *accessus, ingressus, regressus*, quoad beneficia, pag. 33.

Parochus. — Qua ratione puniendi sint parochi non residentes, pag. 129.

Parricidium. — Severe ab Ecclesia punitur, pag. 78.

Patronus. — Si decimas non solvat privandus est iure patronatus, pag. 92. — Qui scienter praesentat indignum ad beneficium, si ecclesiasticus, ea vice, iure praesentandi privatur, *ibid.* - Antiqua suspensio a beneficio obsolevit, *ibid.*

Pecunia. — Num dici possit sterilis et infructuosa, pag. 101, *nota.*

Pendentia litis. — Nequit invocari a contumace praesertim ad determinandam causae praeventionem, pag. 427.

Pensio. — Reservatio pensionis in beneficio, pag. 34.

Permutatio. — Si fiat inter res spirituales non inducit simoniam, pag. 38. - Iure ecclesiastico committitur aliquando simonia in permutandis rebus temporalibus spiritualibus adnexis, *ibid.* - Quid quando alterum non *pro* alio sed *propter* aliud datur, *ibid.*

Persona. — In iudicio criminali non secus ac in civilibus sunt personae: *actor, reus et iudex*, pag. 143. - Praeter has, quae *necessariae* dicuntur adsunt et quaedam *accessoriae*, pag. 178. — Quando sit tantum moralis distinctio inter personam iudicis et accusatoris, pag. 196. - Personae quae iudicem adiuvant, pag. 217. — De personis privilegiatis relate ad competentiam in re criminali, pag. 235.

Poena. — Quaenam in genere latae sint poenae contra simoniacos, pag. 45. — In specie contra reos vel *simoniae realis* in beneficiis, pag. 46; vel *confidentialis*, pag. 47; vel ob ingressum in religionem, pag. 48. - Rei simoniae realis et confidentialis sunt infames infamia iuris, *ibid.* - De restitutione pretii simoniaci, Cf. *Pretium.* - Poenae in quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, pag. 53 sq.; - in extrahentes absque venia reliquias ex Catacumbis romanis, pag. 55; - in violantes clausuram monialium, pag. 56 sq.; - in mulieres violantes clausuram Regularium virorum, pag. 59 sq.; - in violantes, ausu temerario, immunitatem asyli ecclesiastici, aut violare iubentes, pag. 60 sq.; - in blasphemos, pag. 61 sq.; - in docentes et defendentes propositiones ab Ap. Sede damnatas, pag. 66; - in nomen dantes sectis damnatis, eisdemque faventes earumque coryphaeos non denuntiantes, pag. 67 sq.; - in « societatem catholicam pro vindicatione iurium populi christiani et in primis romani, in electione Rom. Pont. », pag. 71; - in « duellum patrantes etc. » pag. 73; - contra delicta venerea, pag. 82 seq.; - in crimina quae pessumdata charitatis aut iustitiae lege animabus nocent, pag. 89 seq.; - in usurarios, pag. 106; in violantes munera status clericalis vel specialis officii clericorum, pag. 110 sq. - Plures poenae quasi-conventionales in clericos non satisfacientes susceptis muneribus, pag. 127. - An iure ecclesiastico praescribantur poenae, pag. 258 sq. - Ad poenas improprie vindicativas non est deveniendum nisi prius consultum fuerit emendationi delinquentis, pag. 347. - De poenis in contumaces, pag. 427. - Poena nullitatis actorum constituta est in causis matrimonialibus, si acta processus instruantur non legitime citato defensore matrimonii, pag. 477. - Pendente iudicio laicali in clericum Episcopi abstineant a poenis fer. sent. quippe tantum est locus remediis provisoriis, pag. 531. - Neque applicandis poenis proprie dictis seu vindicativis procedant, nisi post oeconomicum processum ecclesiasticum, *ibid.*

Positio. — Quid sint positiones in civilibus et utrum locum habeant in criminalibus, pag. 322.

Postulatio. — Per eam iure romano accipiebat quis a magistratu veniam et quasi mandatum accusandi, pag. 149.

Praeceptum. — De praecepto prout est remedium poenale et prout distat a monitione canonica, pag. 247. - Monitione canonica est gravius, pag. 328. - De eius vi, forma et duratione, *ib. sq.* - An praeceptum praemitti oporteat impositioni spiritualium exercitiorum, pag. 360.

Praelatus. — Quando poenis arbitrariis compescendi sint praelati delinquentes, pag. 109. - Concubinarii ad S. Pont. deferendi sunt, pag. 114. - Praelati regulares non excluduntur, nomine Praelatorum, in decreto Conc. Trid. de sententiis

ex informata conscientia, 453. - In ordinibus exemptis competentia iudicialis in Regulares attribuitur Praelato, pag. 518. - Cf. *Regularis, Religiosus, Processus etc.*

Praescriptio. — Conceptus et fundamentum praescriptionis in re poenali, pag. 252. - An huiusmodi praescriptio admittatur iure ecclesiastico, pag. 253 sq. - Explicatur ius positivum et datur decretum S. C. EE. et RR. de praescriptione criminum, pag. 254 sq. - An praescribatur poena iure ecclesiastico, pag. 258 sq. - De die a quo decurrit praescriptio, pag. 260. - Quomodo interrumpatur et suspendatur, pag. 261.

Praesentati — aut nominati qui assumunt regimen Ecclesiae antequam litteras institutionis a S. Sede reciperent, variis poenis multantur, pag. 133 sq.

Praesumptio. — Viget in criminalibus praesumptio iuris sed non aeque ac in civilibus, pag. 284. - Cf. *Indicium.* Praesumptio criminis habetur in contumace, pag. 426.

Praeventio. — Est locus praeventioni in criminalibus quando est *dubium* quinam sit iudex competens, pag. 235. - Ad determinandam praeventionem nequit contumax invocare litis pendentiam, pag. 427.

Pretium. — Utrum restitutioni sit obnoxium et cuinam restituendum sit pretium simoniacum, pag. 49.

Privilegiati — delinquentes poenis arbitrariis puniendi sunt, pag. 109.

Privilegium fori. — De privilegio fori in re criminali, pag. 226, in qua viget aeque principium: actor sequitur forum rei, pag. 231.

Probatio. — Est rei dubiae et controversae per legitima argumenta iudici facta ostensio, p. 275. - Certitudo quam parere natae sunt probationes est moralis, *ib.* - Ex gradu certitudinis quam parit probatio est plena vel semiplena, pag. 276. - Duplex systema in aestimandis probationibus, *ib.* - Iure canonico non aestimatur probatio plena aut semiplena ex vi probationis legalis sed ab intima persuasione iudicis, pag. 277. - Probatio semiplena sufficit accusationi instituendae, pag. 278. - Fontes probationum in criminalibus sunt: 1) documenta; 2) indicia seu praesumptiones; 3) confessio rei; 4) attestationes testium, pag. 281, - quae omnia Cf. suis locis. - Probationes afferendae sunt dum patet periodus instructoria processus, pag. 282. - An novae probationes sint admittendae in iudicio appellationis, pag. 420. - Probationes efficaces in foro externo expostulantur ad edendam sententiam ex informata conscientia, pag. 442. - De probatione criminis sollicitationis. Cf. *Sollicitatio.*

Processus. — De processu *accusatorio, inquisitivo, mixto*, pag. 146 sq.

— *Accusatorius.* Utpote simplicior primus apud populos obtinere solet, sed supponit cives honestos et sollicitos iurium Reipublicae, pag. 148. - Quomodo hoc systema viguerit apud Romanos *ib. sq.*, - et iuxta ordinationem iuris romani, quomodo obtinuerit iure etiam ecclesiastico, pag. 150 sq. - Explicatur quomodo processus accusatorius inquisitivus adhibeatur etiam in causis spiritualibus, et, cum primis, in matrimonialibus, pag. 243. - In processu accusatorio testes recipi non possunt nisi citata parte accusata, pag. 306.

— *Inquisitivus.* Iure romano induci coepit processus inquisitivus, qui evolutus per ius canonicum, ex extraordinario ordinarius evasit in Ecclesia, opera Inn. III et Bonif. VIII, pag. 151 sq. - In processu inquisitivo supplenda est opera accusatoris, secus non haberentur tres personae in quocunque iudicio necessariae, pag. 194. - Accusator necessario constituendus est in hoc processu, pag. 198. - Accusator in processu pure inquisitivo est virtualis, pag. 241. - An et

quomodo conditionibus necessariis processus criminalis satisfaciat processus pure inquisitivus, pag. 263 sq. - In hoc processu testes examinantur pro informatione curiae ante citationem inquisiti, pag. 307. - Quando servari possit processus pure inquisitivus iuxta canonistarum sententiam, pag. 432. - Quando hic processus sit extraordinarius, pag. 433. - In quo consistat eius specifica natura, *ib.* - Commendatur praxis adhibendi assessores seu consultores in proc. inquis. pag. 434. - Quomodo in hoc processu consulatur iuri naturalis defensionis, *ib. sq.* - Utrum huic processui instaurando praerequiratur infamia, pag. 435.

— *Mixtus.* Est qui coalescit ex accusatione et inquisitione, pag. 164. - Eius suprema lineamenta, *ib. sq.* - Controversia de eius origine, pag. 161 *nota.* - Proprietates processus inquisitivi et accusatorii explicantur et inter se comparantur, pag. 167. - Processus criminalis acta, cf. *Acta.* - De variis modis procedendi, cf. *Modi.* - In processu mixto testes et attestationes diversimode recipiuntur ac in processu pure inquisitivo, 307 sq. - In proc. mixto locum habet repetitio testium pro legitimatione processus, pag. 309. - In processu sive inquisitivo sive mixto reo concedenda est facultas se defendendi in quacunque parte processus, pag. 317. - Processus *mixtus* ordinatus fuit in Instructione S. C. EE. et RR. a. 1880, pag. 342. - Hodie processus *mixtus* explicari non potest, quia testes non reddunt attestationes nisi eorum nomina occulta maneant, pag. 430. - Hinc istum processum laudat et consulit Instructio S. C. EE. et RR. quae tamen formas a se propositas non iussit *taxative*, sed tantum praecepit servari *normas* iustitiae *substantiales*, pag. 431.

Processus defensivus. — De actu praemittendo a iudice antequam claudatur processus defensivus, pag. 400.

Processus summarius. — Quid sit et in quo differat a formali, pag. 264. - Ordinatur in Instructione S. C. EE. et RR. a. 1880 quin derogatum sit processui solemni seu formali, pag. 342. - In criminalibus servari solemnitatem processus vel potius sequi formam summariam seu oeconomicam non pendet ex arbitrio seu ab instantia partium sed ex iudicis arbitrio et decreto, pag. 343. - Causae criminales habendae sunt summariae quoad *solemnitates* non quoad *probationes*, pag. 344. - Ratio procedendi summarie respondet adamussim naturae causarum et temporum necessitati, pag. 345. - Acta huius processus triplici vitio nullitatis possunt inficiari, ex defectu: 1) citationis; 2) iurisdictionis seu competentiae; 3) mandati, pag. 347. — Processus matrimonialis continet nonnullas speciales normas, pag. 465. - Processus introducitur aut ad instantiam privati accusatoris aut ex officio, indeque enascitur differentia substantialis in processu, pag. 494 sq. - Quando publicetur, p. 506. - Quando fiat locus reassumptioni vel aperitioni processus matrimonialis, pag. 507. — De processu servando in interrogandis vel declarandis censuris, pag. 511 sq. - De processu in causis vel criminalibus regularium vel de nullitate professionis religiosae. pag. 518 sq. - Processus in causis regularium est semper summarius, pag. 519. - Aliquid tamen speciale cautum est pro causis tum eiectionis Regularium, tum nullitatis professionis religiosae, *ib.* - Ratio procedendi est pure inquisitiva, *ib.* - Explicatur processus ordinatus ab Urbano VIII et Innocentio XII observandus in eiectione regularium; pag. 521. - Hanc procedendi rationem confirmavit Leo XIII Decreto « Auctis admodum » art. 6, *ib.* - Sed S. Congr. super disciplina regulari si agatur de Ordinibus religiosis, et S. C. EE. et RR. si agatur de Congregationibus seu Institutis religiosis, prospiciunt ut procedere valeant Praelati regulares, sepositis solemnitatibus, cum processu *summario* seu *camerali*, pag. 522 sq. - De processu in causis nullitatis professionis religiosae, pag. 525 sq. - Cf. *Nullitas prof. relig.* - De processu

ecclesiastico instituendo in clericos iam subiectos processui et iudicio laicae potestatis, et in specie de processu praevio privationi beneficiorum, pag. 530 seq. - Refertur praescriptio art. XLIII Instructionis S. C. EE. et RR. prospiciens huic casui et explicatur sensus litteralis, *ib.* - Pendente iudicio laicali in clericos et apposita coercitione assumitur summaria facti cognitio, unde in primis dispicitur an incursae sint poenae l. sent. aut irregularitates, pag. 531. - Sed iudex interim abstineat a poenis fer. sententiae, *ib.* - In casibus dubiis fiunt relationes ad S. Sedem, pag. 532. - De ratione procedendi in C. S. R. et Un. Inq. et in S. Congr. Indicis, pag. 533 sq. - Cf. *Congr. Indicis, Congregatio S. Officii.* De processu iudiciali instituendo in denunciatum reum criminis sollicitationis, pag. 549 sq. Cf. *Sollicitatio.*

Procurator in re criminali, cf. *Advocatus.* - De Procuratore fiscali, cf. *Promotor fiscalis.*

Promotor fiscalis. — Ipsi remansit in Ecclesia privative munus accusationis, pag. 157. - In quacumque Curia debet adesse, pag. 198 et nota. - Non habet tamen iure canonico monopolium accusationis, pag. 199. - Ipsi cumulative cum iudice pertinet inquisitio specialis et specialissima in crimina, pag. 201 sq. - Ipsi aliquando in auxilium adiungitur procurator fiscalis, pag. 203. - Munus promotoris fiscalis determinatur habita ratione officii accusatoris, cuius explet partes, in iudicio criminali, *ib.* Cf. *Accusator.* - Promotor fiscalis accusat innixus cuidam actioni, pag. 240. - Unicuique Curiae opus est procuratore seu promotore fiscali pro iustitiae et legis tutela, pag. 369. - Ipse defendit sententiam appellatam, pag. 417.

Propositiones — damnatas ab Apost. Sede, sub excommunicationis poena defendere et docere non licet, pag. 67 nota.

Prorogatio competentiae. — An et quando ei sit locus in criminalibus, pag. 235 seq. - Datur etiam ob continentiam causarum, pag. 238.

Publicatio processus. — Processus tum offensivus tum defensivus quando et quomodo publicetur, pag. 324. - De publicatione processus, quatenus iste actus sit alienus a formis summariis et oeconomicis, pag. 390. - Quae praevia esse debeant publicationis decreto, pag. 392. - Quando publicetur processus matrimonialis qui est vel pure accusatorius vel mixtus, pag. 506.

Purgatio. — Ad abstergendam omnem maculam a sacerdotali officio, pertinet purgatio canonica, pag. 160. - Non est derivata e iure germanico, pag. 161. - Opponitur purgationi vulgari, *ibid.* - Hodie e Curiis exulavit, pag. 164. - Purgatio canonica quatenus est remedium extraiudiciale laudanda est, pag. 363. - Sub hoc aspectu non abhorret a foro ecclesiastico et utiliter etiam hodie frequentari potest, pag. 364. - At caute adhibenda est ut suo scopo respondeat, pag. 365. - Quomodo hodie ordinari valeat et quid potissimum attendendum sit sive ex parte accusati sive ex parte testium ut admittere praestet eiusmodi remedium, *ibid.*

Purgatio vulgaris. — Quid sit et quomodo opponatur purgationi canonicae, pag. 161 sq.

Q

Quaestio. — Cf. *Tortura.*

Quaestum — facere ex indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus poenis mulctatur, pag. 53 sq.

Querela. — Quomodo distinguenda sit a simplici denunciatione, pag. 155 et nota, pag. 186. — Querela est quaedam accusationis species, pag. 241. - Renunciationi querelae aequivalet contumacia ex parte querelam moventis, pag. 425 sq.

R

Raptores — mulierum eorumque complices matrimonii ineundi causa excommunicatione nem. reservata a Conc. Trid. puniuntur, pag. 90 sq.

Realis simonia — pag. 32.

Reassumptio. — Quando fiat locus reassumptioni processus matrimonialis, pag. 507.

Recognitio. — Recognitiones in iudicio criminali tum reales tum personales quid sint et quomodo faciendae, pag. 379 sq.

Reconventio. — An et quando locum habeat in causis criminalibus, pag. 237.

Recursus. — A sententia ex informata conscientia, non appellatio competit sed tantum recursus ad Sedem Apostolicam, pag. 457. - Cf. *Appellatio.*

Regressus. — Quomodo improbetur pactum regressus in beneficiis, pag. 33.

Regulares — delinquentes a quibus puniri debeant, pag. 107 sq. - Prohibentur sub gravibus poenis munera impertire cum non domini sed administratores sint, pag. 126. - Quae tamen poenae non tenent Congregationes cum votis simplicibus, pag. 127. - De regularibus aliquid speciale cautum est quoad competentiam in causis criminalibus, pag. 235. Cf. *Religiosi.* - Competentia iudicialis in Regulares attribuitur in Ordinibus exemptis Praelatis, pag. 518. - Quinam sint Superiores regulares qui hanc obtinent competentiam, pag. 519. - Quinam exerceant hanc potestatem in Moniales, *ibid.* - Cf. *Processus, Electio, Dimissio, Nullitas profes. relig.* etc.

Religiosi. — Extra casum necessitatis, Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum praesumentes ministrare absque parochi licentia, plectuntur excommunicatione Rom. Pont. simpliciter reservata, pag. 10. - Ab ea incurrenda excusat ignorantia crassa et supina, non vero affectata, pag. 11. - Quid de agente cum conscientia erronea, pag. 12. - De religiosis praesumentibus matrimonia solemnizare absque parochi licentia quid statuerat Clemens V, quid Conc. Trid. *ibid.* - Quomodo intelligenda censura a Conc. Trid. inflicta, pag. 13. - De religiosis ordinatis absque titulo, pag. 19. - De viris religiosis dimittendis ante vota solemnia nuncupata, pag. 524. - Cf. *Regulares.*

Reliquia. — Extrahentes absque venia reliquias ex Catacumbis romanis quibus poenis mulctentur, pag. 55.

Remedia extraordinaria. — Quando et quibus ex his sit locus, pag. 423 sq. - Remedium extraordinarium sententiae ex informata conscientia, cf. *Sententia ex inf. caus.*

Remedia poenalia extraiudicialia. — De ratione iuridica applicandi huiusmodi remedia ordinata ad praecavendas graviores disciplinae ecclesiasticae laesiones et ad ordinem iam laesum reparandum, pag. 348 sq. - Experimentum huiusmodi remediorum expostulat intentio systematis poenalis ecclesiastici, *ib.* - At quia haec remedia sunt poenalia, requiritur praevia inquisitio, pag. 349. - Quaenam sint haec remedia, pag. 350. - Magni ponderis est quaestio quinam ordo servandus sit in hisce remediis applicandis, pag. 352. - Haec remedia impeti possunt per recursum seu appellationem extraiudicialem, cuius effectus est tantum devolutivus, pag. 361. - Huiusmodi remedia *praeservativa* seu pure medicinalia praecedere destinata sunt formale iudicium, pag. 362. - Cf. *Monitio canonica, Praeceptum, Purgatio canonica.*

Remissio criminis. — Si privata sit, intelligitur cum agatur de criminibus quae compescuntur ad instantiam partis laesae, pag. 249. - Princeps pro publica potestate qua

pollet, potest abolere ius accusandi, *ibid.*

Renunciatio. — Contumacia ex parte accusatoris vel querelam moventis aequivalet renunciationi accusationis seu querelae, pag. 425 sq.

Reo in iudicio criminali. — (*De*), pag. 205 sq. - Cf. *Accusatio*, *Accusatus*, *Denunciatio*, *Inquisitio*, *Defensio*, etc.

Repetitio testium. — Locum habet in processu mixto pro legitimatione processus, pag. 309. - An sit ad substantiam, pag. 311. - Quando et quomodo fiat in processu, pag. 313. - An fiat, ad legitimandum processum, coram accusato, pag. 394.

Repulsa testium. — Quid sit, pag. 314. - Est specie exceptionis dilatoriae, pag. 322.

Reservatio pensionis — pag. 34.

Residentia. — Qui eam non observant, si obligati, variis poenis percelluntur, pag. 128 sq.

Res iudicata. — De effectu seu de exceptione rei iudicatae adversus sententiam condemnatoriam vel absolutoriam accusati, pag. 408.

Restitutio in integrum. — De restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii in causis nullitatis professionis religiosae, pag. 526 sq.

Reus. — Utrum et quomodo defensor matrimonii agat partes rei, pag. 479. — Excusationes a reo deductae relate ad censuras excutiendae sunt ordine iudiciali, pag. 515.

S

Sagittariis (De), — pag. 78.

Secretum S. Officii. — Explicatur in quo consistat tum ex iure communi tum ex iure particulari Cong. Supr. Inq., pag. 537 sq.

Sectae — seu societates damnatae, quaenam, pag. 68.

Sententia. — De eius valore cum feratur a tribunalibus collegialibus, pag. 221. - Sententia absolutoria perimitur actio criminalis, pag. 262. - Explicatur regula quae iubet a iudice semper inferendam esse sententiam ex actis et probatis, etiam posthabita scientia privata vel physica certitudine, pag. 278 sq. - Sententia quae est - pronunciatio iudicis legitima super quaestione a contendentibus proposita -, profertur a iudice, in expediendis quaestionibus, sive *incidens* sive *definitiva*, pag. 326. - Sententia est aut *contradictoria*, aut *contumacialis*, pag. 327; - alia est *absolutoria* aut ab *instantia* aut a *crimine*; alia *condemnatoria*, *ibid. sq.* - Sententia definitiva absolutoria vel condemnatoria debet habere requisita tum extrinseca, pag. 328; - tum intrinseca, pag. 329. - Sententia sive absolutoria sive condemnatoria transit in rem iudicatam quando amplius appellatione impeti non valet, pag. - 330. - Quid iuris de interlocutoriis, *ibid.* Cf. *Appellatio*. - De sententiis quae non transeunt in rem iudicatam, pag. 337 sq. - De sententiae executione, Cf. *Executio*. - Reus necessario citandus ut audiat sententiam definitivam, pag. 401. - In art. xxxv Instr. S. C. EE. et RR. agitur de sententia definitiva, pag. 407; - quae est aut absolutoria accusati aut eiusdem condemnatoria, *ibid.* - An et quomodo pronunciatio sententiae habeatur, servato veluti uno contextu, conclusio disceptationis causae, pag. 408. - De parte dispositiva sententiae, explicatur art. xxxv supra citatus, pag. 409. - Addenda est sententiae pars motiva, pag. 410. - Sententia reo est indicenda, ut si velit, appellationem interponere valeat ad superiorem ecclesiasticam potestatem, *ibid. sq.* - De modo quo fertur sententia definitiva a tribunali collegiali, pag. 411. - Sententia appellata defenditur a Promotore fiscali, pag. 417. - Executioni sententiae fit locus, quando sententia non amplius potest appellatione impeti, pag. 424. - De modo

procedendi ad sententiam absolutoriam seu condemnatoriam adversus contumacem, pag. 428. - A sententia contumaciali non datur appellatio, pag. 429. — De sententiis interlocutoriis in causis matrimonialibus, pag. 507 sq. - Quomodo ferri debeat sententia definitiva in causis matrim., pag. 508. — In censuris aliter proceditur ad sententiam *condemnatoriam*, aliter ad *declaratoriam*, pag. 511. - De sententia *condemnatoria*, *ibid. sq.* - Haec fertur propter culpam gravem non omnino praeteritam, *ibid.* - In scriptis denuncianda est, pag. 513. - De sententia *declaratoria* censurae, pag. 514 sq. - Sententia *declaratoria* in scriptis proferenda est nisi aliud expostulet necessitas, pag. 515. - A sententia *declaratoria* appellatur cum utroque effectu, pag. 516. - Quomodo quis exequatur sententiam Sancti Officii in *sollicitantes*, pag. 560 sq.

Sententia ex informata conscientia. — Necessitas inducendi aliquod remedium ad compescenda crimina, attenta rerum veritate, quamvis ista probari non possint *iudicialiter*, pag. 436 sq. - Quod remedium, utpote extraiudiciale est extraordinarium, et vocatur sententia ex inf. consc., pag. 438. - Conc. Trid. hoc remedium induxit per extensionem in clericos *saeculares* disciplinae tunc vigentis tantum in clericos *regulares*, *ibid.* - Est quidam regressus in disciplinam antiquiorem, pag. 439. - Iansenistae perperam impetierunt sententias ex inform. consc., pag. 440. - Scriptores catholici diversimode interpretati sunt textum subobscurum Conc. Trid. de hac lege, *ibid. sq.* - Explicatur *contextus* Trid. decreti in sensu litterali, pag. 441. - Adhibenda est stricta interpretatio, *ibid.* - Quomodo inoleverit hodierna denominatio *sententiae ex inform. consc.*, pag. 442. - Ad quam edendam expostulantur probationes efficaces *in foro externo*, *ibid.* - Hae sententiae feruntur propter *crimina*, non propter Clerici incapacitatem seu inidoneitatem, pag. 443. - At dumtaxat propter *crimen occultum*, *ibid. sq.* - non vero propter publicum, pag. 446. Cf. *Crimen.* - Quaenam et cuius durationis poenae ferri possunt hisce sententiis, pag. 448 sq. Haec sententia vel fertur in *laicos* qui arcendi sunt a sacra ordinatione, pag. 454; - vel fertur in *clericos* etiam *arctatos* ad ordines ratione beneficii, *ibid.* - An et quando ferri possit in clericos regulares, pag. 455. - In ferendis his sententiis praemittenda est inquisitio specialis et specialissima ad informationem curiae, *ibid.* - An sententia in scriptis edenda sit, pag. 456. - Quaenam prudenter significanda sint in hac sententia et, in primis, an denuncianda sit causa suspensionis, *ibid.* - Ab hac sententia nulla competit appellatio sed tantum *recursus* ad S. Apostolicam, pag. 457. - Sed appellationi ordinariae est locus si aliqua subsit incidentalis causa, *ibid.*

Sepultura ecclesiastica. — Ea privantur duellantes, pag. 76, - et qui in torneamentis temere congrediuntur, pag. 77.

Sermo. — Quonam sermone exaranda sunt tum acta causae, tum acta iudicii in causis matrimonialibus, pag. 508.

Simonia. — Arcenda est omnino a collatione et usu rerum sacrarum, pag. 27 sq. - Quid sit, pag. 28. - Eius obiectum, pag. 29. - Alia est iuris divini, alia ecclesiastici, pag. 30. - A quibus rebus spiritualibus est arcenda, pag. 31. - Utraque est aut mentalis, aut conventionalis, aut realis, aut mixta, pag. 32. - Simoniae conventionalis species est confidentialis *ib.* - Quid haec habeat speciale quoad poenas incurrendas, pag. 34. - Simonia non admittitur quando bonum spirituale et temporale uni eidemque accedit, pag. 38. - Committitur simonia quum temporale datur tanquam motivum aut tanquam gratuita compensatio, aut temporale est finis ipsius rei spiritualis, ut patet in propositionibus damnatis ab Inn. XI, *ib.* - Principia quae moderantur simoniam iuris ecclesiastici, quae est vetita quia prohibita, hinc tantum in casibus expres-

sis, pag. 40 sq. - Ad simoniam iuris ecclesiastici pertinet tit. *De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi*, pag. 44, 53. - Ad arcendam quoque labem simoniacam pertinet tit. 4, L. V. (X) « *Ne praelati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant*, pag. 44. - De poenis in simoniacos, cf. *Poena*.

Societas. — Quid sit, pag. 104, nota.

Sodomia. — In clericis punitur poenis quae expostulant sententiam declaratoriam, pag. 114.

Solemnitas. - In quo consistat ex iure communi solemnitas iudiciorum criminalium, pag. 343. - Potissimum huiusmodi solemnitates determinatae fuerunt ex stylo peculiari curiarum, *ib.*

Sollicitatio. — S. C. S. Officii in executionem Const. « Sacramentum Poenitentiae » contra sollicitantes ad turpia, plures edidit Instructiones, pag. 549. - Harum intentio non sinit Episcopos procedere *extraiudicialiter vel ex informata conscientia*, *ib. sq.* - De iudice competente et notario in hisce causis, pag. 550. - Denunciationes recipiendae et prudentissime examinandae sunt iuxta *formulas*; Episcopus autem qui excipit denunciationem de eadem certiorem facere debet Sacram Congr. S. Off. *ib. sq.* - Ad probandum crimen sollicitationis ipsa Cong. S. Officii edidit Instructionem quae refertur, pag. 556 sq. - Praxis S. C. S. Officii exponitur et explicatur, pag. 557 sq. - Hanc praxim si non adamussim, tamen uti specimen prudentissimi processus prae oculis habere debent Ordinarii, iis etiam in casibus, quibus ipsi procedunt sua ordinaria potestate, pag. 564. - Refertur Instructio S. Officii a. 1867 diei 20 Febr. « Quae Supremus Pontifex » *ib. sq.*

Sponsalia. — Impedimentum ex obligatione sponsalium dumtaxat sponsi opponere valent, pag. 485. - Quomodo haec lis componenda sit, *ib. sq.*

Subreptio. — An et quando poenis percellatur subreptio in rescriptis Pontificiis vel Episcopalibus, pag. 97 sq.

Suffocatio — puerorum, pag. 79.

Suggestio. — In interrogatoriis semper vitanda est, pag. 290. - Alia est verbalis, alia realis, pag. 291.

Suicidium. — Est grave delictum ab Ecclesia compescendum, pag. 72.

Supplicium. — Quando ita vocata fuerit poena, pag. 142.

Suspensio — in Parochum vel alium sacerdotem qui alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere audet, pag. 12. - In male ordinantes et male ordinatos, pag. 17 sq. - In ordinantem absque titulo clericum, pag. 18; - vel religiosum nondum professum, pag. 19; - vel alienum subditum absque huius Episcopi litteris dimissorialibus, vel proprium subditum absque litteris testimonialibus Episcopi loci ubi ordinandus diu moratus fuerit, pag. 20. - Quomodo se gerere debeant Ordinarii ad effugiendam censuram, pag. 21 sq. - Suspensio in ordinantem in Dioecesi aliena sine huius Ordinarii licentia expressa, pag. 23. - In Episcopos titulares sine licentia aliquem ordinantes vel ad tonsuram promoventes, *ib.* - In Vicarios Capitulares concedentes dimissorias non *arctatis*, infra annum a suscepto Vicariatu, *ibid.* - In ordinantes Romae clericum exterum absque licentia Card. Urbis Vicarii, quando hac opus sit, vel alios absque requisitis a Bull. « Apost. Sedis » pag. 24 sq.; - vel clericum suburbicarium, pag. 26; - in male ordinatos, pag. 24 sq. - Nullam hodie contrahunt censuram *l. s.* qui non servant interstitia, vel aliquem promovent ad ordines maiores non habentem aetatem legitimam, pag. 23. Cf. *Ordinans.* - Suspensio in admit-

tentes praesentatos aut nominatos ad regimen Ecclesiae Cathedralis ante praesentationem litterarum apostolicarum, pag. 131- - Qui si Episcopi sint suspenduntur ab exercitio Pontificalium, pag. 136. - Per sententias ex informata conscientia non fas est ferre suspensiones perpetuas, pag. 448 sq. - Utrum haec suspensio ab ordine aut ab officio sit censura aut poena, 450 sq. - Non licet per has sententias decernere suspensionem a beneficio, pag. 452. - Violantes tamen hanc ceusuram fiunt irregulares, *ibid.*

Suspensio — praescriptionis in re criminali, pag. 261.

Suspicio. — Cf. *Exceptio.*

Spirituales res — quaenam dicantur relate ad simoniam, pag. 31.

Spiritualia exercitia. — Quando haec redoleant poenarum naturam, pag. 360. - An huic remedio poenali praemitti oporteat, antea monitiones, postea praeceptum, *ibid. sq.*

Stuprator. — Poenis mulctatur et variis obligationibus tenetur, pag. 85.

Stuprum. — Multiplici significatione sumitur, pag. 84. — Proprie est actus fornicationis cum virgine, *ibid.* - Est violentum vel non, *ibid.* - Eius effectus, *ibid.*

Systema. — Diversa systemata processualia inducta sunt ex diverso modo quo consideratum fuit obiectum *mediatum* iudicii criminalis, pag. 142.

T

Talio. — De poena talionis in calumniatores apud romanos, pag. 149, - ea poena non punitur iure canonico accusans per modum exceptionis si deficiat in probando, sed iste extraordinarie puniendus est, pag. 172. - Morali modo ius can. excepit poenam talionis, pag. 190.

Taurorum agitationes — prohibuit Pius V sub poena excommunicationis latae sententiae, quam postea moderaverunt Greg. XIII et Clemens VIII, pag. 77.

Tempus — relate ad praescriptionem, cf. *Praescriptio.*

Territorium. — De competentia iudicis in causis criminalibus ratione territorii, pag. 231. - De eadem competentia in causis matrimonialibus pag. 470.

Testis. — De modo seu de ratione processuali qua in iudicio criminali testes probationem faciant pag. 300. - Quinam testes esse possint in iudicio criminali, pag. 301. - Testes aliunde *inhabiles* praebent *indicia*, non proprie *attestationes*, *ib.* Utrum et quando *unus* testis faciat plenam probationem, pag. 302. - Testis ad examen citandus est, quia testis ultroneus est suspectus, pag. 303. - Regulae quoad testium citationem, *ibid.* - Testis non iuratus non probat, pag. 304. - In primis quaeri oportet a quonam producatur testis et exquirenda causa seu fons scientiae, pag. 305. - Testes citati, si venire recusent, cogi possunt, *ibid.* - In processu accusatorio testes recipi non possunt nisi citata parte accusata, pag. 306 - In processu inquisitivo testes examinantur pro informatione curiae ante citationem inquisiti, pag. 307. - Diversimode recipiuntur testes et attestationes in processu pure inquisitivo et in processu mixto, *ibid. sq.* - In processu mixto locum habet repetitio testium pro legitimatione processus, pag. 309. - An repetitio testium sit ad substantiam, pag. 311. - Quare *confrontatio* teneat locum *repetitionis*, *ibid.* - Aliquando *confrontatio* est necessaria, pag. 313. - Quando et quomodo in processu fiant confrontatio et repetitio testium, *ibid. sq.* - De repulsa testium seu de exceptionibus in testes, pag. 314. - Explicantur regulae Instructionis S. C. EE. et RR. pro examinibus testium, pag. 373. - Testes citandi sunt aut a cursore aut per litteras *commen-*

datas, pag. 375. - Quando nulla requiratur citatio et de testibus absentibus, *ibid.* - Quid faciendum in casu quo testis aut nolit aut nequeat venire ad examen, pag. 376. - De modo proponendi interrogatoria, *ibid. sq.* - Testis suspectus excutiendus est diligenter, et si falsus et periurus inveniatur poenis multandus est, pag. 379. - De testibus repetendis ad legitimationem processus, cf. *Repetitio testium; Legitimatio processus.* - Novi testes in instantia accusationis semper produci possunt ab accusato, quam rarissime ab accusatore, pag. 395. - Attamen testes sive ab accusato sive ab accusatore producti admittuntur per decretum iudicis, cuius est pensare ius producentis, 396. - An pluribus et distinctis vicibus productio testium fieri possit, *ibid.* - De testibus qui vocandi sunt ad confrontationem, pag. 397. - In testibus quoad causas matrimoniales aliquid singulare est tum quoad personas testium, tum quoad modum faciendae attestationis, pag. 465. - In causis matrimonialibus ad probanda impedimenta, testes quantumvis propinqui admittuntur, vel etiam praeferuntur, pag. 487. - Testes septimae manus sunt testes de credulitate, *ibid.* - An semper requirantur ad substantiam, pag. 488. - Testes ex officio citati complent processus matrimonialis instructionem, pag. 489. - Quomodo examinandi seu interrogandi sint, pag. 504 seq. - Interrogatoria testium sollicitationis, pag. 557 sq.

Titulus. — Ob quos titulos usurae peti possint, pag. 100 sq.

Torneamenta. — Fieri prohibentur et contrafacientes puniuntur privatione sepulturae ecclesiasticae, pag. 77.

Tonsura. — Clerici non deferentes tonsuram variis, vario tempore, affecti sunt poenis, pag. 117 sq.

Tortura. — Obstat libertati confessionis tortura reorum, pag. 292. - De historia torturae *ibid.* nota. - Quando locum habebat usus torturae et quinam eius defectus, pag. 293 sq.

Transactio. — Ei locus non est iure canonico ad extinguendam sive accusationem sive poenam, pag. 249. - An contentio iudicialis circa matrimonium per transactionem praeveniri aut finiri possit, pag. 461.

Tribunal. — Inter personas constituentes tribunal in causis matrimonialibus recensetur moderator actorum et defensor matrimonii ex officio seu promotoris fiscalis munus exercens ad praescriptum Const. « Dei miseratione », pag. 464. - Tribunalia quae apud S. Sedem cognoscunt causas matrimoniales sunt Congregatio Concilii, C. S. Officii et C. de Prop. Fide, pag. 469.

Tribunal collegiale. — Quomodo velut *ordinarium* costitui possit ab Episcopo per iudices seu assessores adiunctos ipsi Vicario Generali, quando hic agit ex mandato vel generali vel speciali, pag. 219. - Tribunalia ordinata in provinciis ditionis pontificiae, pag. 220. - De valore sententiae latae in eiusmodi tribunalibus, pag. 221. - De modo quo feratur sententia definitiva a tribunali collegiali, pag. 411.

U

Usura. — Est quidquid ob rem mutuo datam expostuletur a debitore ultra sortem, pag. 96. - In quo consistat eius malitia, quare ab Ecclesia usque fuerit et sit damnata, *ibid. sq.* - Ex natura mutui ipso iure naturali damnantur usurae, pag. 99. - Usurae tamen, inito mutuo, ex titulo extrinseco repeti possunt, videlicet damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, pag. 100 sq. - De titulo legali, pag. 102. - De censu, cambio, societate, pag. 103 in nota. - Iure romano ex adiecta stipulatione repeti poterant usurae, pag. 103. - Sententia D'Annibale qui opinatur non posse probari iure naturali esse vetitas usuras probabilis non videtur, pag. 104.

Usurarii — plectuntur infamia facti et poenis arbitrariis, pag. 106.

V

Vagus. — De competentia in causis criminalibus vagorum, pag. 235.

Venatio — clamorosa, obsoletis antiquis poenis, hodie arbitrio Episcopi extra censuras *l. s.* puniri potest, pag. 115.

Vexatio — iniusta utrum et quando possit aliquo pretio redimi, pag. 34, sq.

Vicarius generalis — Utrum comprehendatur, nomine Praelatorum, in decreto Trid. de sententiis ex informata conscientia, pag. 454. - De competentia Vicarii Generalis quoad causas matrimoniales, pag. 468.

INDEX SYNOPTICUS

LIBR. II - PARS I

De delictis et poenis.

TITULUS XI.

DE CRIMINIBUS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM VEL IN USU ALIARUM RERUM SACRARUM ADMISSIS.

1. In hoc titulo comprehenduntur crimina, quae directius offendunt ius Ecclesiae *privatum*. . . . . *pag.* 3
2. In primis coercentur poenis abusus in administratione sacramentorum. . . . . » 4
3. Statutis poenis cavetur ne simonia, aut ipsa simoniae labes inficiat sive beneficiorum collationem, sive usum aliarum rerum sacrarum, veluti Indulgentiarum et ss. Reliquiarum . . . » ib.
4. Quoad loca sacra, constitutae sunt poenae in violantes *ius asyli* competens Ecclesiis, nec non in transgredientes clausuram monialium . . . . . » ib.

CAPUT I.

DE CRIMINIBUS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ADMISSIS.

5. De sacramentali absolutione complicis . . . . . *pag.* 5
6. De non exquirendo in confessione nomine complicis . . . . » 7
7. De denunciatione confessarii sollicitantis . . . . . » 8
8. Religiosis non fas est ministrare extremam unctionem et Viaticum absque Parochi licentia . . . . . » 10
9. Sacerdotes matrimonia celebrare praesumentes absque Parochi licentia . . . . . » 12

10. Coercetur mercimonium quoad eleemosynas Missarum . . *pag.* 13
11. Explicantur suspensiones l. s. reservatae Rom. Pontifici decretae in *male ordinantes* et in male *ordinatos*. Regulae generales. » 17
12. Suspensio l. s. *in ordinantes absque titulo*. . . . . » 18
13. In ordinantes subditum alienum absque dimissorialibus litteris, vel proprium absque dimissorialibus, quum hae semel expetuntur . . . . . » 19
14. Percelluntur *suspensione* l. s. reservata *R. P. ordinati ab alieno Episcopo, ei non oblatis litteris testimonialibus*; vel *ab Episcopo excomm., suspenso nominatim denunciato* . . » 23
15. Ex singulari iure dioecesis romanae, eiusdem speciei suspensio indicta est *in male ordinantes et male ordinatos* . . . . » 24

Caput II.

de simonia e collatione et usu rerum sacrarum arcenda.

16. De poenis latis in simoniacos . . . . . *pag.* 27
17. Conceptus simoniae, cuius definitio explicatur per partes . . » 28
18. Potissimum explicatur obiectum simoniae. . . . . » 29
19. Simonia alia *iuris divini* alia *iuris ecclesiastici*. . . . . » 30
20. Quaenam sint res spirituales, a quibus arcenda est simonia. » 31
21. Simonia, sive divini sive humani iuris, est aut *mentalis*, aut *conventionalis*, aut *realis*, aut *mixta*. - *Conventionalis* simoniae species est *confidentialis*. Quomodo haec consistat in pactis *reservationis*. . . . . » 32
22. Quid speciale habeat quoad poenas incurrendas. . . . . » 34
23. Utrum redimere vexatam prohibitum sit et quando *iure divino*. » ib.
24. De *mercede* praestita pro *labore* ministerii sacri, aut pro *ope* ab amicis interposita, qua utimur ad res sacras consequendas. » 36
25. In permutandis rebus spiritualibus inter se non admittitur simonia, at simonia *iuris ecclesiastici* admittitur aliquando in permutandis rebus temporalibus spiritualibus adnexis. . . » 37
26. Quando bonum spirituale et temporale uni eidemque accedit, non committitur simonia. . . . . » 38
27. Ex *propositionibus* 45, 46 ab Inn. XI damnatis sequitur, committi simoniam cum temporale datur tamquam *motivum*, aut *tamquam gratuita* compensatio, aut temporale est *finis* ipsius rei spiritualis . . . . . » ib.

28. Explicantur principia, quae moderantur simoniam iuris eccl. et haec est vetita *quia prohibita*, et in casibus tantum expressis. . . . . *pag.* 40
29. An adhuc et quomodo vetitum sit aliquid accipere ab ingressuris statum religiosum . . . . . » 43
30. Ad simoniam *iuris eccl.* pertinet titulus: *De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi*, et alius titulus subsequens. . . . . » 44
31. De poenis in simoniacos in genere . . . . . » ib.
32. In specie, de poenis in reos simoniae *realis* in beneficiis . . » 46
33. De poenis in reos simoniae *confidentialis* . . . . . » 47
34. De poenis in reos simoniae *ob ingressum in Religionem* . . » 48
35. Rei simoniae quando sint infames infamia iuris. . . . . » ib.
36. De restitutione vel abdicatione pretii simoniaci. . . . . » 49

§ 1. *De labe simoniaca a rebus sacris arcenda.*

37. Huc spectat titulus 4 *Libr. V, Decr. Greg. IX.* « *Ne Praelati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant* ». *pag.* 52
38. Item titulus subsequens: « *De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi* ». . . . . » 53
39. Compescuntur *quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus* . . . . . » ib.

§ 2. *De locis sacris adversus sacrilegos tuendis.*

40. Feruntur poenae in extrahentes, absque venia, reliquias ex Catacumbis romanis. . . . . *pag.* 55
41. Compescuntur *violantes* clausuram monialium . . . . . » 56
42. Iterum mulieres violantes clausuram Regularium Virorum. . » 59
43. Poenae in violantes immunitatem asyli eccles. ausu temerario, aut violare iubentes. . . . . » 60

TITULUS XII.

DE CRIMINIBUS ADMISSIS IN LEGEM NATURALEM DIVINAM OBNOXIIS LEGI POENALI ECCLESIAE.

44. Quaenam sint huiusmodi crimina . . . . . *pag.* » 63
45. Ex his alia offendunt religionem Deo debitam, alia charitatem laedunt erga *seipsos*, vel erga *alios* exercendam, maxime habito respectu salutis animae. . . . . » ib.
46. Huc spectant delicta venerea, quippe contraria iuri naturae et recto usui virium naturalium ordinatarum ad propagandum humanum genus . . . . . » 64

§ 1. *De proferentibus verba aut propositiones asserentibus in Deum vel in Ecclesiam iniuriosa, et de iis, qui nomen dant sectis damnatis.*

47. Poenae in blasphemos. . . . . *pag.* 64
48. Poenae in docentes et defendentes propositiones ab Apost. Sede damnatas. . . . . » 66
49. Excommunicantur *nomen dantes sectis* damnatis, veluti Massonicae, eisdemque faventes, necnon coryphoeos non denunciantes . . . . . » 67
50. De *damnata societate catholica pro vindicatione iurium populi christiani et in primis* romani, in electione Rom. Pontificis. » 71

§ 2. *De criminibus quae corporis et animae salutem in discrimem adducunt.*

(Huc referantur tituli 10, 11, 12, 13, 14, 15, X libr. V, et 4, V in 6).

51. De iis, qui violentas manus in seipsos inferunt. . . . . *pag.* 72
52. Duellum gravibus poenis compescitur. . . . . » 73
53. Prohibitiones et poenae constitutae in torneamenta et agitationes taurorum . . . . . » 77
54. Quomodo in rem canonicam pertineat titulus « *De his qui filios occidunt* » et alter « De infantibus et languidis expositis . . . . . » 78
55. Poenae in procurantes abortum. . . . . » 79

§ 3. *De delictis venereis.*

(Huc referantur tit. 16, X, libr. V, et tit. 13, X, IV).

56. Delicta venerea sunt mixti fori. . . . . *pag.* 82
57. De fornicatione vel simplici, vel coniuncta cum sacrilegio. . » ib.
58. De incestu. . . . . » 83
59. De stupro . . . . . » 84
60. Quibus poenis et obligationibus teneatur stuprator . . . . » ib.
61. De adulterio. . . . . » 86
62. De impedimento criminis. . . . . » 88

§ 4. *De criminibus quae, pessumdata charitatis aut iustitiae lege, animabus vehementer nocent.*

63. Qui cogunt mulierem ad monasterium ingrediendum eorumque complices excommunicatione non reserv. percelluntur . *pag.* 89
64. Excomm. item non reservata plectuntur raptores *mulierum* matrimonii ineundi causa, eorumque complices, et domini temporales libertatem matrimonii violantes . . . . . » 90
65. De fidelibus qui decimas non solvunt . . . . . » 91
66. Patronus qui scienter praesentat indignum ad beneficium . . » 92
67. De collusione detegenda. . . . . » 93
68. De obreptione vel subreptione in rescriptis vel Pontificiis vel Episcopalibus. . . . . » ib.
69. Fures, usurarii et infames in genere . . . . . » 95

§ 5. *De usuris.*

70. Usurae notio . . . . . *pag.* 96
71. In quo consistat usurarum malitia, quare ab Ecclesia usque fuerunt et sunt damnatae . . . . . » ib.
72. Quomodo iure ipso naturali damnatae sint usurae. . . . . » 99
73. Tamen non ex titulo mutui intrinseco, sed ex titulo extrinseco usurae repeti valent, inito mutuo. . . . . » 100
74. De titulo legali . . . . . » 102
75. Usuras quomodo iure rom. stipulari fas erat. . . . . » 103
76. Sententia d'Annibale expenditur, sed probabilis non videtur . » 104
77. De poenis in usurarios . . . . . » 106

TITULUS XIII.

DE CRIMINIBUS A CLERICIS IN DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM ADMISSIS.

78. Diversa remedia, quae compescunt clericos delinquentes in ecclesiasticam disciplinam . . . . . *pag.* 107
79. De clericis regularibus et clericis *saecularibus exemptis* . . » ib.
80. De excessibus praelatorum et subditorum. De excessibus privilegiatorum . . . . . » 109

§ 1. *De criminibus quae violant munera vel status clericalis, vel specialis officii clericorum.*

81. De clericis concubinariis . . . . . *pag.* 110
82. De sodomia. . . . . » 114
83. De clerico venatore. . . . . » 115
84. De arte ludicra . . . . . » 116
85. Clerici habitum et tonsuram non deferentes. . . . . » 117
86. Sacerdos, qui Missam non perficit, aut iterum iterumque celebrat in eodem die . . . . . » 119
87. De clerico negotiatore . . . . . » 120
88. Excommunicatio reservata in ecclesiasticos et regulares viros missionarios exercentes mercaturam in Indiis Orientalibus. » 122
89. Absolventes a censuris Const. *Apost. Sedis* reservatis . . . » ib.
90. Iudex munera accipiens . . . . . » 125
91. Regulares munera impertientes . . . . . » 126
92. Plures poenae quasi *conventionales* in clericos non satisfacientes susceptis muneribus . . . . . » 127
93. Poenae in clericos non residentes . . . . . » 128
94. Admittentes ad regimen Eccles. Cathedralis *praesentatos* aut *nominatos* ante praesentationem litterarum Apostolicarum. » 131
95. De maledicis . . . . . » 136
96. Denique ob delicta iuris communis norma puniendi decernitur generalis in cap. 10 *de iud.* x (II, 2) . . . . . » 137

PARS II.

De iudiciis criminalibus.

TITULUS I.

DE ORDINATIONE IUDICII CRIMINALIS IN GENERE.

97. Iudicium criminale pertinet ad potestatem punitivam executivam. . . . . *pag.* 138
98. Differt a iudicio civili potissimum ratione personae *actoris* seu accusatoria . . . . . » ib.
99. Quare explicanda sunt iudicia criminalia in ea parte qua differunt a civilibus . . . . . » 140

CAPUT I.

DE OBIECTO SEU FINE IUDICII CRIMINALIS.

100. Obiectum iudicii criminalis idem est ac obiectum poenae. *pag.* 141
101. At considerari debet etiam obiectum omnino iudicii *proprium* et *specificum*, seu obiectum *immediatum* . . . . . » ib.
102. Prout diversimode consideratum fuit obiectum *mediatum*, diversa habita sunt systemata processualia . . . . . » 142
103. Actor in iudicio criminali fit accusator, et inde movet ratio differentiae in diversis methodis processualibus. . . . . » 143
104. Adumbrantur hae diversae procedendi rationes . . . . . » 144

CAPUT II.

DE DIVERSIS PROCEDENDI MODIS, SEU DE PROCESSU ACCUSATORIO, INQUISITIVO, MIXTO.

105. De accusatore in processu accusatorio. . . . . *pag.* 146
106. Quomodo hoc systema obtinuerit iure rom . . . . . » 148
107. Istud obtinuit etiam iure eccl. iuxta ordinationem iuris rom. » 150
108. Iure rom. induci coepit processus inquisitivus, qui procedendi modus large evolutus fuit per ius canonicum . . . . . » 151

109. Huc spectat titulus « *de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus* » . . . . . *pag.* 153
110. Quid denunciatio et quinam denunciatores . . . . . » 154
111. Denunciatio non constituit rationem procedendi vere iudicialem . . . . . » 158
112. De purgatione canonica. . . . . » 160
113. De processu mixto. . . . . » 164
114. Explicantur et comparantur inter se proprietates processus tum inquisitivi, tum accusatorii . . . . . » 167
115. De partibus quibus necessario constare debet quilibet processus . . . . . » 169

§ 1. *De criminalibus procedendi formis, initis per* VIAM EXCEPTIONIS aut EX NOTORIO.

116. Canonistae communiter memorant *quinque* modos procedendi. . . . . *pag.* 169
117. In quo consistat processus per viam exceptionis . . . . . » 170
118. Revera haec procedendi ratio reducitur ad processum per accusationem . . . . . » 171
119. Quando procedatur *ex notorio* . . . . . » 173
120. At hi, quatenus sunt modi iudiciales reducuntur vel ad accusationem vel ad inquisitionem. . . . . » 174
121. Quomodo proceditur contra criminis *auctorem repertum in flagrante* . . . . . » ib.
122. Quinam processus *ex notorio* sit legitimus . . . . . » 177

TITULUS II.

DE PERSONIS IN IUDICIO CRIMINALI ECCLESIASTICO PARTEM HABENTIBUS.

123. Quaenam personae in iudicio sunt necessariae. . . . . *pag.* 178
124. Quaenam *accessoriae*. . . . . » ib.
125. Quoad *accessorias* quaerendum est an *procuratores* et *advocati in re criminali* admittendi sint . . . . . » 179

Caput I.

de advocatis et procuratoribus.

126. Utrum reo *pauperi necessario* constituendus sit advocatus et procurator . . . . . *pag.* 180
127. Quomodo hi constituantur . . . . . » 181
128. De advocatis et procuratoribus accusatoris . . . . . » 182
129. Aliae quaestiones pertinent ad methodum defensionis, de quibus infra . . . . . » ib.
130. An procuratores in re criminali admittendi sint. Explicatur ius ecclesiasticum . . . . . » ib.

Caput II.

de accusatore et denunciatore.

131. De *accusatoris* munere iure eccl. prout distinguitur a *denunciatore* . . . . . *pag.* 185
132. De promovente denunciationem aut querelam . . . . . » 186
133. Quinam *accusatores* esse valeant . . . . . » 187
134. Quid expostulet accusatoris *munus* . . . . . » 189
135. Quid importet munus denunciatoris et quinam denunciatores esse valeant . . . . . » 190
136. De obligatione denunciandi ex iure positivo . . . . . » 193

§ 1. *De promotore seu accusatore fiscali.*

137. Necessario supplenda est opera accusatoris in processu pure inquisitivo, secus non habentur tres personae in quocumque iudicio necessariae, *iudex*, *accusator* et *reus*. . . . . *pag.* 194
138. Quia haec distinctio potest esse tantum *moralis*, munus accusatoris, ex praescripto legis, supplet publica notoria infamia. » 195
139. De necessitate constituendi personam actoris, seu *accusatoris*, in processu inquisitivo. De huius historia *(remissive)* . » 198
140. In iure canon. non habet *monopolium accusationis* . . . . » 199
141. An munus inquirendi pertineat *iudici* aut *promotori fiscali*. Ad rem distinguuntur variae species inquisitionis. . . . » 201

142. De ratione et origine tum substitutorum, seu adiutorum fisci, tum iudicis instructoris seu commissarii . . . . . » 202
143. An et quomodo determinari possit munus *procuratoris fiscalis* ex iure positivo. . . . . » 203
144. De accusatoribus *adhaerentibus fisco* . . . . . » 204

Caput III.

de accusatis, denunciatis, inquisitis.

145. Hac tractatione agitur de *reo* . . . . . *pag.* 205
146. Distinguuntur denunciati, accusati, inquisiti; quia hi diversimode in iudicium rapiuntur. Ponitur fundamentum distinctionis . . . . . » ib.
147. Quinam accusari possint . . . . . » 206
148. Utrum accusationi praemittenda sit ab accusatore monitio charitativa. . . . . » 207
149. Quinam denunciari possint. Habenda est ratio tum diversae speciei *denunciationis*, tum *criminis;* quod si est occultum, *iudicialiter* non denunciatur et aliquando denunciandum est *canonice*. . . . . » 208
150. Quinam subiici possint inquisitioni. Distinguendae sunt diversae species *inquisitionis* . . . . . » 211

Caput IV.

de iudice.

151. Utrum iudicum ordinatio in re civili et criminali eadem sit. *pag.* 216
152. De iudicis competentia . . . . . » ib.
153. De personis accessoriis, quae iudicem adiuvant . . . . . » 217
154. Actuarius necessario requiritur . . . . . » ib.
155. Iudex instructor est iure posit. inhabilis, nisi sit clericus celebs. . . . . » 218

§ 1. *De officio iudicis.*

156. De iudice collegiali. Quomodo tribunal collegiale veluti ordinarium constitui possit ab Episcopo per iudices, seu assessores adiunctos ipsi Vicario Generali, quando hic agit *de mandato vel generali vel speciali* . . . . . *pag.* 218

157. De tribunalibus collegialibus ordinatis in provinciis ditionis pontificiae . . . . . *pag.* 220
158. De sententiae valore latae in eiusmodi tribunalibus. . . . » 221
159. De iudice instructore. . . . . » 224

§ 2. *De iudicis competentia.*

160. De competentia *ratione obiecti* . . . . . *pag.* 225
161. De privilegio *fori* in re criminali. In hisce causis aeque viget principium: *Actor sequitur forum rei* . . . . . » 226
162. De competentia *ratione gradus* seu de *ordinatione iudicum* quoad causas criminales iudicialiter cognoscendas. . . . » 227
163. De iudice ordinario delegato. . . . . » 231
164. De competentia *ratione territorii* . . . . . » ib.
165. In primis de competentia *ratione domicilii*. . . . . » 232
166. De competentia *ratione delicti* . . . . . » ib.
167. Episcopi, quorum causae criminales sunt maiores, huic titulo competentiae non subsunt. Pro regularibus aliquod speciale cautum est. . . . . » 235
168. De vagis . . . . . » ib.
169. An sit locus *prorogationi competentiae* in criminibus . . . » ib.
170. De *reconventione* . . . . . » 237
171. De *continentia* causarum . . . . . » 238
172. De dubia competentia et de conflictu inter plures iudices aeque competentes . . . . . » ib.

TITULUS III.

DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS.

173. De obiecto iudiciorum criminalium . . . . . *pag.* 239
174. Obiectum IMMEDIATUM est actio criminalis, quae definitur . » ib.
175. Actio criminalis, iure can., est *ius persequendi omnimoda remedia poenalia sive* PRAEVENIENTIA *sive* REPRIMENTIA . » 240
176. Publicus accusator, seu promotor fisci, accusat innixus cuidam actioni . . . . . » ib.
177. De accusatione in processu pure inquisitivo . . . . . » 241
178. De querela . . . . . » ib.
179. De adhaerentibus fisco . . . . . » 242
180. Instantia criminalis . . . . . » ib.

181. Explicatur quomodo processus accusatorius inquisitione adhibeatur etiam in causis spiritualibus et, cum primis, in matrimonialibus . . . . . » 243
182. De exceptionibus . . . . . » 244
183. De monitione canonica et praecepto . . . . . » 245

Caput I.

de modis quibus cessat aut extinguitur actio criminalis.

184. Declaratur status quaestionis . . . . . *pag.* 248
185. De transactione seu de remissione . . . . . » 249
186. De compositione. De abolitione, seu de dispensatione, absolutione et indulto . . . . . » ib.
187. De praescriptione. Conceptus et fundamentum praescriptionis in re poenali . . . . . » 252
188. An haec admittatur iure eccles. Explicatur ius positivum . » 253
189. De praescriptione poenae . . . . . » 258
190. De die a quo currit praescriptio. Quando haec interrumpatur et suspendatur. De iure asyli . . . . . » 260
191. De sententia absolutoria . . . . . » 262
192. Cessat actio criminalis morte accusati. An perimatur instantia morte accusatoris et de peremptione instantiarum . . . » ib.

TITULUS IV.

de partibus processualibus, quibus necessario - seu ad substantiam - constat iudicium criminale.

193. De conditionibus iudicio criminali *necessariis* ex parte actorum . . . . . *pag.* 263
194. An et quomodo istis conditionibus satisfaciat processus pure inquisitivus . . . . . » ib.
195. De processu *summario* et *formali* . . . . . » 264
196. An Instructio S. C. EE. et RR. die 11 Iun. 1880, sit *directiva* aut *praeceptiva* . . . . . » 265
197. At in gradu appellationis servari debet *forma summaria*, si haec servata fuerit in prima instantia . . . . . » 266

Caput I.

de contestatione litis seu accusationis.

198. In quo consistat contestatio litis in criminalibus . . . *pag.* 267
199. Quanam in processus parte haec fiat in diversis procedendi modis. . . . . » ib.
200. Contestatio debet esse *plena* et *tempestiva*. . . . . » 269
201. De corpore delicti . . . . . » 270
202. De examine rei . . . . . » 272
203. De *constitutis* . . . . . » 273
204. De libello accusatorio, seu de capitulis . . . . . » ib.

Caput II.

de probationibus.

205. De probationibus quod ad rem criminalem . . . . . *pag.* 275
206. De certitudine quam parere natae sunt probationes in re criminali . . . . . » ib.
207. De probatione *plena* aut *semiplena* . . . . . » 276
208. Iure can. non aestimatur probatio *plena* aut *semiplena*, ex vi *probationis legalis* sed ab *intima* persuasione iudicis. . . » ib.
209. An probatio *semiplena* sufficiat accusationi instituendae . . » 278
210. Explicatur regula quae iubet a iudice semper ferendam esse sententiam *ex actis et probatis*, etiam posthabita scientia *privata* vel physica certitudine . . . . . » ib.
211. De fontibus probationum in criminalibus . . . . . » 280

§ 1. *De Documentis.*

212. In civilibus agitur de *instrumentis*, in criminalibus agitur de *documentis* quae magis late patent . . . . . *pag.* 281
213. Quomodo relationes aut peritorum aut iudicis instructoris, qui fecit *accessum iudicialem*, referantur inter documenta. » ib.
214. Quanam in periodo processus *documenta* et caeterae probationes afferri debeant. . . . . » 282
215. Quotuplici sub aspectu pensanda sint. . . . . » ib.

§ 2. *De indiciis seu de praesumptionibus.*

216. Indicia se referunt ad res seu ad adiuncta . . . . . *pag.* 283
217. Quomodo in criminalibus vigeant *praesumptiones iuris* . . » 284
218. Utrum iuvet diversas species indiciorum distinguere, habita ratione vis probativae. . . . . » 285
219. Quomodo aestimanda sit vis probativa indiciorum . . . . » ib.

§ 3. *De confessione.*

220. Ex ipsa notione confessionis *iudicialis* sequitur confessionem provocandam esse per interrogatoria seu per examen . *pag.* 287
221. De confessione *ultronea, tacita* seu *praesumpta.* De scindenda confessione. . . . . » 288
222. Examini rei praevia sit oportet inquisitio seu exploratio *corporis delicti* . . . . . » 289
223. De confessione *incidentali* aut *extraiudiciali* . . . . . » ib.
224. Debet esse libera seu non coacta. De suggestivis interrogationibus. . . . . » 290
225. De tortura reorum . . . . . » 292
226. An reis deferendum sit iuramentum . . . . . » 295
227. An reo dilatio concedi possit ad respondendum . . . . . » 296
228. Regulae observandae in examine reorum . . . . . » 297
229. De confrontatione rei cum testibus . . . . . » 299
230. Examen inquisiti pluries repeti valet . . . . . » ib.

§ 4. *De testibus.*

231. Quaeritur potissimum de *modo* seu de *ratione processuali*, qua in iudicio crim. testes probationem faciunt . . . *pag.* 300
232. Quinam testes esse possint in iudicio criminali. Testes aliunde *inhabiles* praebent *indicia* non *attestationes* . . . . . » ib.
233. Utrum *unus* testis faciat plenam probationem . . . . . » 302
234. De testibus ad examen citandis et de appositis regulis. *Testis non iuratus non probat.* In primis quaeri debet a quo producatur testis, et quinam sit fons scientiae . . . . . » 303
235. An testes cogi possint . . . . . » 305

236. De testibus in processu accusatorio . . . . . *pag.* 306
237. De testibus examinandis pro informatione curiae, in processu *inquisitivo* . . . . . » 307
238. Diversimode recipiuntur testes et attestationes in processu pure inquisitivo ac in processu mixto . . . . . » ib.
239. De legitimatione processus, seu de repetitione testium in processu mixto . . . . . » 309
240. An repetitio testium sit ad substantiam. . . . . » 311
241. Quare *confrontatio* teneat locum *repetitionis*. An aliquando sit necessaria . . . . . » ib.
242. Quando et quomodo in processu haec fiant . . . . . » 313
243. De *repulsa* testium, seu de exceptionibus in testes . . . » 314

Caput III.

de defensione reo concedenda.

244. Reus renuntiare nequit suae defensioni . . . . . *pag.* 316
245. In processu sive *inquisitivo* sive *mixto*, reo concedenda est facultas se defendendi in quacumque parte processus. . . » 317
246. Etiam reo confesso integrum est se defendere. . . . . » 318
247. In quo consistat favor defensionis . . . . . » 319
248. Reo deputandus est defensor ne indefensus condemnetur quamvis per se ipsum se defendere valeat . . . . . » ib.
249. Libertas relinquenda est reo alloquendi suum defensorem. . » 320
250. In agitatione causae immediate ante sententiam definitivam, accusato vel eius defensori relinquenda est, ultimo loco, facultas loquendi . . . . . » ib.
251. Defensio ordinata ad repellendum accusatorem est vel *directa* vel *indirecta*. Iudex recusari valet etiam *in crim.* . . . » 321
252. Positiones, articuli, capita. . . . . » 322
253. De publicatione processus *offensivi* et *defensivi* . . . . . » 324

Caput IV.

de sententia definitiva vel interlocutoria condemnatoria vel absolutoria.

254. Iudex in expediendis quaestionibus sive *incidentem* sive definitivam edit sententiam . . . . . *pag.* 326
255. Haec est aut *contradictoria* aut *contumacialis*. . . . . » ib

256. Alia est *absolutoria*, alia *condemnatoria*. Absolutoria est ab *instantia* aut a *crimine* . . . . . » 327
257. Sententiae *definitivae* requisita *extrinseca* . . . . . » 328
258. Requisita *intrinseca* . . . . . » 329

§ 1. *De appellatione aliisque remediis extraordinariis et de re iudicata.*

259. Quando sententia sive *absolutoria* sive *condemnatoria* transeat in rem iudicatam. Quid iuris de *interlocutoriis* . . *pag.* 330
260. De appellatione ab *incidenti* sententia . . . . . » ib.
261. De appellatione sive *principali* sive *incidenti* et aliis remediis extraordinariis . . . . . » 332
262. Quomodo decurrat decendium ad appellandum. . . . . » 333
263. An cuicumque et in omnibus causis permissum sit appellare. » 334
264. De effectibus appellationis. . . . . » 335
265. Quaenam causae dicantur non transire in rem iudicatam. . » 337
266. De executione . . . . . » 338
267. De expensis . . . . . » ib.

PARS III.

De iudiciis criminalibus in specie Commentarium in Instruct. editam a S. C. EE. et RR. die II Iunii 1880.

TITULUS I.

DE IUDICIO CRIMINALI MIXTO ORDINANDO IUXTA CITATAM INSTRUCTIONEM.

268. Explicandi sunt singuli actus processuales, seu evolvenda est *tela* processus criminalis. . . . . *pag.* 341

269. Processus *mixtus* ordinatus fuit in *citata* Instructione . . . » 342

270. Heic ordinatur processus *summarius* seu *oeconomicus*, quin derogatum sit processui *solemni* seu *formali* . . . . . » ib.

271. Hic potissimum repetitur ex stylo peculiari curiarum. . . » 343

272. Utrum in criminalibus *solemnitatem* processus servare vel potius formam *oeconomicam* pendeat ex arbitrio seu ab instantia partium aut ex iudicis decreto . . . . . » ib.

273. Causae criminales habendae sunt *summariae* quoad *solemnitates*, sed non quoad *probationes* . . . . . » 344

274. Haec ratio procedendi respondet adamussim et naturae causarum et temporum necessitati. Necessitas instruendi et definiendi causas criminales in foro ecclesiastico . . . . . » 345

275. *Citata* Instructio partim pressit vestigia Codicis poenalis iudicialis Greg. saepies *citati*, a quo proinde desumi posse videntur nonnullae normae processuales . . . . . » 346

276. Proprium habet processus iudicii crim. *eccles.* ut antea emendationi delinquentis, deinde prospiciat poenis imponendis *improprie vindicativis*. . . . . » 347

277. De *triplici* vitio *nullitatis* quo inficiuntur acta in processu *summario* . . . . . » ib.

TITULUS II.

DE RATIONE IURIDICA APPLICANDI NONNULLA REMEDIA POENALIA EXTRAIUDICIALIA ORDINATA AD PRAECAVENDAS GRAVIORES DISCIPLINAE ECCL. LAESIONES ET AD ORDINEM IAM LAESUM REPARANDUM.

278. Eiusmodi experimentum expostulat intentio systematis poenalis eccl. . . . . *pag.* 348
279. At quia haec remedia sunt poenalia, requiritur praevia inquisitio . . . . . » 349
280. Quaenam requiratur inquisitio . . . . . » 350
281. Quaenam sint haec remedia . . . . . » ib.
282. Quomodo *citatio* distinguatur a *monitione canonica* . . . . » 351
283. Quinam ordo servandus sit in hisce remediis applicandis. . » 352
284. De monitionibus canonicis. . . . . » 353
285. De monitionibus canonicis in forma *paterna* . . . . . » 354
286. De can. monitione in forma *legali*. . . . . » 355
287. Quando uni et quando alteri sit locus . . . . . » 356
288. De *praecepto* eiusque vi, forma et duratione . . . . . » 358
289. De *spiritualibus exercitiis* . . . . . » 360
290. De recursu sive appellatione ab hisce remediis et de eius effectibus . . . . . » 361
291. Quomodo curia probare debeat suam agendi rationem. . . » 362
292. Utrum huiusmodi remedia *praeservativa* seu medicinalia semper praevia sint iudiciis . . . . . » ib.

§ 1. *De purgatione canonica.*

293. Laudatur *purgatio can.* quatenus est remedium extraiudiciale . . . . . *pag.* 363
294. Sub hoc respectu *purgatio can.* non abhorret a foro ecclesiastico et utiliter frequentari potest . . . . . » 364
295. Quomodo hodie ordinari valeat *purgatio canonica* . . . . » 365
296. Quid potissimum attendendum sit sive ex parte accusati, sive ex parte testium, ut admittere praestet eiusmodi remedium. » ib.

TITULUS III.

DE INQUISITIONE IUDICIALI IN PROCESSU MIXTO OECONOMICO.

297. Quomodo distinguatur inquisitio *iudicialis* ab *extraiudiciali* praemittenda remediis *extraiudicialibus* seu modo explicatis . . . . . *pag.* 367
298. Quando instaurandum est iudicium. . . . . » ib.
299. Quotuplici modo introduci contingat inquisitio *iudicialis* . . » 368
300. De iudice instructore seu *commissario* . . . . . » 369
301. De promotore fiscali . . . . . » ib.
302. De apparitore . . . . . » 370
303. *De basi facti criminosi*, seu *de corpore delicti* . . . . . » 371
304. De examine testium . . . . . » 372
305. De examine seu de constituto rei . . . . . » 373

§ 1. *De examine testium.*

306. Regulae communes pro examinibus testium . . . . . *pag.* 373
307. De modo citandi testes ad examen. . . . . » 375
308. De casu quo testis aut nolit aut non possit venire ad examen » 376
309. De modo proponendi interrogatoria . . . . . » ib.
310. De teste suspecto . . . . . » 379
311. De recognitionibus *realibus* et *personalibus* . . . . . » ib.

§ 2. *De examine seu de constituto inquisiti.*

312. Quando ad inquisiti examen seu constitutum deveniatur . *pag.* 381
313. De huius citatione et tenore citationis . . . . . » 382
314. Quotuplex citatio requiratur ad contumaciam. . . . . » 383
315. Regulae communes servandae in examine . . . . . » ib.
316. De modo proponendi interrogatoria . . . . . » 384
317. De contestatione delicti facta reo delictum neganti. . . . » 385
318. De inquisito confesso aut partim aut in toto . . . . . » 386
319. De cautelis observandis in concludendo examine seu *constituto* . . . . . » 387

Caput I.

DE INSTANTIA ACCUSATIONIS A SUO EXORDIO USQUE AD PUBLICATIONEM PROCESSUS, HUIUSQUE IMPETITIONEM EX PARTE ACCUSATI.

320. Quando incipiat accusatio . . . . . *pag.* 388
321. An exinde instauretur nova instantia. . . . . » 389
322. De libertate defensionis concedendae reo. . . . . » ib.
323. De *publicatione processus*, quatenus iste actus sit alienus a formis *summariis* et *oeconomicis* . . . . . » 390
324. De opera advocatorum aut procuratorum in genere. . . . » 391
325. De iis quae praevia sunt publicationis decreto . . . . . » 392
326. De legitimatione processus seu de *testibus repetendis*, an repetito fiat coram accusato . . . . . » ib.
327. An novi testes produci valeant sive ab accusatore sive ab accusato. . . . . » 395
328. Testes sive ab accusatore sive ab accusato producti admittuntur per decretum iudicis, cuius est pensare ius producentis . . . . . » 396
329. De testibus qui vocandi sunt ad *confrontationem* . . . . » 397
330. Summa appositi processus. . . . . » 398
331. Quando haec periodus claudatur . . . . . » 399

Caput II.

DE ORALI CAUSAE DISCEPTATIONE.

332. Quinam actus aequivaleat *conclusioni in causa* . . . . . » 400
333. Art. XXXIII Instr. respicit actum praemittendum a iudice antequam claudatur *processus defensionis* . . . . . » ib.
334. De citatione an sit necessaria . . . . . » 401
335. Quare fiat oralis disceptatio causae, et quomodo haec differat ab ea quae proponitur in cod. cit. Greg. . . . . » 402
336. Regulae observandae in hac causae disceptatione . . . . » 403
337. An *ad substantiam* servanda sit haec oralis disceptatio . . » 404
338. Si non observetur, quaenam eius loco observari oporteat . » 405
339. An fisci animadversiones et accusati responsiones debeant tantum in *scriptis* exhiberi . . . . . » ib.

Caput III.

de causae definitione.

340. Explicatur art. xxxv et, in primis, notatur hic sermonem fieri de sententia *definitiva*. . . . . *pag.* 407
341. Quotuplex haec esse possit . . . . . » ib.
342. De effectu seu de exceptione rei iudicatae . . . . . » 408
343. An et quomodo pronuntiatio sententiae habeatur, servato veluti uno *contextu*, conclusio *disceptationis causae* . . . » ib.
344. De parte dispositiva sententiae: explicatur textus articuli . » 409
345. An addenda sit pars narrativa et motiva . . . . . » 410
346. Quare art. xxxvi iubeat sententiam *denunciari* accusato . . » ib.
347. De modo quo fertur sententia definitiva a tribunali collegiali . . . . . » 411

Caput IV.

de appellatione.

348. Hic agitur non de *iure* sed de *processu* appellationis . . *pag.* 412
349. Interponitur apud iudicem ratione *gradus* hierarchici competentem . . . . . » ib.
350. Hodie vero solet appellari in *secunda* instantia ad S. C. EE. et RR. . . . . » ib.
351. De fatali ad appellandum, quando decurrere incipiat . . . » 413
352. Ad quemnam iudicem appellandum sit . . . . . » 415
353. An *acta originalia* et quaenam sint transmittenda a iudice *a quo* . . . . . » ib.
354. De *fatali* ad *prosequendam appellationem* . . . . . » 416
355. Condemnatus appellans constituit defensorem . . . . . » ib.
356. Promotor fiscalis defendit sententiam appellatam, Iudex *a quo per apostolos*, seu litteras dimissorias explicat suam agendi rationem . . . . . » 417
357. De appellatione incidenti . . . . . » ib.
358. De peremptione appellationis. . . . . » ib.
359. In causa appellationis servatur processus oeconomicus. . . » 418
360. Sed apud iudicem *ad quem* nonnulla tantum acta expleri

oportet, habita ratione obiecti appellationis. Quidnam edicere intendat iste iudex in sententiam appellatam . . *pag.* 419
361. An facienda sit *contestatio* et an novae probationes admittantur . . . . . » ib.
362. Processus appellationis apud S. C. EE. et RR. regitur a decreto *18 Decembris 1851*, aliqualiter mutato per decretum *a. 1885*. . . . . » 420
363. De remediis *extraordinariis* . . . . . » 423
364. De sententiis executioni demandandis. . . . . » 424

TITULUS IV.

DE CONTUMACIA ET DE MODO PROCEDENDI IN CONTUMACES.

365. Contumacia est crimen . . . . . *pag.* 425
366. Ex parte accusatoris vel querelam moventis aequivalet renunciationi accusationis seu querelae . . . . . » ib.
367. Quomodo probanda sit contumacia . . . . . » 426
368. De effectibus contumaciae; et in specie de praesumptione criminis in contumace. . . . . » ib.
369. Litis pendentia non potest invocari a contumace, praecipue ad determinandam causae praeventionem . . . . . » 427
370. De poenis in contumaces, tum ratione contumaciae tum ratione criminis unde accusatur contumax . . . . . » ib.
371. De ratione procedendi ad sententiam absolutoriam vel condemnatoriam adversus contumacem reum. . . . . » 428
372. Contumaci condemnato non competit ius appellandi . . . » ib.

TITULUS V.

DE PROCESSU PURE INQUISITIVO.

373. Hodie processus mixtus aliquando explicari non potest, quia testes non reddunt attestationes nisi eorum nomina occulta maneant. . . . . *pag.* 430
374. Instructio S. C. EE. et RR. formas a se propositas non iussit *taxative*, sed praecepit observare normas iustitiae substantialis . . . . . » 431
375. Quando hic processus servari possit, iuxta canonistarum sententiam . . . . . » 432

376. In huiusmodi casu inservit processus *pure inquisitivus* . *pag.* 433
377. In quo consistit eius specifica natura. . . . . » ib.
378. Commendatur praxis adhibendi consultores seu assessores. . » 434
379. Quomodo consulatur iuri naturali defensionis . . . . . » ib.
380. Utrum processui instaurando praerequiratur infamia. . . . » 435
381. Appellatio deneganda non est nisi *expresse* prohibeatur a iure . . . . . » ib.
382. Tunc iudici *ad quem*, seu appellationis, pandendae sunt omnes probationes in prima instantia collectae . . . . . » ib.

TITULUS VI.

DE SENTENTIIS EX INFORMATA CONSCIENTIA.

383. Remedium inducere oportebat ex quo crimina compescerentur, attenta rerum veritate, quamvis ista probari non possent *iudicialiter*. . . . . *pag.* 436
384. Inde est remedium *extraordinarium*, *extraiudiciale*. . . . » 438
385. Inductum est per extensionem in *clericos saeculares* disciplinae tunc vigentis tantum in clericos *regulares*. . . . » ib.
386. Est quidam regressus in disciplinam antiquiorem. . . . . » 439
387. Haeretici Iansenistae, hac de re, damnatas sententias protulere. » 440
388. Scriptores catholici diversimode interpretati sunt textum huius legis . . . . . » ib.
389. Decreti citati explicatur *contextus* in sensu litterali. . . . » 441
390. Adhibenda est stricta interpretatio. . . . . » ib.
391. Quomodo inoleverit hodierna denominatio *sententiae ex informata conscientia*. . . . . » 442
392. Nihilominus expostulantur probationes efficaces in *foro externo*. . . . . » ib.

§ 1. *Sententiae* EX INFORMATA *conscientia tantum in crimina* OCCULTA *eduntur, quibus vel interdicitur ascensus ad s. Ordines, vel fertur suspensio ab Ordine aut officio.*

393. Hae sententiae feruntur propter *crimen*, non propter clerici *incapacitatem* seu *inidoneitatem*. . . . . *pag.* 443
394. At dumtaxat propter crimen *occultum*. . . . . » ib.
395. Quodnam crimen occultum habendum sit. . . . . » 445

§ 2. *De indiciis seu de praesumptionibus.*

216. Indicia se referunt ad res seu ad adiuncta . . . . . *pag.* 283
217. Quomodo in criminalibus vigeant *praesumptiones iuris* . . » 284
218. Utrum iuvet diversas species indiciorum distinguere, habita ratione vis probativae. . . . . » 285
219. Quomodo aestimanda sit vis probativa indiciorum . . . . » ib.

§ 3. *De confessione.*

220. Ex ipsa notione confessionis *iudicialis* sequitur confessionem provocandam esse per interrogatoria seu per examen . *pag.* 287
221. De confessione *ultronea, tacita* seu *praesumpta.* De scindenda confessione. . . . . » 288
222. Examini rei praevia sit oportet inquisitio seu exploratio *corporis delicti* . . . . . » 289
223. De confessione *incidentali* aut *extraiudiciali* . . . . . » ib.
224. Debet esse libera seu non coacta. De suggestivis interrogationibus. . . . . » 290
225. De tortura reorum . . . . . » 292
226. An reis deferendum sit iuramentum . . . . . » 295
227. An reo dilatio concedi possit ad respondendum . . . . . » 296
228. Regulae observandae in examine reorum . . . . . » 297
229. De confrontatione rei cum testibus . . . . . » 299
230. Examen inquisiti pluries repeti valet . . . . . » ib.

§ 4. *De testibus.*

231. Quaeritur potissimum de *modo* seu de *ratione processuali*, qua in iudicio crim. testes probationem faciunt . . . *pag.* 300
232. Quinam testes esse possint in iudicio criminali. Testes aliunde *inhabiles* praebent *indicia* non *attestationes* . . . . . » ib.
233. Utrum *unus* testis faciat plenam probationem . . . . . » 302
234. De testibus ad examen citandis et de appositis regulis. *Testis non iuratus non probat.* In primis quaeri debet a quo producatur testis, et quinam sit fons scientiae . . . . . » 303
235. An testes cogi possint . . . . . » 305

236. De testibus in processu accusatorio . . . . . *pag.* 306
237. De testibus examinandis pro informatione curiae, in processu *inquisitivo* . . . . . » 307
238. Diversimode recipiuntur testes et attestationes in processu pure inquisitivo ac in processu mixto . . . . . » ib.
239. De legitimatione processus, seu de repetitione testium in processu mixto . . . . . » 309
240. An repetitio testium sit ad substantiam. . . . . » 311
241. Quare *confrontatio* teneat locum *repetitionis*. An aliquando sit necessaria . . . . . » ib.
242. Quando et quomodo in processu haec fiant . . . . . » 313
243. De *repulsa* testium, seu de exceptionibus in testes . . . » 314

Caput III.

de defensione reo concedenda.

244. Reus renuntiare nequit suae defensioni . . . . . *pag.* 316
245. In processu sive *inquisitivo* sive *mixto*, reo concedenda est facultas se defendendi in quacumque parte processus. . . » 317
246. Etiam reo confesso integrum est se defendere. . . . . » 318
247. In quo consistat favor defensionis . . . . . » 319
248. Reo deputandus est defensor ne indefensus condemnetur quamvis per se ipsum se defendere valeat . . . . . » ib.
249. Libertas relinquenda est reo alloquendi suum defensorem. . » 320
250. In agitatione causae immediate ante sententiam definitivam, accusato vel eius defensori relinquenda est, ultimo loco, facultas loquendi . . . . . » ib.
251. Defensio ordinata ad repellendum accusatorem est vel *directa* vel *indirecta*. Iudex recusari valet etiam *in crim.* . . . » 321
252. Positiones, articuli, capita. . . . . » 322
253. De publicatione processus *offensivi* et *defensivi* . . . . . » 324

Caput IV.

de sententia definitiva vel interlocutoria condemnatoria vel absolutoria.

254. Iudex in expediendis quaestionibus sive *incidentem* sive definitivam edit sententiam . . . . . *pag.* 326
255. Haec est aut *contradictoria* aut *contumacialis*. . . . . » ib

430. An Episcopus habeat potestatem *delegandi* has causas . *pag.* 468
431. Quinam sit iudex appellationis a sententiis Episcoporum. . » ib.
432. De tribunalibus, quae has causas cognoscunt apud S. Sedem. » 469
433. Instantiae de dispensatione a *matr. rato et non consummato* introducendae sunt et definiendae apud S. Sedem, quamvis processus delegetur conficiendus ab Ordinariis locorum. . » ib.
434. De competentia ratione territorii . . . . . » 470
435. Quomodo applicatur haec regula: *actor sequitur forum rei*. » ib.
436. An attendatur *locus contractus* . . . . . » 471
437. De exceptione incompetentiae aut *suspicionis*. . . . . » 472
438. Utrum iudex recusare possit *accusationem* recipere in matrimonium . . . . . » ib.

§ 2. *De defensore matrimonii ex officio.*

439. Quinam agere valeant munus defensoris matrimonii *ex officio. pag.* 473
440. Non necessario constituendus est cum stabili officio. Ei utiliter deputatur *adiunctus* seu *substitutus* . . . . . » 474
441. In quacumque instantia eius opera necessaria est . . . . » ib.
442. Quomodo suppleri possit eius legittima absentia. . . . . » ib.
443. Quodnam sit eius officium . . . . . » 475
444. Praecipue quoad munus appellationem interponendi . . . » ib.
445. Poena nullitatis actorum constituta est, si acta instruantur non rite citato defensore matr. . . . . » 477
446. An defensor matr. iuramentum praestare debeat sub initio processus . . . . . » ib.
447. De eius mercede . . . . . » ib.
448. Quibusnam in causis defensor matr. intersit oportet . . . » 478
449. Utrum agat partes actoris, aut rei et quomodo . . . . . » 479

§ 3. *De his qui matrimonium accusare possunt.*

450. Causae matr. instaurantur vel ad instantiam *privati accusatoris vel ex officio*, praevia inquisitione . . . . . *pag.* 480
451. Ius accusandi non semper competit *cuique de populo*, sed aliquando utrique coniugi aut ex his alteri. . . . . » 481
452. Quando accusare pertineat tantum coniugibus . . . . . » ib.
453. Accusatio non semel competit tantum *uni ex coniugibus* . » ib.
454. In nonnullis tamen ex hisce casibus *cuique de populo* competit *denunciatio* si non vera *accusatio* . . . . . » 484

455. In reliquis causis *cuique de populo* competit accusatio et curiae incumbit inquisitio *ex officio*. . . . . *pag.* 484
456. Praecipui casus exceptionis *suspicionis* in accusatorem . . » ib.
457. Matrimonium contrahendum accusant qui denunciant impedimentum . . . . . » 485
458. Impedimentum ex *obligatione sponsalium* dumtaxat sponsi opponere valent. Quomodo componenda haec lis . . . . » ib.

§. 4. *De speciali ratione pro quidi diversa impedimenta.*

459. Testes quamvis propinqui admittuntur vel etiam praeferuntur in his causis . . . . . *pag.* 487
460. Testes *septimae manus* sunt testes *de credulitate* . . . . » ib.
461. An semper requirantur *ad substantiam* . . . . . » 488
462. De testibus *ex officio* citatis . . . . . » 489
463. De peritia exquirenda in causis agitatis sive ex capite impotentiae, sive ad dispensationem obtinendam a matr. rato et non consummato. . . . . » ib.
464. Specialis procedendi ratio . . . . . » 490
465. Confessio *iurata* coniugum. . . . . » 492
466. De iuramento in genere. . . . . » 493
467. Quomodo singula impedimenta specialem habeant probationis normam. . . . . » ib.
468. De probando facto *non secutae consummationis* ad obtinendam dispensationem a matrimonio *rato et non* consummato . . » ib.

§. 5. *De ordine processus matrimonialis.*

469. Causa introducitur ad instantiam privati *accusatoris* aut *ex officio*. Inde enascitur differentia substantialis in processu. *pag.* 494
470. Quomodo excipiendae accusationes . . . . . » 496
471. Quomodo denunciationes . . . . . » 497
472. Quomodo procedatur *ex officio* . . . . . » ib.
473. Distinguendi sunt diversi casus . . . . . » 498
474. Quinam sit actus aequipollens *contestationi* litis . . . . . » 502
475. Si fieri possit conciliandi sunt coniuges . . . . . » 503
476. De examine coniugum . . . . . » ib.
477. De examine testium . . . . . » 504
478. De aliis probationibus adducendis usque ad conclusionem in causa. . . . . » 505

479. De publicatione processus, qui, ut patet, vel est pure *accusatorius* vel *mixtus*. . . . . *pag.* 506
480. De nova processus reassumptione seu aperitione. . . . . » 507
481. De sententiis interlocutoriis . . . . . » ib.
482. Quonam sermone conscribenda sint tum *acta causae* tum *acta iudicii* . . . . . » 508
483. De sententia definitiva . . . . . » ib.
484. De appellatione . . . . . » ib.
485. De executione . . . . . » 509

TITULUS VIII.

DE PROCESSU SERVANDO IN IRROGANDIS VEL DECLARANDIS CENSURIS.

486. Aliter proceditur ad sententiam *condemnatoriam*, aliter ad *declaratoriam*. In primis de *condemnatoria* . . . . . *pag.* 511
487. Fertur propter culpam *gravem* non omnino *praeteritam* . . » ib.
488. De monitione praemittenda vel *trina*, vel una pro *tribus*, vel saltem *bina*. De forma *monitionis*. . . . . » 512
489. Quomodo concipiendum sit *decretum censurae*. . . . . » 513
490. Censuram *comminatam* retardat ab executione vel eamdem penitus tollit excusatio, exceptio incompetentiae aut suspicionis et appellatio. . . . . » 514
491. Appellatio non habet effectum *suspensivum* in censuram irrogatam . . . . . » ib.
492. De sententia *declaratoria censurae*. . . . . » ib.
493. *Declarationi* censurae praemittitur *citato* et *citationi* necessaria notitia criminis aut *inquisitio* pro *informatione curiae*. » ib.
494. Sufficit *unica* citatio et quomodo concipiatur . . . . . » 515
495. Iudiciali ordine discutiuntur excusationes a reo adductae. . » ib.
496. De formula sententiae *declaratoriae* . . . . . » ib.
497. De simplici denuntiatione . . . . . » ib.
498. De appellatione a *declaratoria* cum *utroque effectu*. . . . » 516
499. Posthabetur quicumque ritus in casu necessitatis, seu *quum vis vi repellitur* et in casu *notorii* . . . . . » 517

TITULUS IX.

DE PROCESSU IN CAUSIS VEL CRIMINALIBUS REGULARIUM, VEL DE NULLITATE PROFESSIONIS RELIGIOSAE.

500. Competentia *iudicialis* in *regulares* attribuitur, in Ordinibus exemptis, Praelatis. . . . . *pag.* 518
501. Quinam sint Superiores Regularium qui hanc obtinent competentiam . . . . . » 519
502. Quinam exerceant hanc potestatem in Moniales. . . . . » ib.
503. Forma procedendi est semper summaria. . . . . » ib.
504. Aliquid speciale cautum est pro causis tum *eiectionis* Regularium, tum *nullitatis* professionis religiosae. . . . . » ib.
505. Ratio procedendi est pure *inquisitiva* . . . . . » ib.
506. At competit ius appellandi etiam *in suspensivo*, quando non agitur de *correctione morum* . . . . . » 520

§ 1. *De eiectione et dimissione Regularium.*

507. *Eiectio* differt a *dimissione* ob diversam procedendi rationem . . . . . *pag.* 520
508. Explicatur processus ordinatus ab Urbano VIII et Innocentio XII, observandus in *eiectione* Regularium . . . . . » 521
509. Hanc procedendi rationem confirmavit Leo XIII in decreto « Auctis » art. 6 . . . . . » 522
510. Sed S. Congregatio *super disciplina regul.* si agatur de Ordinibus religiosis; S. Congregatio EE. et RR. si agatur de Congregationibus seu Institutis religiosis, prospiciunt ut procedere valeant Praelati regulares, sepositis solemnitatibus, cum processu *summario* seu *camerali* . . . . . » ib.
511. De viris religiosis dimittendis ante vota *solemnia* nuncupata. » 524
512. De monialibus eiiciendis vel dimittendis. . . . . » 525

§ 2. *De processu in casu nullitatis professionis religiosae.*

513. Quid statuat Conc. Trid. Sess. 25 c. 19. . . . . *pag.* » 525
514. Processus iudicialis observandus. . . . . » 526
515. De restitutione in integrum adversus lapsum *quinquennii*. . » ib.
516. Quinam sit iudex competens in prima instantia . . . . . » 527

517. Speciales normae iudiciales . . . . . *pag.* 527
518. De iudice competente in *secunda* et ulteriori instantia. . . » 528
519. *Dispensatio* Summi Pontificis consulit casibus dubiis . . . » ib.
520. De hisce causis in Institutis votorum simplicium. . . . . » ib.

TITULUS X.

DE PROCESSU ECCLESIASTICO INSTITUENDO IN CLERICOS IAM SUBIECTOS PROCESSUI ET IUDICIO LAICAE POTESTATIS; ET IN SPECIE DE PROCESSU PRAEVIO PRIVATIONI BENEFICIORUM.

521. Refertur praescriptio art. XLIII *cit. Instr.* S. C. EE. et RR. prospiciens huic casui. Explicatur sensus litteralis. . . *pag.* 530
522. Pendente iudicio laicali et apposita *coercitione*, assumitur *summaria* facti cognitio, unde in primis dispicitur an incursae sint poenae LATAE SENTENTIAE aut irregularitates . . » 531
523. Sed iudex interim abstineat a poenis FER. SENT. quippe tantum est locus *remediis provisoriis* . . . . . » ib.
524. Poenis *proprie dictis* seu *vindicativis* applicandis Episcopus non procedat, nisi post oeconomicum processum eccl. . . » ib.
525. Haec norma maxime servari debet in decernenda beneficiorum privatione . . . . . » 532
526. In casibus dubiis fiunt *relationes* ad S. Sedem . . . . . » ib.

TITULUS XI.

DE RATIONE PROCEDENDI IN S. CONGREGATIONE S. R. ET U. INQUISITIONIS ET IN S. CONGREGATIONE INDICIS.

527. De competentia *criminali* apud SS. Congregationes Romanas . . . . . *pag.* 533
528. Quomodo instituta fuerit S. Congregatio S. R. et U. Inq. seu *S. Officii* et quibusnam ex personis coalescat . . . . . » 534
529. Quomodo incumbat in negotiorum expeditionem. . . . . » 536
530. De secreto S. Officii . . . . . » 537
531. Explicatur in quo consistat secretum S. Officii, tum ex iure *communi*, tum ex iure *particulari Congr. Supremae Inq.* » ib.
532. De eius competentia . . . . . » 541
533. De actorum et decretorum auctoritate. . . . . » 542
534. Eius ratio procedendi *iudicialis* est *pure inquisitiva*. . . . » 543

535. De institutione S. Congregationis *Indicis* . . . . . *pag.* 545
536. De eius ratione procedendi. . . . . » 547
537. De eius decretorum auctoritate . . . . . » 548

TITULUS XII.

DE PROCESSU IUDICIALI INSTITUENDO IN DENUNCIATUM REUM CRIMINIS SOLLICITATIONIS.

538. S. Congr. S. Officii in executionem Const. « *Sacramentum poenitentiae* » plures edidit Instructiones . . . . . *pag.* » 549
539. Harum intentio non sinit Episcopos procedere *extraiudicialiter* vel *ex informata conscientia*. . . . . » ib.
540. De iudice competente. De notario . . . . . » 550
541. De denunciationibus recipiendis, et prudentissime examinandis iuxta *formulas;* Episcopus qui excipit denunciationem de eadem certiorem facere debet S. Congr. S. Officii. . . . » ib.
542. De probatione huius criminis. . . . . » 556
543. De praxi S. Congr. S. U. Inq. Hanc si non adamussim, tamen uti speciem prudentissimi processus prae oculis habere debent Ordinarii iis etiam in casibus, quibus ipsi procedunt sua ordinaria potestate . . . . . » 559
544. Refertur Instructio a. 1867. . . . . » 564

ALLEGATUM I. — Instructio pro eccl. Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, edita sub die 11 Iunii 1880, italice exarata, quam latine ita reddiderunt moderatores ephemeridis « Acta Sanctae Sedis » . . . . . » 571

ALLEGATUM II. — Documenta pro causis matrimonialibus. Constitutio in qua praescribitur ordo et forma in iudiciis causarum matrimonialium servandus. . . . . » 576

ALLEGATUM III. — Instructio edita a S. C. Concilii die 22 Augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus . . . . . » 585

ALLEGATUM IV. — Instructio de iudiciis ecclesiasticis circa causas matrimoniales. . . . . » 592

Pars I. — De processu matrimoniali . . . . . *pag.* 592

Pars altera. — De regulis servandis in tractandis causis matrimonialibus in specie . . . . . » 598

Articulus I. — De impedimentis cognationis carnalis, vel spiritualis, et affinitatis. . . . . » ib.

Articulus II. — De impedimento publicae honestatis. . » 599

Articulus III. — De impedimento vis et metus . . . » 601

Articulus IV. — De impedimento ligaminis . . . . » 604

Articulus V. — De impedimento impotentiae. . . . » 608

Allegatum V. — Documenta pro processu status liberi ad matrimonium ineundum . . . . . » 609

Instructio S. U. Inquisitionis, iussu Clementis X, Ordinariis locorum aliisque praescripta, qua utantur ad legitime cognoscendum admittendumque statum liberum eorum, qui matrimonium contrahere velint . . . . . » ib.

Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in curia Emi et Rmi Cardinalis urbis Vicarii, quam in aliis curiis ceterorum Ordinariorum. . . . . » 610

Circa probationem obitus coniugis Instructio S. Officii anni 1868 . . . . . » 613

Dubia exhibita quoad sensum praelati decreti et in latinam linguam versa. . . . . » 618

Allegatum VI. — Formulae quibus concipi possunt acta in iudiciis vel causis criminalibus . . . . . » 621

Formula sententiae declaratoriae censurarum. . . . . » ib.

Formula sententiae editae ex informata conscientia . . » ib.

Formula sententiae condemnatoriae in censuras. . . . » 622

Formula vocandi testes per litteras privatas ut examinentur pro informatione curiae. Istae citationes promoventur a promotore fiscali; qui, narratis indiciis de quodam crimine, iubet inquiri adversus praesumptum reum. . . . . » 623

Formula citationis iuridicae testium, pro informatione curiae, antequam constitutus sit reus. Haec citatio remittitur

per apparitorem aut nuncium nisi iudex utatur facultate concessa ab Instr. S. C. EE. et RR. dandi has litteras per officium tabellariorum . . . . . *pag.* 623

Formula citandi testes, iam citato et constituto reo . . » 624

Formula citationis, quae triplici monitorio aequivaleat ad effectum testem puniendi ut contumacem, si comparere recuset . . . . . » ib.

Formula litterarum remissorialium pro habenda depositione testis in aliena dioecesi commorantis. . . . . » ib.

Formula tenenda a iudice ad quem missae sunt litterae remissoriales, ut testem examinet. . . . . » 625

Formula sententiam ferendi contra contumacem testem . » 626

Forma recognoscendi et comparandi scripturas . . . . » ib.

Forma compositionis postulandae et concedendae . . . » 628

Formula decreti compositionis . . . . . » ib.

Forma constituendi reum . . . . . » ib.

Forma citandi rei, quando proceditur accusationis via. . » 629

Forma citandi reum quando proceditur ex mero officio, seu inquisitionis specialis via, ob publicam de delictis famam. » ib.

Forma citandi reum in aliena dioecesi existentem, per remissoriales litteras ita ad acta relatas . . . . . » ib.

Forma tenenda a iudice alienae dioecesis, in exequendis, quas accepit, remissorialibus. . . . . » 630

Forma declarandi contumaciam rei . . . . . » 631

Forma citandi reum contumacem ad audiendam sententiam definitivam . . . . . » ib.

Formula sententiae definitivae contra reum contumacem. » 632

Forma examinandi rei . . . . . » ib.

Forma autem reassumendi interruptum examen rei haec esse poterit. . . . . » 634

Forma publicandi processus offensivi. . . . . » ib.

Forma petendi prorogationem termini defensorii, eamque concedendi vel denegandi nec non a denegatione appellandi. » 635

Forma scribendi interrogatorios articulos . . . . . » 636

Forma corrigendi interrogatoria. . . . . » ib.

Forma citandi reum ad sententiam definitivam . . . . » 637

Formula sententiae definitivae, quoad eam partem, quae omnibus generalibus sententiis definitivis communis est. . » ib.

Formula sententiae absolutoriae in casu delicti non commissi . . . . . *pag.* 638
Formula sententiae absolutoriae pro reo non invento culpabili. . . . . » ib.
Forma sententiae condemnatoriae contra reum plene per testes convictum. . . . . » ib.
Forma appellandi a sententia interlocutoria . . . . . » ib.
Forma appellationis a sententia definitiva. . . . . » 639
Forma concedendi apostolos refutatorios. . . . . » 640
Forma apostolorum reverentialium. . . . . » ib.
Forma apostolorum dimissorialium . . . . . » 641
Quomodo iudex ad quem incipere debeat processum, in causa appellationis a sententia interlocutoria. . . . . » ib.
Forma ferendae sententiae super valore appellationis ab interlocutoria . . . . . » 642
Forma incipiendi processum apud iudicem ad quem, quando appellatum est a sententia definitiva. . . . . » 643
Forma sententiae pronuntiandae a iudice ad quem. . . » 644

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Archiep. Myr., Vicesgerens.

Errata Corrige.

Pag.	338:	Cap.	V	lege: Cap.	I
»	400	»	VI	» »	II
»	407	»	VII	» »	III
»	412	»	VIII	» »	IV.

Pagg. 526-527 pro articulis 414, 415, 416, 417, lege: 514, 515, 516, 517.